





BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 4
Numero: 92

2 400 40





228-29

R. 2840

Del Collegio della Comp. della S. Gra. San BB.

DE POSSIBILITATE
 PRÆSERVATIVÆ
 REDEMPTIONIS DEIPARAE A
 PECCATO ORIGINALI, EIUSQUE DEBITO PRO-
 XIMO EX MERITIS CHRISTI ABSOLVTE
 PASSIBILIS, ET RE-
 DEMPTORIS.



ILL.^{mi} ET R.^{mi} DOMINI

DON IOSEPHI VER-
GE, QVONDAM SACRÆ THEO-
LOGIAE DOCTORIS, CENSORIS, PROFES-
SORIS PRIMARIJ, & Procancellarij in Va-
lentina Vniuersitate, Sedis Valentinae
Præpositi, ac Synodalis Examinatoris,
nunc Oriolensis Ecclesiae Episco-
pi, Regiique Consiliarij.

DE POSSIBILITATE PRÆSERVA-
tione Redemptionis Deiparae à peccato o-
riginali, eiusque debito proximo ex me-
ritis Christi absolutè passibilis
& Redemptoris.

*Deipara semper Virgini, absque
naria noxa concepta, dicatum*

CVM TRIPLICI INDICE, PRIMO TITVLO-
rum. Secūdo difficultatum, quæ ex varijs materijs Theo-
logicis in hoc opere petrantur. Tertio rerum,
& verborum notabilium.

ORIOLOE, Sumptibus hæredum Vincentij Franco,
per Matthæum Penen, Anno M.DC.LXXIII.

PERILLUSTRIS D. D. THOMAE

Sora Presbyteri, in Vniuersitate Valentina liberalium Artium
Magistri, in Orcegitana Sacrae Theologiae Doctoris, & Censoris,
in Sancta Ecclesia Cathedrali Orcegitana Canonici Magistralis, Syno-
nodalis Examinatoris, & tandem ad dignitatem Scholastici
in eadem Sancta Ecclesia, ad praesens va-
cantem, electi.

PER Illustris Dominus Ioannes Cortés de Ma-
quina Presbyter, Sacrorum Canonum Doctor,
in Vniuersitate Orcegitana vtriusque iuris Censor,
Sanctae Cathedralis Ecclesiae Oriolensis Canoni-
cus, Examinator Synodalis, Officialis, & Vicarius
generalis Dioecesis &c. meae censurae commisit pijsimum,
grauissimum, & eruditissimum tractatum inscriptum, *De pos-
sibilitate praesernatiuae redemptionis Deiparae a peccato originali,
eiusque debito proximo ex meritis Christi absolute passibilis, & Re-
demptoris, cuius Authorem non desiderarem, etsi absque eius
nomine legissem; nam doctrina sua noscetur vir Proverb. cap.
12. v. 8. Est igitur eius Author Illustris, & Reuerendis. D. D.
meus D. Iosephus Verge, quondam liberalium Artium Ma-
gister, Censor, & Professor primarius in Vniuersitate Valen-
tina, postea Sacrae Theologiae Doctor, Censor, Professor pri-
marius, & Procancellarius in eadem Vniuersitate, Sedis
Valentinae Praepositus, ac Synodalis Examinator, nunc Orio-
lensis Ecclesiae Episcopus meritissimus, vigilantissimus, di-
gnissimus: Qui post tot notissima opera, tum litteris, tum pie-
tate praecleara, quae etsi laminis nondum exarata, iam diu cum
veneratione admiratur, & cum admiratione veneratur vni-
uersus orbis, ita ut, *Sol cadat, aut surgat, semper eius scripta per-
erret, ut de Philippo II. Hispaniarum Rege, nobilissimus
Iacobus Falcò Valentinus, Montesianae Militiae Eques, &
eiusdem Ordinis Praefectus, Epigram. 14. cecinit, illis pro
coronyde adiunxit, postremum hunc sui non vulgaris ingenij
felicissimum partum, Sacrae Virgini Mariae dicatum, ad eius
maiores gloriam intentum, & ad studiosorum vtilitatem ela-**

boratum. Et quamuis de tanti Doctoris scriptis, censere, cuius me Discipulum, etsi indignum, fateor, Prouinciam difficilem, imò difficillimam etiam giganteis humeris, suscipere iudicauerim; nihilominus, ne meo muneri deficiam, si, quæ dicere debeo, silentio prætermittam, mandatis prompto, & libenti animo obtemperans, non sine admiratione uidi, magna voluptate semel, & iterum perlegi, & tota cura examinari, inuenique opus sanè pium, doctum, selectum, & tali Authore dignum, expositiuos radios scintillans, Scholastica subtilia resoluens, & deuotionis affectus exalans. Aliquorum scripta passim reperiuntur ita debilia, & quasi eviscerata, ut vix in eis vis oppugnandi, imò nec propugnandi inueniatur, & quamuis offerant corticem delectantem, non medullam nutrientem ministrant, fortè quæ à quodam Neoterico, perpetuo obliuionis exilio damnantur, vel illis pomis similia, à multis celebratis, quæ etsi pulchra oculis, aspectuque delectabilia, si tamen atrectari velint, in fumum resoluuntur, & euanescent. In hoc autem mirabili tractatu & medulla nutrit, & cortex delectat, & ratio defendit, & concludit. In eamque, hic nostrorum temporum, Mineræ strenuissimus Heros, Marianique cœli fortissimus Atlas, ex Sacra Scriptura doctrinæ adipem, eruditionis ex SS. PP. uberrimum fructum, eruditissimum interpretandi stylum, & difficillimarum quæstionum, fractis, & refractis telis, decisionem sublimem cum spiritus ardore, tam indissolubili nexu, tantaque dexteritate, conglutinavit, ut incessabilem, & indefessum laborem, pium, vehementemque conatum, quibus semper, fidelium deuotioni ampliandæ, erga Virginis Matris conceptionem immaculatam in primo instanti, ex præcordijs insudauerit, & quòd Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replere illum, attestentur, probent, declarent. Nec minora ab illo expectarem, cuius labia, virgineo lacte rorata fuisse, videntur, quæ toties illam, quæ ex ore Altissimi ore prodiuit, deuotè tractarunt, acerrimè defenderunt, & infatigabiliter immunè prædicarunt. Certamen fortè videris suscepisse, Illustrissime Præsul, ut vinceres, & cum hanc tuam dissertationem, vel clypeum Marianum ex collo Mariæ, cui sacraisti, spirituali Turri, de qua bene dicitur, quod, iuxta hebra-

braicam lectionem, de Turri Dauidica asseritur, quæ ædificata est ad *Talpiot*, id est, ad disciplinas, seu ad documenta, quasi in voti monumentum, & victoriæ signum, pendere viderim, iam te, victorem non renuam acclamare, & spero, te fortem, ex fortissimis Israel, & ad bella doctissimum, qui non diffinita, tam strenuè, & animitus propugnasti; pro Ecclesia, Salomonis lectulo, si opus esset, tenentem gladium intrepidè, irrefragabiliter, & cordicitus, etiam cum sanguinis efusione, usque ad coronam certaturum. Plura dicerem, si Panegiristam agerem, non Censorem, & si tuam frugalitatem, læsisse iam, non vererer, quæ, ad alia tempora pertinere, non dubito. Sed restat tibi, ut coronam, pro certamine, accipias. Sit tibi præmio Maria, illam pro mercede accipe, tanquam pretiosam margaritam in pectore, ut eius benedictionem consequaris, deuotè retine, scriptis prædica, ore lauda, ut de fructu oris tui bonis replearis, Prouerb. 12. v. 14. Congratuletur sibi hæc sancta Ecclesia, quæ te, vigilantissimum Pastorem, & de ea benemeritum Prælatum veneratur, & tandem de tuis scriptis, in quibus nihil fidei contrarium, nihil bonis moribus dissonum, imò totum, quòd typis mandetur, dignum reperi, gratus, & officiosus, tibi referat gratias Lector; sed aduertat, ut in principio non sistat, in medio non deficiat, ingrediatur ulterius, plusque stupebit opus, ut Falco citatus Epigram. 16. & si maiorem huius arenæ partem permensus fuerit, metā quoque pertingat, ut sic ex cortice medullam extrahat, ex certamine arma colligat, & tandem de forti dulcedinem percipiat. Sic sentio Oriolæ xiiij. Kalendas Aprilis. Anno Dñi M. DC. LXXIII.

Authoris minimus, & indignus Discipulus
Doctor Thomas Sora.

CEN-

Censura R. A. P. Fr. Bartholomæi Cartagena

gena, olim in Vniuersitate Oriolensi Philosophiæ Professoris, nunc
S. Theol. Magistri, Examinatoris Synodalis, S. Inquisitionis Qua-
lificatoris, studiorum Regentis, Diffinitorisque Prouincie Va-
lentinae Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis
Captiuorum.

X commissione perillustri Domini Ioannis Cor-
tès de Marquina Presbyteri, Sacrorum Canonum
E Doctoris, & huius Diocesis Officialis, & Vicarij
Generalis &c. hoc opus, cuius inscriptio est. *De*
possibilitate præseruationis Redemptionis Deiparæ a
peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Chri-
sti absolute passibilis, & Redemptoris, ab Illustrissimo, & Re-
uerendissimo Domino Don Iosepho Verge, quondam libera-
lium Artium Magistro, Censore, & Professore primario in
Vniuersitate Valentina, postea S. Theol. Doctore, Censore,
primario Professore, & Procancellario in eadem Vniuersita-
te, Sedis Valentinae Præposito, ac Synodali examinatore,
nunc meritissimo Oriolensis Ecclesiæ Episcopo, Regioque
consiliario &c. elaboratum, iucundissimè legi, attentissime-
que perlegi; & nihil in toto deprehendi volumine, quod soli-
dam pietatem, & doctrinam non redoleat. Et cum Apost. in I.
ad Timoth. epist. Episcopos duplici honore dignos haberi iu-
dicet, eos potissimùm, qui in verbo, & doctrina fidelissimè
laborant, nullas profecto erit, qui, nostrum vigilantissimum
Antistitem hoc tanto præmio dignum esse, non arbitretur.
Legatur opus, & in eo præclara multa, scituque dignissima,
necnon quamplurima Sacræ Theologiæ difficilia dubia
omnibus Scholasticis inuenientur utilia. Ex eo namque qui-
libet Theosophus, tanquam ex amænissimo topiario, diuer-
sis, ac fructuosis arboribus confito, odoriferos, suauis, & uti-
lissimos flores carpere valebit: ex eo etiam tela fortissima, at-
que efficacissima argumenta ad piam de præseruatione Virgini-
nis sententiam ampliandam depromere poterit. Sed tantæ
scientiæ, tantique magisterij eidem Virgini gratias, gratus
Author exhibere debet; cum hic placidus, copiosusque Theo-
logiæ

logiæ riuius, faustè ex Mariano Oceanò natus, effluxerit, &
tanta vena vitæ sitientibus præsens sapientiæ scaturiuit fons.
E Maria, ait D. Greg. Taumat. serm. 2. de Annunciat. nobis
sapientiæ scaturiunt fontes, qui limpidissimos, & puros riuos pie-
tatis effundunt. Hinc nobis diuinæ cognitionis resplendent thesauri.
Meus sileat animus, nam si omnigenam huius præclarissimi
Præsulis eruditionem, claritatem, Theologiæ præstantiam,
dignitatemque sapientiæ lustrare velim, tantus repente sub-
oritur fulgor, vt me, admiratione attonitum, reddat elingüè.
Vt cunque tamen ipse meæ tenuitatis, & huius viri magnitu-
dinis conscius taceam; tacere nunquam poterit Valentinum
lycæum, quod inter felicitatis fastus memorat, quòd tantum
Doctorem, primarium Theologiæ Antecessorem, meruerit;
in stuporem, & sui Elogia illas multoties rapiens Athenas,
dum summè arduas, & intricatas quæstiones, non minori in-
genij facilitate, & felicitate, quam omnium voluptate, plau-
su, & admiratione dissolueret. Vt censuræ parcam, breuiter
concludo: opus hoc, sicut & alia huius sapientissimi Docto-
ris scripta, vt ad omnium commodum, atque utilitatem in lu-
cem prodeat, & literis nunquam perituris mandetur, dignum
iudico, & manu propria subscribo in hoc regio Oriolensi
cænobio cælestis, militarisque Redemptorum Ordinis, xij.
Kalendas Aprilis, Anni Dñi M. DC. LXXIII.

Mag. Fr. Bartholomæus Cartagena
Propositionum Fidei Censor.

LICEN

LICENTIA ORDINARII.

NOS Ioannes Cortés de Marquina Presbyter, Saecrorum Canonum Doctör, in Vniuersitate Orselitana vtriusque iuris Cenfor, Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Oriolen. Canonicus, Examinator Synodalis, in præsentî Ciuitate, & Diocesi, in spiritualibus, & temporalibus Officialis, & Vicarius generalis &c. Quoniam ex commissione nostra, Doctör D. Thomas Sora, Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Orselitanæ Canonicus Magistralis, Synodalis Examinator, & ad dignitatem Scholastici in eadem Sancta Ecclesia, ad præsens vacantem, electus, & R. A. P. Magister Fr. Bartholomæus Cartagena, Diocesis Orselitanæ Examinator Synodalis, Sanctæ Inquisitionis Qualificator, Diffinitorque Prouinciæ Valentiniæ Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, post attentè perlectam, & accuratè inspectam, præclaram hanc Dissertationem Theologicam Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini, Domini mei, D. Iosephi Verge, Oriolen. Ecclesiæ Episcopi, Regijque Consiliarij &c. *De possibilitate præseruationis Redemptionis Deiparæ a peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolute passibilis. & Redemptoris,* eam prælo dignam iudicarunt; idcirco, tantorum Doctörum iudicio adherentes, idem similiter sentimus, & approbamus, & in quantum opus fuerit, licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur, vt tam egregium opus typis mandari possit, ad Dei, & Beatissimæ Virginis immaculatè conceptæ, gloriâ, communem Scholarum, & Scholasticorum utilitatem, sententiæ piæ splendorem, & fidelium omnium solatium, & deuotionem. Dat. Oriolæ die xxiv. Martij Ann. M. DC. LXXIII.

*Doct. Ioannes Cortés
de Marquina.*

Imprimatur.
Xodar, R. F. & P. R. Adm.

LECTO.

LECTORI.

Iam diu desiderabam, amice Lector, opus aliquod pro immaculata Deiparæ Conceptione, eiusdemque præseruatione à peccato originali in primo suæ animationis instâti in lucem proferre, quâuis circa operis assumptum anceps esset innatus meus erga tantum, ac tam pium mysterium affectus: considerabam namque, actualem Deiparæ præseruationem à peccato originali tam luculentè à Patronis sententiæ piæ omni argumentorum genere fultam, vt vix quippiam alicuius momenti addi posse videatur, & propterea inane, & inutile fore, circa hoc punctum scribere, quâdo opus esset, repetere, ab ipsis tam copiosè, & eruditè excogitata & dicta. Hæc mihi cogitanti, occurrit, Doctores sententiæ minus piæ ideo inter alia negasse præcipuè immunitatem Deiparæ à peccato originali, quia existimabant, eam non potuisse habere ex meritis Christi absolute passibilis, nec redimî pretio sanguinis eius, multos etiam ex Doctöribus sententiæ piæ ideo ei præseruationem à debito proximo cõcedere, renuisse, quia, ipsam à præfatis Christi meritis, & redemptione dimanare non valuisse, arbitrabantur, quando constans est, à dictis filij sui meritis ortum duxisse cuncta Deiparæ dona, & priuilegia. Quapropter non incongruum fore iudicavi, hoc fundamentum præcludere, demonstrando, fuisse possibilem præseruationem Deiparæ redemptionem à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolute passibilis in hoc diuinorum Decretorum ordine: assumptum sanè grauissimum, & difficillimum, torquens maximè Doctörum ingenia, quodque difficultè, & obscure nimis declaratur à Patronis sententiæ piæ, vtramque memoratam Deiparæ præseruationem tenentibus. Hic est huius nostræ Theologiæ dissertationis scopus. Faxit Deus, vt viam aliquam peculiarem inueniamus, quò planum fiat assumptum. Quæ autem in hoc opere, fusè elucidata, tibi offerimus, visere licet in principio nostræ dissertat. nu. 2. 3. & 4. vbi materia tota assumpti proponitur, ex quo quàm graues complectatur controuersias, clarè perspicies. Tribus autem indicibus opus exornatum comperies; primo titular. secundo difficultatum, quæ ex varijs materijs Theologicis in eo differuntur; & tertio rerum, & verbor. notabil. Sed quæso, amice Lector, vt has nostras lucubrationes beneuolis iustres oculis, & quidquid in eis correctione dignum senseris, scias, à me monito, sedulo corrigendum. Vale.

*Index disputationum, capitum, & puncto-
rum huius operis.*

Praefatos titulos inuenies notatos sola litera N. quae signi-
ficat, & indicat numerum marginalem.

3 **DISEERTATIO THEOLOGICA:**

De possibilitate praeseruationis Redemptionis Deiparae à peccato
originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolu-
tè passibilis, & Redemptoris. num. 1.

4 **DISPUTATIO I:**

In quo consistat malitia formalis peccati commissionis num.
5.

5 **Caput I.** Statuuntur aliqua ad difficultatis resolutionem.
num. 7.

6 **Caput II.** Opiniones constituentes in carentia malitiam for-
malem peccati commissionis. nu. 15.

7 **Punct. I.** Praefatae opiniones proponuntur, & refelluntur
num. 16.

8 **Punctum II.** Doctrina praecedentis puncti illustratur amplius
obiectionum solutione. nu. 51.

9 **Caput III.** Septem opiniones constituentes in positioe mali-
tiam formalem peccati commissionis. nu. 71.

10 **Punctum I.** Quatuor ex his opiniones impugnatae. nu. 73.

11 **Punctum II.** Exploditur quinta opinio ex praefatis. n. 100.

12 **Punctum III.** Duae reliquae opiniones ex praefatis reiectae.
num. 133.

13 **Caput IV.** Verior, & probabilior opinio. num. 152.

14 **Punctum I.** Praefata opinio declaratur, & stabilitur. n. 154.

15 **Punctum II.** Soluuntur obiectiones oppositae. nu. 190.

16 **Caput V.** An, & quomodo ad malitiam peccati commissio-
nis requiratur dependentia à lege prohibente, & oppositio
cum ipsa. num. 212.

17 **Caput VI.** Infertur ex dictis, in quo consistat malitia moralis
peccati omissionis. num. 236.

18 **DISPUTATIO II.**

De constitutioe peccati habitualis. num. 251.

Index titulorum.

19 **Caput I.** Controuersiae status, & opiniones Doctorum. num.
252.

20 **Caput II.** Decem opiniones praefatae examinantur. nu. 269.

21 **Punctum I.** Tres priores opiniones repelluntur. nu. 270.

22 **Punctum II.** Quatuor aliae sequentes opiniones explosae
num. 288.

23 **Punctum III.** Tres ultimae opiniones labefactatae. nu. 314.

24 **Caput III.** Quid sentiendum sit in tam graui difficultate. nu.
336.

25 **Punctum I.** Propria sententia. num. 337.

26 **Punctum II.** Opposita argumenta. num. 351.

27 **Caput IV.** Quid sit obiectum diuinae voluntatis, extrinsecè
condonantis peccatum. num. 380.

28 **Punctum I.** Varij discurrendi modi minus veri. nu. 382.

29 **Punctum II.** Deciditur dubium, & detegitur obiectionis in-
firmitas num. 405.

30 **DISPUTATIO III.**

De peccato originali. num. 419.

31 **Caput I.** De existentia peccati originalis. num. 426.

32 **Caput II.** Quomodo peccatum originale fuerit voluntarium
posteris Adae. num. 436.

33 **Punctum I.** Peccatum originale fuit posteris voluntarium
secundo modo num. 439.

34 **Punctum II.** Aduersariorum obiectiones. num. 461.

35 **Caput III.** In quo consistat peccatum originale. nu. 477.

36 **Punctum I.** Variarum opiniones circa constitutum peccati ori-
ginalis. num. 478.

37 **Punctum II.** Veritati conformior opinio stabilitur. nu. 503.

38 **Punctum III.** Contraria argumenta conuulsa. nu. 522.

39 **Caput IV.** Aliqua dubia resoluuntur. num. 545.

40 **Punctum I.** Duo dubia circa decretum transfusionis. num.
547.

41 **Punctum II.** Quatuor dubia circa conditionem requisitam ad
transfusionem peccati. nu. 562.

42 **Punctum III.** Dubium vnicum circa personam, transfunden-
tem peccatum. num. 579.

Index rerum.

- 43 Punctum IV. Septem dubia circa peccatum transfusum. num. 585.
44 Caput V. An peccatum comestionis de fructu interdicto, independentè ab impœnitentia Adæ, fuerit ex parte ipsius causa, vel occasio per se totalis, & completa transfusionis peccati originalis in posteros. num. 600.
45 Punctum I. Tertia opinio eligitur, & probatur. num. 606.
46 Punctum II. Peñalosa argumenta eneruata. num. 639.

47 DISPUTATIO IV.

De Debito peccati originalis. num. 680.

- 48 Caput I. In quo consistat debitum peccati originalis, eiusque constitutum. num. 682.
49 Punctum I. Opiniones Doctorum cum aliquibus, scitu dignis, suppositionibus. num. 684.
50 Punctum II. Aliorum confutatis opinionibus, aperitur nostra sententia. num. 696.
51 Caput II. An posteri, contracto semel debito peccati originalis in instanti generationis, potuerint ex speciali Dei privilegio in tali instanti fieri immunes à contractione ipsius peccati. num. 728.
52 Caput III. Infertur ex dictis, Deiparam, quæ laudabiliter prædicatur præservata à peccato originali, non contraxisse defacto debitum proximum eius. num. 763.
53 Caput IV. An similiter dicenda sit præservata Deipara à debito remoto peccati originalis. num. 780.
54 Punctum I. Negans opinio amplectenda. num. 783.
55 Punctum II. Respondetur obiectionibus. num. 806.

56 DISPUTATIO V.

An, & quomodo Deipara potuerit præservari à peccato originali, eiusque debito ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris in hoc diuinorum decretorum ordine; ubi consequenter, quando, quomodo, & ex quo motiuo prædefinitus fuerit Christus. num. 835. & 836.


- 57 Caput I. Christus per primum Dei decretum efficax absolutum non est prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ conditionatæ peccati futuri. num. 845.

Index titulorum.

- 58 Punctum I. Probatio nostræ sententiæ. num. 847.
59 Punctum II. Opposita fundamenta dissoluuntur. num. 866.
60 Caput II. Christus per primum Dei decretum efficax absolutum non est prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri, independentè à futuritione decretorum. num. 887.
61 Punctum I. Nostra sententia autoritate, & ratione stabilitur. num. 889.
62 Punctum II. Recentiorum obiectiones soluuntur. num. 906.
63 Caput III. Nec dependentè à futuritione decretorum fuit Christus per primum Dei decretum efficax absolutum prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri. num. 919.
64 Punctum I. Dependencia virtualis, & per rationem ab independentè non fundat futuritionem, & posterioritatem in quo virtualem, & rationis extremi dependentis. num. 924.
65 Punctum II. Exploditur decretorum Dei liberorum futuritio virtualis, & per rationem. num. 956.
66 Punctum III. Occurritur aduersariorum argumentis. num. 1003.
67 Punctum IV. Impugnatur primum illud Dei decretum efficax absolutum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri, permessa etiam decretorum futuritione. num. 1020.
68 Caput IV. Quando, quomodo, & ex quo motiuo prædefinitus sit Christus. num. 1037.
69 Punctum I. Primum Dei decretum efficax voluit defacto in primo signo Christum saltem secundum se. num. 1039.
70 Punctum II. An solus Christus fuerit in primo signo prædefinitus. num. 1058.
71 Punctum III. Motiua, propter quæ fuit Christus in primo signo prædefinitus. num. 1068.
72 Punctum IV. Quid iuxta nostram doctrinam sentiendum sit de aduenta Christi, Adamo non peccante. num. 1090.

- 73 Punctum V. de decreto Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue post absolutè præuifum peccatum. num. 1097.
- 74 Punctum VI. Contrariæ rationes profligatæ. num. 1118.
- 75 Caput V. Deciditur ex dictis præcipua disputationis difficultas. nu. 1163.
- 76 Punctum I. Sensus difficultatis, & Doctorum opiniones. num. 1165.
- 77 Punctum II. Aliqui modi constituendi possibilem præseruationem Deiparæ à peccato, & debito originali ex meritis Christi absolutè passibilis. num. 1172.
- 78 Punctum III. Modus facilis constituendi possibilem præseruationem, & Redemptionem Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis. num. 1201.
- 79 Punctum IV. Resoluitur difficultas emergens pro complemento nostræ sententiæ. num. 1222.
- 80 Punctum V. In quo signo constitui possit Redemptio præseruatiua Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis. nu. 1244.

DISSER



DISSERTATIO THEOLOGICA.

DE POSSIBILITATE
PRÆSERVATIUE REDEMPTIONIS
Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris.



ON est animus astruendi in præfenti actualem immunitatem, & præseruationem Deiparæ à peccato originali in primò instanti animationis. hoc enim feliciter, & abunde euerunt iam Doctores sententiæ piæ, clarissimis de aduersarijs partis victorijs, & memorabilibus triumphis, ideoque frustraneum, & inutile esset, eorum notissima argumenta, & doctrinas repetere: idemque in Tractatu Scholasticis dictato anno 1661. ostendimus nos fusè Scripturæ Sacræ testimonijs, Apostolorum, & Apostolicorum viorum doctrina, Summorum Pontificum Decretis, Conciliorum Sanctionibus, Sanctorum Patrum dictis, Doctorum Authoritatibus, Catholicæ Ecclesiæ approbationibus, Principum Orthodoxorum apud Sedem Apostolicam instantijs, pro huius veritatis defensione sæpiùs repetitis, Fidelium ferè omnium, nobilium, & ignobilium, peritorum, & imperitorum deuotione, & affectu, Vniuersitatum statutis, & iuramentis.

2 *Dissertatio Theologica*

mentis, cunctarum ferè Religionum consensu, aliisque argu-
mentis & rationibus efficacissimis.

3 Precipuus igitur huius nostræ dissertationis scopus erit de-
clarare, an, & quomodo potuerit Beata Virgo præservari à
peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Chri-
sti absolute passibilis, & Redemptoris in hoc Diuinorum Do-
cretorum ordine, quod non est explicatu facile; quantum-
vis ad plenam huius controverſiæ declarationem obiter saltem
decidendum sit, an defacto immunis, & præservata fuerit à
debito peccati originalis. Et quamvis circa hanc controver-
ſiam copiose iam scripserint multi ex Patronis sententiæ
piæ, tamen, spectata materiæ gravitate, & fecunditate, facile
apparebit, posse adhuc nova aliqua inveniri, & novos modos
conciiliandi. Deiparæ præſervationem à peccato originali, eius-
que debito proximo cum Redemptione stricta ex meritis
Christi absolute passibilis excogitari, ijs etiam, quæ ab alijs
ingeniose excogitata, & subtiliter dicta sunt, posse no-
vam lucem adhiberi, qua clariora, & efficaciora reddan-
tur.

4 Sed quoniam possibilitas præſervationis Deiparæ à pec-
cato originali, eiusque debito proximo plene intelligi, &
explanari non potest, nisi natura peccati originalis, eiusque
debiti, & effectus eiusdem perspicue declarentur, opere pre-
cipuum duximus, prius de peccato originali, eiusque debito, ac
transfusione in univèrsam Adæ posteritatem differere; cum-
que peccatum originale sit peccatum habituale, & hoc inter
alia includat peccatum actuale præteritum, præmittere oportet
notitiam peccati tam actualis, quam habitualis, &

utriusque saltem constitutum diligentè exami-

minare in prioribus nostræ dis-

sertationis disputa-

tionibus.

(.O.)

DTS

Disputatio I. Cap. I.

DISPUTATIO I.

*In quo consistat malitia formalis peccati
commissionis.*

6 Gravissima est, & difficillima hæc controversia, & ideo
pro dignitate pertractanda, ad quod aliqua ad eius reso-
lutionem necessaria statuere oportet.

CAPVT I.

*Statuuntur aliqua ad difficultatis reso-
lutionem.*

8 **S**tatuo primò, malum, aliud esse physicum, & aliud mo-
rale. Malum physicum est, quod physicè solum est disco-
niens, & contrarium subiecto, nullam dicens inhonestatem, &
indecentiam respectu naturæ rationalis ut sic, sic calor est phy-
sicè malus aquæ. Malum morale, (de quo loquimur in præ-
senti,) est malum inhonestum, & indecens naturam rationa-
lem ut sic, quod ratione sua inhonestatis, & indecentiæ non
potest advertentè fieri, aut amari, quin imputetur ad culpam
effectio, aut amor eius.

9 Statuo secundò, malitiam moralem, aliam esse obiectivam,
& aliam formalem. Obiectiva residet in obiecto voluntatis,
quod quidem ratione sui, aut circumstantiarum est ita inho-
nustum, & indecens, ut non possit terminare actum prosecu-
tionis licitum, v. g. mendacium, pollutio &c. Formalis residet
in actu voluntatis, prosequente obiectum malum, & inhone-
stum, v. g. volitio mendacij, pollutionis &c. vel fugiente ob-
iectum bonum, & honestum, quando est obligatio amplecten-

A 2

di

4
 di illud, v. g. nolitio exhibendi cultum Deo, aut Parentibus debitum. In quo autem consistat malitia moralis obiectiva, dubium est gravissimum, spectans ad materiam de bonitate, & malitia humanorum actuum, vbi, iuxta inferius dicenda, sentiendum esset, eam consistere quandoque in entitate sola obiecti mali, & quandoque in entitate obiecti mali, vt affecta aliquibus circumstantiis extrinsecis, tam fordauntibus. Videantur inferius dicenda circa malitiam moralem formalem.

90 Statuo tertio, malitiam formalem moralem actus voluntatis posse dupliciter considerari. Primo, vt est ad culpam imputabilis formaliter, quo pacto praeter inhonestatem, & indecentiam actus requirit etiam libertatem cum advertentia malitiae, & inhonestatis obiecti, vel actus, vel vtriusque simul; actus enim inhonestus, factus sine libertate, & advertentia malitiae, non est formaliter imputabilis ad culpam, vt patet in actu odij Dei primo primò. Secundo, vt est ad culpam imputabilis materialiter, & fundamentaliter, quo pacto solum dicit inhonestatem, & indecentiam actus, quae est materia, & fundamentum denominationis liberi, & formalis imputabilitatis ad culpam, cui solum deest libertas, & advertentia malitiae, vt formaliter imputetur ad culpam, qua adveniente, non potest non imputari ad culpam, vt patet in actu odij Dei primo primò, indeliberate elicto.

11 Statuo quarto, libertatem actus voluntatis communiter non esse praedicatum essentiale eius, sed praeter entitatem ipsius actus intrinsecam, involvere etiam denominationem extrinsecam, desumptam à potentia libera, & indifferente ad operandum, & non operandum, licet sit praedicatum essentiale actus voluntatis mali, vt peccatum est, & vt formaliter ad culpam imputabilis. Veritas huius doctrinae constat ex libris de anima, & ex materia de bonitate, & malitia, vbi à Doctoribus communiter probari solet. Vnde idem actus odij Dei v. g. potest esse liber, si fiat à voluntate cum advertentia malitiae, aliisque comprincipijs requisitis liberis, & indifferentibus; & indeliberatus, & necessarius, si fiat à voluntate sine advertentia malitiae, aliove comprincipio, ad libertatem requisito, v. g. quando

quando actus odij Dei est primò primus. Dixi, communiter, quia suo loco examinandum est, vtrum libertas sit intrinseca, & essentialis aliquibus actibus voluntatis, licet raro elicitis.

12 Statuo quinto, inter actus voluntatis malos, alios esse prohibitos quia malos, v. g. odium Dei, mendacium, pollutionem, & similes; & alios malos quia prohibitos, v. g. esum carniuni die veneris, & volitionem eius. Primi generis actus ideo tales dicuntur, quia eorum malitia non pendet à priori prohibitione tanquam à causa inductiva eius, imò illa est prior à quo prohibitione, & ratio formalis, ob quam tales actus à Deo prohibentur, licet prohibitio necessario, & essentialiter consequatur praeter tam malitiam, iuxta dicta in materia de legibus disp. 3. cap. 1. & 2. Actus secundi generis ideo tales dicuntur, quia eorum malitia pendet à priori à prohibitione tanquam à causa inductiva eius, nec illa est ratio formalis, & motivum prohibendi tales actus: Superior enim non prohibet illos propter aliquam malitiam, & inhonestatem, existentem in ipsis ante prohibitionem, sed quia abstinere ab illis iudicatur conveniens, & honestum, quamvis oppositum non sit inhonestum, & turpe independentèr à prohibitione, alias non essent mali quia prohibiti, sed prohibiti quia mali; saepe enim est aliquid conveniens, & honestum, quamvis oppositum non sit inhonestum, & turpe, sic ingressus Religionis, votum castitatis, & similia sunt convenientia, & honesta, quamvis oppositum non sit inhonestum, & turpe.

13 Statuo sexto, iuxta inferius dicenda, peccatum dividi communiter in peccatum commissionis, & omissionis. Peccatum commissionis est contra praecipuum primò, & per se negativum, prohibens primò, & per se, aliquid fieri, v. g. homicidium, & volitio eius. Peccatum omissionis est contra praecipuum primò, & per se affirmativum, praecipiens primò, & per se, aliquid fieri, v. g. omisio Missae praecipuae, & volitio omittendi illam. Vnde peccatum omissionis, vel est omisio pura operis praecipui, si talis detur, vel volitio omittendi opus praecipuum, vel nolitio, & fuga operis praecipui: peccatum vero commissionis est quilibet alius actus, ab his distinctus, vel potius

potius est quilibet actus, primò, & per se prohibitus, & voluntas eius.

14 Loquimur autem in presenti de malitia formali morali peccati commissionis, ex quo facile inferri poterit, quid dicendum sit de malitia peccati omissionis. Sed cum in peccato commissionis tot conceptus reperiantur, scilicet carentia rectitudinis, & honestatis, residens in actu ipso peccaminoso, privatio rectitudinis actus oppositi, existens in voluntate, ab ipso actu peccaminoso inducta, disconvenientia, & dissonantia eius cum natura rationali, cum iudicio rationis, & cum lege prohibente, entitas intrinseca ipsius actus peccaminosi, prosequentis obiectum in honestum, vel fugientis honestum, circumstantiarum aliquarum extrinsecarum, foedantes, & inficientes actum, & tandem libertas actui extrinseca, hinc oritur difficultas huius disputationis gravissima, in quo, vel in quibus istorum conceptuum consistat malitia formalis morali peccati commissionis: circa quam variè opinati sunt Doctores, quorum opiniones sunt ex professo examinandæ.

CAPUT II.

Opiniones constituentes in carentia malitiam formalem peccati commissionis.

PUNCTUM I.

Præfata opiniones proponuntur, & Refelluntur.

17 Prima opinio ait, malitiam formalem peccati commissionis consistere in privatione rectitudinis, & conformitatis cum lege, iudicio rationis, vel natura rationali. Hæc est communior

ior inter Doctores, qui non conveniunt in ea declaranda. Nam primò Alexander 2. part. quest. 94. memb. 2. Bonaventura in 2. dist. 34. art. 2. quest. 3. Durand. ibid. q. 2. Ricardus dist. 34. & 35. utrobique art. 1. q. 1. Lorca de actibus humanis disp. 25. Valentia 1. 2. disp. 2. q. 13. punct. 3. Montesinos disp. 3. q. 6. & alij apud Oviedo in 1. 2. tract. 4. controvers. 5. punct. 1. num. 5. item Granada 2. 2. in 1. 2. disp. 1. à sect. 2. Meratias in 1. 2. disp. 1. sect. 1. putant, esse privationem, existentem in ipso actu malo, rectitudinis, debite inesse ipsi.

18 Secundò Ocham quodlib. 3. q. 14. & alibi, Molina 1. p. q. 5. disp. vnic. Toletus tract. de peccatis cap. 1. & alij, quos referre, & sequitur Salas to. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 3. num. 31. existimant, talem privationem rectitudinis esse privationem existentem in voluntate, hancque privationem rectitudinis sibi debita. Hanc autem rectitudinem voluntati debitam, volunt quidam ex eis, esse conformitatem privatam voluntatis cum præcepto negativo, prohibente actum malum, quæ conformitas dicitur consistere in privatione actus mali prohibiti, dum enim voluntas non elicit actum malum prohibitum, eiusque habet privationem, conformis est præcepto illum prohibenti; sicque in privatione huius privationis, dicitur consistere malitia. Alij verò dicunt, hanc rectitudinem voluntati debitam, esse actum bonum oppositum, moraliter debitum voluntati ratione obligationis eliciendi illum, & in privatione huius actus boni, sic moraliter debiti, existente in voluntate, consistere malitiam formalem dictam: requirunt autem in voluntate debitum, & obligationem eliciendi actum bonum, ut privatio ipsius possit malitiam constituere, quia non est mala, & culpabilis privatio actus boni, quando non est debitum, & obligatio eliciendi illum.

19 Tertiò Suarez disp. 11. Metaph. sect. 1. & de Peccatis disp. 7. de Malitia sect. 3. contendit, esse privationem rectitudinis debitæ, hancque privationem esse in ipso actu malo, respectu cuius habet rationem negationis, & respectu voluntatis, cui debita est rectitudo, rationem privationis moralis.

20 Censco primò. Formalis malitia peccati commissionis

non consistit in privatione, existente in actu malo, rectitudinis debitæ inesse ipsi. Probatur primò. Ante dictam privationem supponitur iam in actu peccaminoso tota malitia formalis, ut videbimus infra: ergo hæc non consistit in illa.

21 Probatur secundò. Privatio est carentia formæ in subiecto capaci eius: sed actus peccaminosus non est capax rectitudinis, & honestatis: ergo non habet privationem rectitudinis, in qua eius malitia formalis consistere possit. Hæc ratio non solum convincit in actibus peccaminosis intrinsecè, & inseparabiliter malis, sed etiam in actibus extrinsecè, & contingenter malis; nam licet huiusmodi actus possint fieri non mali, non tamen possunt fieri boni, & recti, ut ostendimus disp. 1. de Vitijs cap. 2: ergo non sunt capaces alicuius rectitudinis sibi debitæ, & consequenter nec habere possunt privationem eius.

22 Respondent primò, actum peccaminosum esse solum incapax rectitudinis secundum rationem specificam actus mali, esse tamen capace eius secundum rationem genericam actus humani, etique ut sic esse debitam rectitudinem, & hoc sufficere, ut carentia rectitudinis in tali actu privatio sit: sicut Talpa dicitur animal cæcum, & privatum visu, quia saltè secundum rationem genericam animalis, est capax visus, hicque illi ut sic est debitas. Contra primò. Si odium Dei v.g. solum est capax rectitudinis secundum rationem genericam actus humani, & non secundum rationem specificam: ergo secundum rationem specificam non est privatum rectitudine, sed habet negationem eius, licet privatum esset illa secundum rationem genericam: ergo secundum rationem specificam vel non est malum, quod est absurdum, vel malitia eius non consistit in privatione, sed in negatione rectitudinis.

23 Contra secundò. Carentia rectitudinis, residens in actu peccaminoso, non afficit, nec consequitur istum secundum rationem genericam actus humani, sed secundum rationem specificam actus mali, secundum quam solum excludit rectitudinem: ergo si secundum rationem specificam actus mali non est capax rectitudinis, secundum quod est subiectum, affectum

tali carentia, non est capax rectitudinis: ergo carentia rectitudinis non afficit subiectum capax rectitudinis, ut est subiectum illius: ergo talis carentia non est privatio, sed negatio rectitudinis.

24 Contra tertio. Carentia rectitudinis, residens in actu malo, neque potest esse privatio respectu rationis specificæ actus mali, neque respectu rationis genericæ actus humani: ergo nullo modo potest esse privatio. Antecedens prima pars patet, ex eo quod ratio specifica actus mali sit incapax rectitudinis, ut dictum est. Secunda pars probatur. Carentia rectitudinis in actu malo est physicè, & realiter carentia eius; unde si talis carentia esset privatio respectu rationis genericæ actus humani, hæc deberet esse physicè, & realiter carens rectitudine: sed ratio generica actus humani non est physicè, & realiter carens rectitudine, sed præscisivè, & per rationem tantum, quatenus præscindit à recto, & non recto: ergo talis carentia rectitudinis non est privatio adhuc respectu rationis genericæ actus humani.

25 Contra quarto. Quia aliàs omnes actus mali haberent malitiam eiusdem rationis & gravitatis, quod est absurdum: ergo &c. Antecedens probatur. Omnes, & singuli actus mali secundum rationem genericam actus humani sunt ex se capaces omnis, & cuiuscunque rectitudinis, & sic secundum eam rationem genericam dicunt æqualiter privationem omnis, & cuiuscunque rectitudinis: ergo habent omnes malitiam eiusdem rationis, & gravitatis.

26 Contra quinto. Ad privationem non sufficit capacitas ad formam secundum rationem genericam solum: ergo licet actus malus secundum rationem genericam actus humani esset capax rectitudinis, si ista repugnet illi secundum rationem specificam actus mali, carentia eius non erit privatio. Antecedens patet. Nam aliàs carentia visus in lapide esset privatio, quia lapidi secundum rationem genericam substantiæ corporeæ non repugnat visus; carentia etiam rationalis in Leone esset privatio, quia Leoni secundum rationem genericam animalis non repugnat rationalitas; carentia item rectitudinis in quolibet actu intellectus esset privatio, quia illi secundum ratio-

nem genericam actus vitalis non repugnat rectitudo; imo cuiuslibet rei carentia esset priuatio, quia subiecto secundum rationem aliquam communem saltem entis non repugnaret res negata; quæ absurdissima sunt: ergo &c.

27 Nec dicas, Actui humano ut sic esse debitam rectitudinem, qua caret, quod non militat in exemplis adductis, & sic carentiam illam rectitudinis esse priuationem. Primò. Quia ad priuationem non requiritur, quod forma sit debita subiecto priuato, nec iuxta exigentiam eius, sed sufficit capacitas subiecti ad habendam illam, ut patet in mille priuationibus accidentium merè contingentium: ergo nulla est solutio. Secundò. Quia actui humano ut sic non potest esse debita rectitudo: ergo &c. Antecedens probatur. Tum quia actus humanus ut sic est indifferens ex se ad actum, cui debetur rectitudo, & ad actum, cui illa repugnat: ergo non est illi specialiter debita rectitudo. Tum quia actus indifferentes sunt vere actus humani, quibus tamen non est debita rectitudo. Tum quia rationi genericæ non potest esse debitum aliquid, quod non possit conuenire singulis inferioribus, ut talia sunt; inferioribus enim conuenire debet, quidquid competit superiori: sed actui malo ut sic non potest conuenire rectitudo: ergo hæc non potest esse debita actui humano ut sic.

28 Respondent secundò, carentiam rectitudinis, existentem in actu malo, esse priuationem, quia saltem in voluntate est capacitas ad talem rectitudinem, non solum physica, sed etiam moralis ratione obligationis ad illam. Contra. Capacitas formæ, requisita ad priuationem, debet esse in subiecto, in quo est priuatio: sed in actu malo non est capacitas ad rectitudinem: ergo in eo non est priuatio rectitudinis, non obstante capacitate voluntatis. Quod autem dicitur de obligatione voluntatis ad rectitudinem, impugno infra.

29 Censeo secundò. Formalis malitia peccati commissionis non consistit in priuatione, existente in voluntate, rectitudinis, debitæ inesse ipsi voluntati. Probatur primò. Ante hanc priuationem præcedit iam in peccato commissionis malitia formalis, ut inferius constabit: ergo &c. Probatur secundò. Formalis malitia est primò, & per se in actu malo, & ex hoc

redundat in voluntatem, quæ est mala denominatiuè à malitia actus: ergo priuatio, constituens talem malitiam, debet esse primò, & per se in actu malo: ergo non potest illam constituere priuatio, existens in voluntate, rectitudinis debitæ inesse ipsi.

30 Probatur tertio. Priuatio rectitudinis, existens in voluntate, non potest actum malum denominare priuatum rectitudinis, cum sit incapax rectitudinis: ergo nec potest illum denominare formaliter malum, vel denominatio mali in actu non consistet in priuatione. Probatur quarto. Non est assignabilis sufficiens ratio, cur carentia priuatiua rectitudinis, existens in voluntate, sit malitia formalis, & non carentia eiusdem negatiua, existens in actu malo, in quo primò, & per se debet residere malitia: ergo &c.

31 Probatur quinto. Nulla potest assignari rectitudo debita voluntati, cuius priuatio possit formalem malitiam constituere: ergo formalis malitia non stat in priuatione rectitudinis, debitæ voluntati. Antecedens probatur, discurrendo per duas illas rectitudines, memoratas supra num. 18. quæ assignari solent.

32 Et in primis talis rectitudo non potest esse conformitas priuatiua voluntatis cum præcepto negatiuo, prohibente actum malum, consistens in priuatione actus mali prohibiti, v. g. odij Dei. Primò. Quia sic priuatio talis rectitudinis, constituens malitiam formalem, est priuatio priuationis actus mali positivi: sed priuatio dictæ priuationis non potest constituere malitiam formalem: ergo &c. Minor probatur. Nam quidquid sit, an possit dari priuatio priuationis, (de quo differui in physicis,) ceterum priuatio primò, & per se tollitur semper per formam positiuam, & non per priuationem priuationis, consequentem formam positiuam, v. g. cæcitas priuans visu tollitur primò, & per se per formam visus positiuam, & non per priuationem cæcitatæ, consequentem visum; vade etiam in nostro casu priuatio actus mali tollitur primò, & per se per positiuam entitatem actus mali, & non per priuationem dictæ priuationis, consequentem ipsum actum malum: ergo malitia primaria actus mali constituetur potius per positiuam entitatem

tem eius, quam per priuationem priuationis eiusdem; malitia enim primaria actus mali constitui debet per id, quo primario tollitur, & excluditur rectitudo debita voluntati.

33. Secundò. Quia priuatio actus prohibiti præcisè sine vilo actu positio honesto, non est propriè bonitas, & rectitudo, vt fatentur etiam aduersarij: ergo eius priuatio non potest formalem malitiam constituere; hæc enim constitui debet per priuationem rectitudinis. Nec refert, priuationem actus prohibiti, licet non sit bonitas, esse conditionem, & viam ad bonitatem, scilicet ad actum bonum; priuatio autem conditionis, & viæ ad bonitatem est mala, sicut & priuatio ipsius bonitatis. Nam priuare se conditione, & via ad actum bonum, non est malum, quando non est obligatio ad actum bonum, vt patet in volente ire ad Ecclesiam, quando non viget obligatio audiendi Missam: ergo si hic, & nunc non sit obligatio eliciendi actum bonum dilectionis Dei, priuare se præcisè conditione, & via ad illum, qualis est priuatio actus prohibiti, iuxta aduersarios, non erit per se malum.

34. Deinde talis rectitudo voluntati debita, cuius priuatio possit formalem malitiam constituere, non potest esse actus bonus oppositus, debitus moralitèr voluntati ratione obligationis eliciendi illum. Primò. Quia si tota malitia peccati commissionis v. g. odij Dei consisteret in sola priuatione actus boni, moralitèr debiti voluntati v. g. amoris Dei, non esset maior, & grauior malitia peccati commissionis odij Dei, quam sit malitia peccati solius omissionis amoris Dei, quæ malitiæ consistit etiam in sola priuatione amoris Dei, moralitèr debiti voluntati: sed hoc est absurdum, cum constans sit, grauius peccari, odio habendo Deum, quam omittendo præcisè amorem eius præceptum: ergo tota malitia peccati commissionis odij Dei non stat in sola priuatione amoris Dei, moralitèr debiti voluntati, sed excessus malitiæ eius provenit ex positua entitate odij Dei, quæ non concurrit in peccato omissionis amoris Dei. Si autem excessus ille malitiæ admittatur desumi ex positua entitate odij Dei, tota etiam malitia eius poterit ex illa desumi, & nihil à tali priuatione.

35. Secundò. Quia calu, quo voluntas non posset elicere amorem

rem

rem Dei, vel ob repugnantiam intrinsecam ipsius, vel ob defectum diuini auxilij, vel concursus, aut alterius requisiti, sed esset solum libera ad odium Dei, & omissionem eius, adhuc tunc esset formalitèr malum odium Dei: sed tunc nulla esset in voluntate priuatio amoris Dei, moralitèr debiti; ergo formalis malitia odij Dei non stat in priuatione dicta. Minor patet. Tunc in voluntate non esset debitum, & obligatio eliciendi amorem Dei, debitum namque, & obligatio non potest esse ad impossibile: ergo non esset in illa priuatio amoris Dei, moralitèr debiti ratione alicuius obligationis ad ipsum. Et quamuis casus esset impossibilis, debet tamen supponi tanquam utilis ad indagandam veritatem præsentis quæstionis, sicut supponuntur alij similes casus impossibiles ad grauissimas quæstiones discutiendas.

36. Tertiò. Quia si per possibile, vel impossibile simul esse possent in voluntate odium, & amor Dei, nihileminus odium Dei esset formalitèr malum, & peccatum: sed tunc non esset in voluntate priuatio actus boni oppositi scilicet amoris Dei, quæ posset odium Dei constituere formalitèr malum: ergo formalis malitia odij Dei non provenit à priuatione actus boni amoris Dei, existente in voluntate.

37. Quartò. Quia odium Dei elicitum, est formalitèr malum, etiam quando nullum est debitum, & obligatio eliciendi amorem amicitæ, & charitatis erga Deum: sed tunc non est in voluntate priuatio amoris amicitæ erga Deum, moralitèr debiti voluntati: ergo in hac priuatione non potest consistere formalis malitia odij Dei.

38. Respondent, esse tunc in voluntate debitum, & obligationem eliciendi amorem amicitæ erga Deum saltem ex suppositione, quod vellet exercere aliquem affectum erga Deum, licet absolutè non esset debitum, & obligatio eliciendi illum. Contra primò. Quia ex tali suppositione non erat voluntas obligata potius ad amorem amicitæ erga Deum, procedentem à charitate, quam ad amorem concupiscentiæ, procedentem ab spe: ergo odium Dei ex se non priuaret potius rectitudine debita charitatis, quam spei: ergo non haberet malitiam potius contra charitatem, quam contra spem, quod dici

ROD.

non potest. Antecedens patet. Tum quia ex tali suppositione æquè erat possibilis voluntati amor amicitie, & concupiscentie erga Deum, & uterque æque habet oppositionem cum odio Dei, & hoc cum utroque amore dicto: ergo non erat voluntas obligata ad vnum potius amorem, quam ad alium. Tum quia aliàs voluntas, eliciens tunc amorem concupiscentie erga Deum, eoque impediens odium Dei, peccaret nihilominus, ac si eliceret odium Dei, quia careret rectitudine charitatis, specialitèr debita: ergo ex tali suppositione non erat voluntas obligata potius ad amorem amicitie, quam concupiscentie erga Deum.

39 Idem argumentum fieri potest in alijs peccatis. Nam qui furatur, ex suppositione quod vellet exercere aliquem affectum circa pecunias alienas, solum tenebatur velle non furari, quæ volitio posset æque haberi ex motivo iustitie, charitatis, misericordie &c. nec esset magis debita volitio non furandi ex motivo vnius, quam alterius virtutis: ergo furtum commissum æque haberet malitiam contra iustitiam, charitatem, misericordiam &c. quod sine absurdo concedi non potest. Præterea tunc homo ex tali suppositione posset sufficientèr satisfacere obligationi, quam habet, volens non furari ex motivo malo vanæ gloriæ: ergo tunc nulla esset debita rectitudo: ergo furtum commissum nulla rectitudine debita priuaret; & nihilominus esset formalitèr malum: ergo eius malitia non stat in priuatione rectitudinis debitæ.

40 Contra secundò. Non urgente præcepto charitatis, voluntate esse obligatam ad amorem Dei ex suppositione, quod sit elicitura amorem, vel odium eius, nihil aliud est, quam esse obligatam ad non habendum odium Dei; illa namque obligatio non respicit, & intendit per se amorem Dei, vel aliam actum bonam, sed per accidens, quatenus est necessarius ex tali suppositione ad carentiam odij Dei, quam per se respicit, & intendit obligatio illa; unde tota illa obligatio est per se ad solam carentiam odij Dei: ergo odium Dei, elicitum tunc, nulla alia rectitudine debita priuat, nisi priuatione odij Dei: sed malitia odij Dei non potest stare in priuatione priuationis odij Dei, ut iam supra ostensum est. ergo &c.

Conj

¶ Censeo tertio. Formalis malitia peccati commissionis non consistit in carentia rectitudinis debitæ, existente in actu malo, quæ respectu actus mali sit negatio, & respectu voluntatis sit priuatio moralis. Probatur primò. Negatio rectitudinis in actu malo est distincta à priuatione rectitudinis in voluntate: ergo non potest eadem carentia esse negatio rectitudinis respectu actus mali, & priuatio eiusdem respectu voluntatis. Antecedens probatur. Tum quia respiciunt, & negant diversos terminos: priuatio enim rectitudinis in voluntate est carentia solum existentie eius in voluntate, negatio vero rectitudinis in actu malo est carentia idempræteritatis cum rectitudine, vel saltem alterius termini distincti ab existentia rectitudinis in voluntate: ergo sunt inter se distinctæ. Tum quia si per possibile, vel impossibile essent simul in voluntate amor, & odium Dei, adhuc in odio Dei esset negatio rectitudinis amoris Dei; & nihilominus in voluntate non esset priuatio eius: ergo negatio rectitudinis amoris Dei in odio Dei, distincta est à priuatione eiusdem rectitudinis in voluntate. Tum quia negatio formæ Leoninæ in anima rationali est distincta à priuatione eiusdem formæ Leoninæ in materia; illa enim negatio perseverat in anima rationali separata, etiam quando materia non habet priuationem formæ Leoninæ: ergo etiam negatio rectitudinis in actu malo erit distincta à priuatione eiusdem in voluntate.

42 Probatur secundò. Carentia illa rectitudinis debitæ, existens in actu malo odij Dei, & constituens formalem malitiam eius, vel esset respectu voluntatis priuatio rectitudinis debitæ ipsi voluntati, vel ipsi odio Dei. Primum dici non potest ob rationes secundæ conclusionis. Neque secundum. Nam odio Dei est omnino impossibilis rectitudo: ergo non est ei debita rectitudo, nec in voluntate debitum, & obligatio apponendi illi rectitudinem; debitum enim, & obligatio voluntatis non potest esse ad impossibile. Unde consequenter fit, in voluntate non posse esse priuationem rectitudinis, debitæ odio Dei, cum in ea nulla sit capacitas ad communicandam odio Dei rectitudinem, ut similiter discurrebamus in prima conclusione. Præterea quod negatio rectitudinis, existens in actu

actu malo, non possit formalem eius malitiam constituere, statim conuincio contra secundam opinionem.

43 Secunda opinio dicit, formalem malitiam peccati commissionis consistere in negatione rectitudinis, existente in actu malo, & disconueniente naturæ rationali vt sic. Ita nonnulli Recentiores.

44 Censeo quartò. Formalis malitia peccati commissionis non consistit in negatione rectitudinis, existente in actu malo. Probatu primo. Hæc negatio rectitudinis supponit iam in actu peccaminoso totam malitiam formalem, vt constabit ex inferiùs dicendis in hac disputatione: ergo &c.

45 Probatu secundo. Actus malus odij Dei non est malus, & disconueniens naturæ rationali vt sic ex hoc præcisè, quod habeat negationem rectitudinis; cum talem negationem rectitudinis habeat etiam actus voluntatis indifferens, qui tamen non est formalitèr malus, & disconueniens naturæ rationali vt sic: ergo præter hanc negationem rectitudinis communem actui malo odij Dei, & actui indifferenti, aliquod aliud prædicatum speciale habet actus odij Dei, ratione cuius sit specialitèr malus, & disconueniens naturæ rationali vt sic, quod non habet actus indifferens: ergo in tali prædicato speciali consistet formalis malitia eius potius, quàm in dicta negatione rectitudinis communi; quod prædicatum speciale nihil aliud esse potest, nisi positua tendentia talis actus ad obiectum prauum, scilicet ad non esse Dei, quàm tendentiam non habet actus voluntatis indifferens. Confirmo. Calor non est malus, & disconueniens aquæ ratione negationis frigoris; cum talem negationem habeat etiam grauitas, quæ tamen non est mala, & disconueniens aquæ, sed est solum illi malus, & disconueniens ratione propriæ entitatis posituæ caloris: ergo similiter odium Dei non erit in aliam, & disconueniens naturæ rationali vt sic ratione negationis rectitudinis, sed ratione propriæ entitatis posituæ.

46 Probatu tertio. Talis negatio rectitudinis, constituens formalem malitiam actus mali odij Dei, vel esset negatio rectitudinis, debitæ ipsi voluntati, vel ipsi odio Dei. Non primum ob rationes secundæ conclusionis. Neque secundum.

Nam

Nam quomodo potest odio Dei esse debita rectitudo, quæ est ei omnino impossibilis, & repugnans?

47 Tertia opinio vult, formalem malitiam peccati commissionis consistere in aggregato ex positua entitate actus mali, & priuatione rectitudinis. Ita Victoria, Sotus, Tannerus, & alij; ex quibus aliqui contendunt, talem malitiam secundum gradum genericum esse priuationem, & secundum gradum specificum esse quid posituum: Alij constituunt in peccato commissionis duplicem malitiam, vnam absolutam, in priuatione consistentem, & aliam respectiuam, consistentem in posituum. Alij putant, dicere in recto posituum, & in obliquo priuationem.

48 Censeo quinto. Formalis malitia peccati commissionis non consistit in aggregato ex entitate positua actus mali, & priuatione rectitudinis. Probatu facile ex dictis. Priuatio rectitudinis, constituens talem malitiam simul cum entitate positua actus mali, vel esset priuatio, existens in actu malo, rectitudinis debitæ ipsi actui, vel priuatio, existens in voluntate, rectitudinis debitæ ipsi voluntati. Primum dici non potest ob rationes primæ conclusionis. Neque secundum ob rationes secundæ conclusionis: præfatæ namque rationes, vna, vel altera excepta, & que conuincunt, talem malitiam non posse constitui, nec per solam priuationem, existentem in voluntate, rectitudinis debitæ ipsi voluntati, nec per istam simul cum entitate positua actus mali, vt perpendiculari constabit.

49 Quod si ad effugiendas plures ex dictis rationibus, afferatur, priuationem, constituentem talem malitiam simul cum posituo actus mali, non esse priuationem rectitudinis debitæ, sed rectitudinis solum, præcisue à debito. Impugnandum id erit. Nam si sermo sit de priuatione rectitudinis, existente in actu malo, nullam ex rationibus primæ conclusionis effugiēt, id asserentes; omnia enim ibi dicta probant, in actu malo non posse esse priuationem vllius rectitudinis, siue debitæ, siue non. Si verò sermo sit de priuatione rectitudinis, existente in voluntate contra hoc instrui possunt etiam omnes ferè rationes secundæ conclusionis, demptis solum prima, & quarta probatione, adductis in confirmationem secundæ partis. ante-

C

ce-

cedentis quintæ rationis, vt patebit consideranti.

30 Hinc fit, nec posse malitiam formalem peccati commissio-
nis constitui in aggregato ex positio actus mali, & negatione
rectitudinis. Nam si semel admittatur, talem malitiam in po-
sitio consistere, cur tota malitia non consistet in solo positi-
uo? Præsertim cum solum positium distinguat primario actus
malum ob actu indifferente, & non negatio rectitudinis, vt
dictum est supra.

31

PUNCTUM II.

*Doctrina precedentis Puncti illustratur ampli-
us obiectionum solutione.*

32 **E**X superiori puncto constat, formalem malitiam peccati
commissio- nis constituendam esse in positio, quamuis,
quid illud sit, difficile declaratur, vt videbimus infra: ante
eius autem declarationem oportet prius satisfacere obiectioni-
bus, quæ contra precedentis puncti doctrinam fieri pos-
sunt.

33 Obijcies primò plura Patrum testimonia, Dionysij, Nyfeni,
Anselmi, Augustini, Fulgentij, Isidori, Athanasij, Nazianze-
ni, Hieronymi, Ambrosij, Epiphaniij, Damasceni, & aliorum
apud Vasquez in 1. 2. disp. 95. cap. 4. & apud Salas in 1. 2.
tract. 13. disp. 2. sect. 3. qui omnes videntur, malitiam peccati
in priuatione constituere. Quidam enim aiunt, malum non esse
naturam non habere esse, & essentiam, imò & esse nihil. Alij
verò illud vocant corruptionem, defectum, imbecillitatem,
declinationem, & absentiam rectitudinis, priuationem scienti-
æ, fidei, iustitiæ, boni, actionum, & affectionum honestarum:
qui modi loquendi, & alij similes, in Parribus frequentes, pla-
nè denotant, malitiam peccati, non in positio, sed in priuati-
uo constituendam esse.

34 Respondeo, in primis aliquos Patres solum contendere, ma-
lum, & peccatum non esse substantiam contra Manicheos,

CON

constituentes aliquas substantias per se malas, & prauas, &
ideo contra illos asseriebant, malum, & peccatum non esse na-
turam, id est, substantiam in sensu Aristotelico, secundum
quem nomine naturæ intelligitur absolutè substantia: item
non habere esse, & essentiam, scilicet substantialem, & esse ni-
hil, scilicet substantiale. Alij verò Patres, vocantes peccatum,
& malum priuationem, absentiam, & defectum iustitiæ, re-
ctitudinis &c. explicant peccatum, & malum à posteriori per
rem nobis magis notam: sæpè enim res positivas solemus ex-
plicare per negationem oppositi, nobis magis notam, etiam si
illæ non consistant in tali negatione, vt brutum per irrationa-
le, substantiam per independentiam à subiecto &c. credibile
autem est, Patres fuisse parum sollicitos de declaranda meta-
physica hac Scholasticorum questione circa formale constitu-
tium formalis malitiæ peccati commissio- nis.

35 Obijcies secundò varia loca Sancti Thomæ, in quibus San-
ctus Doctor videtur, constituere peccatum, eiusque malitiam
in priuatione boni; sic enim loqui videtur 3. contra gentes cap.
9. & de malo q. 2. art. 1. ad 4. & 1. 2. q. 18. art. 1. & q. 71. art.
6. & q. 72. art. 1. ad 2. & q. 73. art. 2. & q. 75. art. 1. & alibi
ergo contra Sanctum Thomam constituitur malitia in positi-
uo.

36 Cæterum quamuis in his locis Sanctus Thomas videatur
constituere formalem malitiam peccati in priuatione, tamen
alijs in locis eam expressè constituit in positio. Nam 1. 2. q.
18. art. 5. ait, *Manifestum est, quod bonum, & malum diuersificant
speciem in actibus moralibus: diuersitas autem specifica in acti-
bus posituis, quales sunt actus morales, debet esse positua. Et
cum contra hanc doctrinam sibi obiecisset Sanctus Doctor,
malum esse priuationem, & non ens, & sic non posse esse diffe-
rentiam specificam vllius actus humani, respondet, Ad secun-
dum dicendum, quod malum importat priuationem, non absolutam,
sed consequentem talem potentiam; dicitur enim malus actus secun-
dum suam speciem, non ex eo, quod nullum habeat obiectum, sed quia
habet obiectum non conueniens rationi; unde in quantum obiectum
est aliquid positue, potest constituere speciem mali actus; vbi ex-
pressè asserit, malum esse quid positium, quod importat pri-
uati-*

C 2

uatic

uationem consequenter. Et q. 19. art. 1. similiter dicit, bonum, & malum esse specificas differentias actuum, & concludit, *bonum, & malum in actibus voluntatis propriè attenditur secundum obiecta*, id est, secundum tendentiam actuum ad obiecta.

37 Et q. 72. art. 1. asserit, priuationem in actu malo, quam vocat in ordinationem, se habere per accidens in peccato, & sic ab ea non posse sumi speciem peccatorum, *Quia ea*, (verba sunt Sancti Thomæ) *quæ sunt per accidens, sunt extra rationem speciei, & ideo peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntarium magis, quam ex parte inordinationis, in peccato existentis. Et concludit, Unde sequitur, quod peccata propriè distinguuntur specie secundum obiecta. Quare in responsione ad secundum sic loquitur, Peccatum non est pura priuatio, sed est actus, debito ordine priuatus, & ideo peccata magis distinguuntur specie secundum obiecta actuum, (id est secundum tendentiam actuum ad obiecta,) quam secundum opposita. Nec ex hoc modo loquendi Sancti Thomæ inferri debet, peccatum constitui ex actu, & priuatione: nam verba illa Sancti Doctoris, *est actus, debito ordine priuatus*, solum significant, peccatum esse illum actum, quem sequitur priuatio. Similiter loquitur Sanctus Thomas alijs in locis passim occurrentibus.*

38 Quæ propter non concordant Doctores, quænam fuerit mens Sancti Thomæ circa malitiam formalem peccati commissionis. Nam aliqui sentiunt, sanctum Doctorem eam constituere in priuatione: Alij, in positio: & alij, in utroque simul. Vasquez verò, & Granada dicunt, valde dubium esse, quæ ex his tribus sententijs adscribenda sit Sancto Thomæ, præsertim cum nec ipsi Thomistæ aliquid firmiter reuerint. Vnde dicendum est, Sanctum Thomam, vel quamlibet ex his sententijs probabilem iudicasse, & sic modo vnâ, modo aliam docuisse pro libito, vel explicasse solum à posteriori malitiam formalem peccati commissionis per priuationem, quæ est malitia secundaria peccati, in locis ex aduerso allegatis, in quibus videtur ponere peccatum in priuatione.

39 Obijcies tertio. Si formalis malitia peccati commissionis non esset carentia, sed aliquid posituum, Deus esset causa peccati, non solum quoad materiale eius, sed etiam quoad formales

male; Deus enim est causa, concurrens ad omnem entitatem posituum: item eodem modo causaret actus malos, ac bonos: sed hoc est absurdum: ergo &c. Cæterum hæc obiectio soluenda est etiam ab aduersarijs, constituentibus malitiam in carentia. Nam vt aliquis sit causa carentiæ, constituentis formalem malitiam peccati iuxta contrariam sententiam, non requiritur, vt immediatè influat in illam, sed sufficit, vt immediatè influat in entitatem posituum actus, ad quam necessario sequitur talis carentia, & malitia; homo enim iuxta contrariam sententiam censetur causa talis carentiæ, constituentis formalem malitiam, non quia immediatè influat in illam, sed quia causat entitatem posituum actus mali, ad quam necessario sequitur malitia, & carentia dicta: sed Deus est causa influens in entitatem actus mali, ad quam necessario sequitur carentia, constituens formalem malitiam: ergo & erit causa talis carentiæ, & malitiæ.

40 Respondeo igitur, Deum esse causam materialis, & formalis peccati, non moralem, & per se, sed quasi physicam, & permissiuam tantum, quia licet concurrat ad materiale peccati, & ad malitiam formalem eius, tamen non concurrat ex intentione, & complacentia eius, illud scilicet intendendo, desiderando, procurando, aut mouendo ad eius commissionem, aut complacendo in illo, imo illud prohibendo, & optando, ne fiat, & præbendo auxilia, vt illud vitemus: vnde solum concurrat ad illud per voluntatem quandam ex se inefficacem, subordinatam in operando determinationi voluntatis, quantum est ex parte sua, vult concurrere cum nostra voluntate ad peccatum, hocque non impedire, vt satisfaciat præcisè muneris causæ vniuersalis; & propterea non tribuitur Deo peccatum etiam quoad materiale eius, vt declaravi disp. 2. de Providentia cap. 6. & 8. Hoc autem aliter contingit respectu actus boni, quia licet Deus simili etiam voluntate inefficaci ex se concurrat ad illum, tamen vult ad illum concurrere ex complacentia, & desiderio ipsius, quatenus complacet in honestate talis actus, eiusque positionem desiderat, intendit, & procurat, ad eam suis auxilijs alliciendo, mouendo, & adiuuando nostram voluntatem; & sic est verè causa moralis, & per se actus

actus boni, huiusque positio tribuitur Deo. Vnde fit, Deum non eodem modo causare actus malos, ac bonos, cum ad hos concurrat ut causa moralis per se, & ad illos ut causa mere physica, & permissiua, quod non dicit ullam indecentiam. Hunc diuersum modum concurrenti ad actus bonos, & malos expressit Tridentinum sess. 6. can. 6. dicens, *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium eius non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Ex quo patet, quam sine fundamento nonnulli hæc Tridentini verba proponant contra nostram doctrinam.

61 Obijcies quartò. Peccata commissionis, & omissionis vniuoce conueniunt in ratione peccati; sed peccatum omissionis est formaliter priuatio: ergo similiter peccatum commissionis erit formaliter priuatio, & non quid positium; nam ad positium, & priuatum nulla potest esse ratio vniuoca. Respondeo, maiorem esse falsam, si sermo sit de peccatis commissionis, & omissionis puræ, secundum quod dicunt in recto, quia sic vnum est positium, & aliud priuatum, ad quæ nulla potest esse ratio vniuoca: si vero sermo sit de ipsis, secundum quod dicunt in obliquo, scilicet secundum rationem extrinsecam liberi, & imputabilis ad culpam, & pœnam, secundum rationem disconuenientis cum iudicio rationis, & similibus, sic non repugnat, ea vniuoce conuenire. Locutus sum in solutione de peccato omissionis puræ: certum enim est, peccatum omissionis non puræ, ut pote consistens in actu positiuo, inductiuo omissionis, conuenire vniuoce cum peccato commissionis, etiam secundum quod ea dicunt in recto.

62 Obijcies quintò. Quando bonitas aliqua est absoluta, malitia opposita debet esse carentia illius; sic quia bonitas transcendentalis, consequens ens, est absoluta, scilicet integritas, & connexio positiva prædicatorum entis, malitia illi opposita, est carentia talis bonitatis, & integritatis: sed bonitas moralis actus virtuosus est absoluta, & non respectiua: ergo malitia moralis, illi opposita, erit carentia talis bonitatis.

63 Respondeo, minorem fortè esse falsam, quia bonitas moralis

is actus virtuosus est saltem respectiua ad obiectum, in quod tendit actus virtuosus. Sed ea in præsentia permissa, nego maiorem vniuersaliter acceptam; non enim qualibet malitia, opposita bonitati absolutæ, debet esse carentia talis bonitatis. Et quamuis id verum sit de malitia, opposita bonitati transcendentali, hoc tamen non prouenit ex eo, quod bonitas transcendentalis sit absoluta, sed quia bonitas transcendentalis est integritas positiva prædicatorum præcisè, quæcunque illa sit, & sic quodcunque ens est bonum bonitate transcendentali; vnde malitia illi opposita, non potest esse ens, sed negatio entis, & integritatis positivæ dictæ: at bonitas moralis non est præcisè integritas in ratione entis moralis, cum actus peccaminosus sit ens morale, habens integritatem requisitam ad ens morale, & tamen non sit moraliter bonus, sed malus; sed est specialis integritas moralis, in qua fundatur conuenientia cum natura rationali ut sic, cum recta ratione &c. cui immediatè opponitur alia specialis integritas moralis positiva, fundans disconuenientiam cum natura rationali ut sic, cum recta ratione &c. in quocunque illa consistat, de quo infra; & in hac integritate morali consistit malitia moralis, & non in carentia bonitatis moralis.

64 Si verò inquiras, in quo differant bonitas transcendentalis, & bonitas moralis Respondeo, bonitatem transcendentalem ut sic differre à bonitate morali, quia illa extenditur ad omnia entia, omnesque eorum formalitates, hæc verò est propria actus honesti bonitatem verò transcendentalem, residentem in actu honesto, differre à bonitate morali, quia bonitas transcendentalis transcendit omnia, & singula prædicata actus honesti etiam communia, v.g. accidentis, qualitatis, actus vitalis &c. ita ut quodlibet ex his prædicatis eo ipso, quod sit ens, sit etiam bonum bonitate transcendentali: at bonitas moralis non transcendit omnia, & singula prædicata actus honesti, sed est solum differentia specifica eius. Adde, bonitatem transcendentalem, inbibitam in differentia specifica actus honesti non differre à bonitate morali, nisi ad summum ex parte modi concipiendi, quia scilicet talis differentia specifica concipitur transcendentaliter bona, quatenus concipitur habere integre,

quidquid requiritur ad suam essentiam; concipitur verò moraliter bona, quatenus concipitur vt entitas, quæ ex se apta est ad fundandam conuenientiam cum natura rationali vt sic, cum recta ratione &c.

65 Obijcies sextò. Si malitia formalis peccati commissionis esset ens positium, esset etiam in se bona, bonum enim conuertitur cum ente: ergo nequit esse in se, aut alteri mala. Patet consequentia. Nam quod est in se bonum, & perfectum, non potest esse in se, aut alteri malum, nisi ratione alicuius priuationis distinctæ. Respondeo, distinguens maiorem, esset etiam in se bona transcendentaliter, & physicè, quatenus nihil ei deest ad suam essentiam, concedo; moraliter, nego. Et distinguo consequens, nequit esse in se, aut alteri mala transcendentaliter, & physicè, transeat; moraliter, nego. Ad probationem nego antecedens: Nam calor, in se physicè, & transcendentaliter bonus, est malus aquæ, item error, & dolor, in se physicè, & transcendentaliter boni, sunt homini mali ratione entitatis positivæ. Similiter in nostro casu malitia moralis, in se physicè, & transcendentaliter bona, est moraliter mala, quia ea ipsa integritas prædicatorum, quæ illam constituit physicè, & transcendentaliter bonam, est moraliter mala, & indecens, quatenus est entitas, quæ potens est ex se, fundare disconuenientiam cum natura rationali vt sic, cum recta ratione &c. & ad summum in ea different bonitas transcendentalis, & malitia moralis ex parte modi concipiendi iuxta superius dicta.

66 Obijcies septimò. Formalis malitia peccati commissionis est maximum malum in genere moris: sed sola priuatio rectitudinis debitæ potest esse maximum malum in genere moris: ergo in tali priuatione consistit malitia dicta. Respondeo, negans minorem: Nam maius malum est in genere moris positiva entitas peccati, quæ est radix talis priuationis, quam priuatio ipsa, præsertim cum in actu indifferente detur carentia rectitudinis sine malitia formali morali; & casu impossibili, quo fieret impossibilis actus bonus, vel coniungerentur peccatum, & actus bonus in voluntate, daretur tota malitia formalis peccati commissionis sine priuatione rectitudinis debitæ.

67 Obij.

67 Obijcies octauò. Actus moraliter malus, vel habet omnia requisita ad perfectionem moralem, vel non. Si primum: ergo non erit moraliter malus, sed bonus. Si secundum: ergo erit malus ob carentiam requisitorum ad perfectionem moralem. Respondeo, committi æquiuocationem in obiectione: Nam vel nomine perfectionis moralis intelligitur integritas prædicatorum, requisita ad esse actus moralis præcisè, vel honestas, fundans conuenientiam cum natura rationali vt sic, & cum recta ratione. Si prima, dico, actum malum habere omnia requisita ad talem perfectionem moralem, ex quo non sequitur, esse moraliter bonum; nam illa eadem integritas prædicatorum, requisita ad esse actus moraliter mali, est in se inhonesta, & moraliter mala. Si secunda, dico, non habere requisita ad perfectionem moralem; nec inde inferri potest, esse moraliter malum ob carentiam talium requisitorum, sed ratione entitatis positivæ, in qua fundatur carentia illa.

68 Obijcies nonò. Actus virtuosus est bonus, quia habet rectitudinem: ergo actus vitiosus erit malus, quia caret rectitudine. Respondeo, distinguens consequens, actus vitiosus erit malus primario, & formaliter, quia caret rectitudine, nego; consequenter, & secundario, concedo: primatio autem, & formaliter solum est malus ratione entitatis actus vt affectæ circumstantijs foedantibus illam, ex qua vt sic oritur carentia rectitudinis.

69 Obijcies decimò. Posita carentia rectitudinis debitæ, intelligitur actus malus, & ea sublata, vel præcisa, non intelligitur malus: ergo constituitur malus per dictam carentiam. Respondeo, posse negari antecedens, siue sermo sit de carentia rectitudinis, existente in voluntate, siue de carentia rectitudinis, existente in actu: de prima quidem, quia casu quo esset impossibilis actus bonus, vel coniungerentur in voluntate actus bonus, & malus simul, adhuc hic actus intelligeretur malus, non stante tunc in voluntate carentia rectitudinis debitæ: de secunda etiam, quia actus indifferens habet etiam carentiam rectitudinis debitæ, & tamen non intelligitur malus. Permissio etiam antecedente, posset negari consequentia: nam licet actus non constitutur malus per carentiam rectitudinis, adhuc pos-

D

set

set verificari, quod, posita tali carentia, intelligitur actus malus, & ea sublata, vel præcisa, non intelligitur malus, ex eo quod malitia actus sit essentialiter connexa, & inductiva talis carentiæ, & ideo, stante tali carentia, stat malitia actus, & illa non stante, non stat ista. Sicut etiam, posita negatione rationalis in animali, intelligitur brutum, & sublata, vel præcisa tali negatione, non intelligitur brutum; & tamen inde non sequitur, brutum constitui per negationem rationalis, sed per differentiam positivam, essentialiter connexam, & inductivam talis negationis.

70 Obijcies undecimo. Malitia peccati contrariatur naturæ rationali ut sic: sed omnis contrarietas includit carentiam alicuius formæ: ergo & malitia peccati. Respondeo, minorem esse falsam, ut patet in bonitate morali, quæ contrariatur malitiæ, & tamen non includit carentiam aliquam, sed tota ipsa positiva est, ut fatentur etiam aduersarij. Vnde contrarietas unius cum alio non includit carentiam formæ oppositæ, sed entitatem positivam, inductivam ex se talis carentiæ.

71

CAPUT III.

Septem opiniones constituentes in positivo malitiam formalem peccati commissionis.

72 **R**iectis opinionibus, constituentibus in carentia malitiam formalem peccati commissionis, restant examinanda opiniones, illam in positivo constituentes, ex quibus septem examinamus in hoc capite.

(O.)

PVN

PUNCTUM I.

Quatuor ex his opiniones impugnatae.

74 **P**rima opinio putat, formalem malitiam peccati commissionis consistere in modo positivo intrinseco, superaddito entitati actus, affecti iam omnibus circumstantijs, ad eius malitiam requisitis. Ita Zumel in 1. 2. q. 71. art. 6. disp. 5. concl. 3. & disp. 6. concl. 1. & 2. & disp. 7. concl. 1. Curiel ibidem, Cornelio disp. 4. dub. 11. & plures Recentiores ex his, qui in Logica Relationem prædicamentalem, Vbi, Situm, Quando, & Habitu constituant in modo positivo intrinseco: quem modum vocant aliqui physicum, & alij moralem, medium inter eas physicum reale, & rationis.

75 Censeo primò. Formalis malitia peccati commissionis non consistit in hoc modo intrinseco superaddito. Hæc conclusio probari facile posset ex dictis in Logica, ubi impugnaui fuscè similes modos superadditos. Etenim sublato, aut præciso tali modo superaddito, actus odij Dei v. g. est formaliter malus: ergo malitia eius non consistit in tali modo. Antecedens probatur. Primò. Quia, sublato, aut præciso tali modo, actus odij Dei est formalis tendentia prosecutiva ad obiectum malum, scilicet ad non esse Dei: ergo est formaliter malus; prosecutio enim obiecti mali non potest non esse mala. Secundò. Quia, sublato, aut præciso tali modo, actus odij Dei, ratione tendentiæ prosecutivæ obiecti mali, est obiectum odij Divini, & pœna dignus, si aduertentè fiat: ergo est formaliter malus. Tertiò. Quia, sublato, aut præciso tali modo, actus odij Dei habet aliquid speciale, quod non est in actu bono, aut indifferente, illumque ab his distinguens: ergo hoc speciale erit malitia formalis; quomodo enim potest actus odij Dei differre ab actu bono, & indifferente, nisi ratione malitiæ formalis? Antecedens probatur. Modus ille resultat specialiter ex actu odij Dei, & non ex actu bono, aut indifferente: ergo actus odij Dei

Dei ante talem modum habet aliquid speciale, ex quo specialiter resultet ille modus, quod non est in actu bono, aut indifferente: ergo hoc speciale habebit actus odij Dei, etiam sublato, aut præciso tali modo. Confirmo. Actus honestus absque ullo modo intrinseco superaddito est formaliter bonus, ut patet, idque magis constans est in actibus honestis. Divinæ voluntatis, qui sunt formaliter boni sine modo intrinseco, in ipsis recepto: ergo etiam actus vitiosus absque ullo modo intrinseco superaddito erit formaliter malus.

76. Dices, actum odij Dei sublato, aut præciso tali modo, solum esse fundamentaliter malum, per modum verò reddi formaliter malum. Contra, quia si inquiramus, cur actus odij Dei, sublato, aut præciso tali modo, non sit formaliter malus; Responderi solet per quæstionem, *quia deficit modus*: in quo manifestè petitur principium; debet enim reddi ratio, cur requiratur modus, ut ille actus sit formaliter malus, cuius rei nullam rationem reddere possunt; præsertim quia cum, sublato, aut præciso tali modo, odium Dei sit formaliter persecutio obiecti mali; si talis persecutio concedatur aliquo modo mala, erit sine dubio formaliter mala.

77. Nec dici potest, ideo requiri talem modum intrinsecum superadditum, quia tota entitas odij Dei potest esse ex se, quin sit formaliter mala, ut in odio Dei indeliberatè elicitò, & sic debet esse formaliter mala per modum intrinsecum superadditum. Nam licet vera esset hæc doctrina, de quo infra, ex ea ad summum inferri potest, ad formalem malitiam odij Dei præter entitatem eius requiri aliquid accidentale, & extrinsecum, scilicet libertatem, vel aliquid aliud iuxta inferiùs dicenda; hæc tamen accidentale esse modum intrinsecum superadditum, inde inferri non potest.

78. Secunda opinio asserit, formalem malitiam peccati commissionis consistere in oppositione, & disconformitate extrinseca actus mali cum lege prohibente, quæ est denominatio extrinseca, desumpta ab ipsa lege prohibente. Ita multi ex antiquis Theologis, quos secuti sunt nonnulli Recentiores.

79. Censeo secundo. In peccato commissionis est aliqua malitia formalis, quæ non consistit semper in disconformitate extrin-

trinseca actus cum lege prohibente. Probatur. In actibus prohibitis quia malis, v. g. odio Dei, mendacio, homicidio &c. formalis malitia est prior à quo prohibitione legis, atque adeo & disconformitate ipsorum cum lege prohibente: ergo talis malitia non stat in disconformitate extrinseca eorum actuum cum lege prohibente. Antecedens probatur. Dicti actus non sunt ideo mali, quia lege prohibiti, sed ideo sunt lege prohibiti, quia mali: ergo formalis malitia eorum erit prior à quo prohibitione legis, atque adeo & disconformitate cum ipsa. Dixi, *semper*, propter actus malos quia prohibitos, quorum formalis malitia inuoluit denominationem extrinsecam, desumptam à lege prohibente, ut infra videbimus. Quomodo verò intelligendi sint aliqui Patres, præsertim Augustinus, Ambrosius, & S. Thomas declarantes, & definiens peccatum per disconformitatem, & oppositionem cum lege prohibente, videbimus infra.

80. Tertia opinio docet, formalem malitiam peccati commissionis consistere in denominatione extrinseca disconformitatis cum iudicio rectæ rationis, & ab hoc desumpta. Ita multi Recentiores.

81. Censeo tertio. In peccato commissionis est aliqua malitia formalis, quæ non consistit in denominatione extrinseca disconformitatis cum iudicio rectæ rationis, & ab hoc desumpta. Probatur primo. Vel hoc iudicium rectæ rationis iudicat actum voluntatis esse malum, & consequenter non esse faciendum, vel iudicat, esse malum obiectum talis actus: sed in peccato commissionis est aliqua malitia formalis, quæ à neutro ex his iudicijs desumi potest: ergo est in illo aliqua malitia formalis, quæ non consistit in denominatione extrinseca disconformitatis, desumpta à iudicio rectæ rationis. Minor probatur. Non à primo iudicio. Nam volitio homicidij v. g. non ideo est mala, quia à iudicio rectæ rationis iudicatur mala, sed è conuerso ideo iudicatur mala, quia in se mala est, & in honesta: ergo tale iudicium supponit iam aliquam malitiam, quæ non poterit, à tali iudicio desumi.

82. Non à secundo iudicio. Tum quia quando obiectum est aliqua operatio externa mala, ut in volitione homicidij, iudicium

cium rectæ rationis communiter non iudicat, esse malum obiectum utcumque, sed esse malum, illud voluntarie facere: ergo tale iudicium iudicat simul, esse malam volitionem eius: ergo malitia talis volitionis supponitur ad tale iudicium, est que independens ab ipso, & sic non potest ab ipso desumi. Tum quia eo ipso quod obiectum sit malum, debet esse mala volitio eius, ita ut implicet, esse malum, & inhonestum obiectum, quin sit etiam mala, & inhonesta volitio eius: sed obiectum est malum, & inhonestum independentèr à dicto iudicio, iudicante, illud esse malum, & inhonestum: ergo similiter volitio eius erit mala, & inhonesta independentèr ab eodem iudicio. Minor patet ex dictis. Nam illud obiectum non ideo est malum, & inhonestum, quia à dicto iudicio iudicatur malum, & inhonestum, sed è conuerso ideo iudicatur malum, & inhonestum, quia in se malum est, & inhonestum: ergo in tali obiecto supponitur aliqua malitia antecedentèr ad tale iudicium, & independentèr ab ipso.

83 Ex quo ulterius sic arguo. Nam si eo ipso, quod obiectum est malum, est mala etiam volitio eius, profecto iudicium, iudicans, esse malum obiectum, eo ipso virtualiter saltem iudicat, esse malam volitionem eius; sicut lex prohibens obiectum, hocque reddens malum, & illicitum, eo ipso virtualiter saltem prohibet volitionem eius, eamque reddit malam, & illicitam: ergo talis volitio est mala antecedentèr, & independentèr à tali iudicio, & sic ab hoc non potest desumi illius malitia.

84 Et hæc doctrina non solum est vera in actibus voluntatis prohibitis quia malis, sed etiam in actibus voluntatis malis quia prohibitis, v.g. in volitione comedendi carnes die veneris. Nam etiam volitio hæc comedendi carnes die veneris non ideo est mala, quia iudicio rectæ rationis iudicatur mala, sed è conuerso ideo iudicio rectæ rationis iudicatur mala, quia in se mala est ratione prohibitionis; cumque hæc prohibitio existat antecedentèr ad tale iudicium rectæ rationis, & independentèr ab ipso, per ipsam redditur necessario mala comestio carnum die veneris, eiusque volitio, antecedentèr ad tale iudicium, & independentèr ab ipso.

85 Probatu secundo. Malitia formalis volitionis homicidij, aut

aut esus carnum die veneris est fundamentum, ubi fundatur disconformitas talis volitionis cum iudicio rectæ rationis: ergo talis malitia non consistit in hac disconformitate. Antecedens probatur. Disconformitas cum iudicio rectæ rationis fundatur specialiter in volitione homicidij, aut esus carnum die veneris, & non in nolitione ipsorum, aut in alio actu indifferente: ergo aliquid est speciale in volitione talium obiectorum, ratione cuius sit fundamentum disconformitatis cum iudicio rectæ rationis, quod non est in nolitione ipsorum, aut alio actu indifferente: sed hoc speciale non potest esse nisi malitia, & inhonesta volitionis talium obiectorum, quæ non est in nolitione ipsorum, aut alio actu indifferente, cum aliud assignari non possit: ergo malitia formalis volitionis talium obiectorum est fundamentum, ubi fundatur disconformitas dictæ volitionis cum iudicio rectæ rationis, vel saltem ratio fundandi illam. Quod autem malitia volitionis, fundans disconformitatem illam cum iudicio rectæ rationis, sit malitia formalis, liquet: Nam nomine malitiæ formalis, ut contra distinctæ ab obiectiua, solum intelligitur malitia actus voluntatis, formaliter tendentis in obiectum, qualis est sine dubio malitia illa volitionis talium obiectorum.

86 Probatu tertio. Actus odij Dei, & affectus efficax pollutionis, indeliberatè elicit, sunt ex se moraliter mali, & inhonesti, non quidem malitia purè obiectiua, cum sit malitia actuum voluntatis, sed malitia formalis: at hæc malitia non potest formaliter provenire à iudicio rectæ rationis, cognoscente, & aduertente malitiam, cum tale iudicium tunc non existat: ergo in dictis actibus aliqua est malitia formalis, non proveniens formaliter à iudicio rectæ rationis, aut disconformitate extrinseca cum illo. Maior probatur. Tum quia eo ipso, quod homo postea aduertat, se habere actus talis conditionis, tenetur, statim illos à se, si possit, excutere sub reatu culpæ: ergo quia sunt ex se moraliter mali, & inhonesti; si enim ex se non essent moraliter mali, & inhonesti, non ita teneretur homo, illos statim à se excutere, adueniente illa aduertentia. Tum quia si tales actus, indeliberatè elicit, non essent ex se moraliter mali, & inhonesti, posset Deus ut causa

spe.

specialis sine indecentia causare in homine actum odij Dei indeliberatum, & necessarium; & quilibet homo rationis compos posset inculpabiliter excitare amentem, aut ebrium ad pollutionem, & ad affectum efficacem eius indeliberatum: sed hoc repugnat, ut fatentur Theologi: ergo quia tales actus, etiam si indeliberati, sunt ex se moraliter mali, & inhonesti, non enim potest aliunde hæc repugnantia provenire. Et quamvis dicti actus non sint formaliter imputabiles ad culpam homini, illos habenti, ob defectum libertatis, & advertentiae malitiae, tamen ex se sunt ex obiecto ita moraliter mali, & inhonesti, ut à nullo alio possint advertentèr intendi, & specialiter causari.

87. Probatur quartò. Disconformitas volitionis occidendi cum iudicio rectæ rationis, (in qua volunt aduersarij, consistere formalem malitiam eius,) vel dicit solum iudicium dictum, vel simul etiam volitionem occidendi, ut affectam circumstantijs foedantibus illam. Non primum. Nam malitia formalis volitionis occidendi debet dicere aliquid, per quod talis volitio ut formaliter mala distinguatur à volitione occidendi formaliter bona: sed non potest ab ea distingui per solum iudicium rectæ rationis, cum hoc sit omnino idem respectu volitionis, & nolitionis occidendi: ergo talis malitia non dicit solum iudicium dictum. Non secundum. Nam si semel admittatur, talem malitiam formalem dicere volitionem ipsam occidendi, ut affectam dictis circumstantijs, cur aliqua malitia formalis non constituetur solum in tali volitione, sic affecta dictis circumstantijs? Præsertim cum sola entitas eius, ut affecta dictis circumstantijs, distinguat talem volitionem in esse malæ à nolitione honesta occidendi.

88. Hanc autem malitiam formalem, quam habet actus peccaminosus, ut distinctus à iudicio rectæ rationis, & independentèr ab ipso, appellauimus cap. 1. statut. 3. nu. 10. malitiam formalem, materialiter, & fundamentaliter imputabilem ad culpam; quia est materia, & fundamentum denominationis liberi, & imputabilis ad culpam, prouenientis à iudicio dicto, cuique solum de est libertas, & iudicium dictum, ut formaliter imputeretur ad culpam, quo solo adueniente, necessario imputatur

tatur ad culpam. Quod si hæc formalis malitia sumatur ut formaliter imputabilis ad culpam, sic debet etiam inuoluere libertatem, & iudicium dictum; quia, his positis, est formaliter ad culpam imputabilis, & his sublatis, etiam si alia omnia persistant, non est formaliter ad culpam imputabilis.

89. Obijcies primò. Malum morale in actu voluntatis non est malum absolutum, & simpliciter, sed respectuum, & secundum quid; ergo ut tale debet dicere essentialiter oppositionem cum aliquo termino: sed hic terminus non potest esse, nisi iudicium rectæ rationis, quod est regula proxima, & immediata actuum humanorum: ergo tale malum consistet in oppositione, & disconformitate ad iudicium rationis. Respondeo, malum morale ut sic essentialiter solum esse respectuum ad obiectum, non verò ad iudicium rectæ rationis, imò ipsum esse fundamentum respectus oppositionis, & disconformitatis ad iudicium rationis.

90. Obijcies secundò. Esse bonum artefactum consistit in conformitate eius cum regula artis, & esse malum artefactum in disconformitate eiusdem cum tali regula: ergo similiter esse actum voluntatis formaliter bonum, consistet in conformitate eius cum regula rationis, & esse formaliter malum in disconformitate eius cum tali regula. Respondeo, antecedens esse falsum, iuxta dicta in logica, ubi ostendi, bonitatem artefacti consistere in debita dispositione partium, fundante conformitatem cum regula artis, & malitiam eius in vitiosa dispositione partium, fundante disconformitatem cum tali regula. Vnde similiter in presenti bonitas formalis actus voluntatis non erit conformitas, cum regula rationis, sed fundamentum talis conformitatis, malitia etiam non erit disconformitas actus voluntatis cum regula rationis, sed fundamentum talis disconformitatis.

91. Obijcies tertio. Si quis iudicaret, opus aliquod hic & nunc esse malum, & simul inuincibiliter ignoraret, esse illicitum facere illud, putans ex errore inculpabili, posse licite fieri, non peccaret, illud faciendo: ergo ad peccatum requiritur necessario disconformitas operis cum iudicio rectæ rationis, distante, non posse fieri illud opus. Respondeo in primis, negans possi-

bilem casum: nam eo ipso, quod aliquod opus iudicetur malum, iudicabitur etiam malum, facere illud, & consequenter esse illicitum. Sed casu in presenti permissio, concedo totum argumentum, ex quo nihil infertur contra conclusionem: Nam licet ad peccandum requiratur disconformitas operis cum iudicio dictæ rationis, eo quod peccatum dicat malitiam, ut formaliter imputabilem ad culpam, hanc tamen disconformitatem non dicit malitia formalis actus, fundamentaliter imputabilis ad culpam, de qua procedit nostra conclusio.

92. Quarta opinio sentit, formalem malitiam peccati commissionis consistere in extrinseca denominatione, & relatione dissonantiæ, & disconuenientiæ cum natura rationali ut sic, quæ denominatio desumitur ab ipsa natura rationali. Ita plures Recentiores cum Vasquez to. 1. in l. 2. disp. 95. cap. 9. qui cap. 10. vocat illam relationem rationis.

93. Censeo quartò. Formalis malitia peccati commissionis non consistit in denominatione, & relatione extrinseca dissonantiæ, & disconuenientiæ cum natura rationali ut sic, & ab hac desumpta. Hæc conclusio probari potest eisdem ferè rationibus conclusionis præcedentis. Primò. Quia actus peccaminosus non ideo est malus, quia est dissonus, & disconueniens naturæ rationali, imò è conuerso ideo est dissonus, & disconueniens illi, quia in se malus est: ergo dissonantia, & disconuenientia cum natura rationali supponit iam malitiam actus peccaminosi: ergo hæc non potest in illa consistere.

94. Secundò. Quia malitia formalis actus peccaminosi est fundamentum, aut ratio fundandi dissonantiam, & disconuenientiam eius cum natura rationali: ergo non consistit in hac dissonantia, & disconuenientia. Antecedens probatur. Dissonantia, & disconuenientia cum natura rationi fundatur specialiter in actu peccaminoso, & non in actu bono, aut indifferente: ergo aliquid est speciale in actu peccaminoso, ratione cuius sit fundamentum talis dissonantiæ, & disconuenientiæ cum natura rationali, quod non est in actu bono, aut indifferente: sed hoc speciale non potest esse, nisi malitia, & inhonestas actus peccaminosi, cum aliud assignari non possit: ergo malitia formalis actus peccaminosi est fundamentum, aut ratio fundandi dis-

dissonantiam, & disconuenientiam eius cum natura rationali. Confirmò. Hoc speciale actus peccaminosi non est aliud, quam vel persecutio obiecti mali, vel fuga obiecti boni obligatorij, ut affectæ circumstantijs vitiantibus: sed huic persecutioni obiecti mali, vel fugæ obiecti boni obligatorij, ut affectis dictis circumstantijs vitiantibus, nihil deesse potest ad formalem malitiam, ut patet: ergo hoc speciale non potest esse, nisi malitia, & inhonestas actus peccaminosi.

95. Tertiò. Quia dissonantia, & disconuenientia extrinseca actus peccaminosi cum natura rationali ut sic, (in qua, volunt aduersarij, consistere formalem malitiam eius,) vel dicit solam naturam rationalem ut formam denominantem, vel præter hanc dicit etiam persecutionem obiecti mali, aut fugam obiecti boni cum circumstantijs vitiantibus. Non primum. Tum quia alias in omnibus peccatis eiusdem hominis vnica tantum esset malitia formalis, cum vnica sit natura rationalis, in qua sola eorum malitiam consistere, aiunt. Tum quia formalis malitia actus peccaminosi debet dicere aliquid, per quod talis actus ut malus differat ab actu bono, & indifferente: sed non potest ab eis distingui per ipsam naturam rationalem, cum hæc sit omnino eadem respectu omnium dictorum actuum: ergo talis malitia non dicit solam naturam rationalem. Non secundum. Nam si semel admittatur, talem malitiam formalem dicere persecutionem obiecti mali, aut fugam obiecti boni obligatorij, cur hæc, ut affectæ saltem circumstantijs vitiantibus, non sufficient ad malitiam illam sine natura rationali?

96. Quartò. Quia malitia obiectiua non est disconuenientia cum natura rationali, sed id, in quo fundatur talis disconuenientia; bonitas etiam formalis, & obiectiua non est conuenientia cum natura rationali, sed id, in quo fundatur talis conuenientia, ut suo loco ostendi: ergo similiter malitia formalis non erit disconuenientia cum natura rationali, sed id, in quo fundatur talis disconuenientia. Vnde dissonantia, & disconuenientia cum natura rationali est quasi proprietas, consequens malitiam formalem actus peccaminosi tanquam fundamentum, in quo fundatur.

97. Obijcies primò. Malitia formalis non est absoluta, sed ref-

pectiua: ergo vt sic debet respicere aliquem terminum, cui ma-
lum disconueniens, & indecens sit, scilicet naturam rationa-
lem. Confirmatur. Actus moraliter malus essentialiter est
actus vitalis naturæ rationalis, & accidens eius: ergo essentia-
liter dicit respectum conuenientiae, vel disconuenientiae ad il-
lam: sed non dicit respectum conuenientiae: ergo disconue-
nientiae. Respondeo, malitiam formalem primariam actus pec-
caminosi esse respectiuam ad obiectum malum per respectum ten-
dentiae affectiuae ad illud, non verò ad aliud per respectum
disconuenientiae ad illud; & in hoc respectu tendentiae affecti-
uae ad obiectum malum fundari alium respectum disconue-
nientiae ad naturam rationalem, qui est malitia secundaria, &
consequens primariam. Ad confirmationem nego consequen-
tiam. Nam ex eo, quod actus moraliter malus sit essentialiter
actus vitalis, & accidens naturæ rationalis, solum sequitur, di-
cere ad illam respectum transcendentalem intrinsecum tan-
quam ad principium, à quo exigit procedere, & tanquam ad
subiectum, cui debet inherere, qui respectus communis est ad
actus etiam bonos, & indifferentes; & sic non est respectus con-
uenientiae, aut disconuenientiae moralis, sed præscindens ab
utroque: sub ratione verò particulari actus moraliter mali di-
cit respectum quasi prædicamentalem extrinsecum disconue-
nientiae ad naturam rationalem, consequentem ad alium res-
pectum eius ad obiectum, qui proinde essentialis non est. Nec
refert, Patres sæpè explicare malitiam peccati per disconue-
nientiam ad naturam rationalem. Solum enim explicant il-
lam sic à posteriori per talem disconuenientiam quasi per pro-
prietatem nobis magis notam.

98 Obijcies secundò. Non stante disconuenientia cum natura
rationali, actus non est moraliter malus: ergo vt moraliter ma-
lus dicit essentialiter talem disconuenientiam. Respondeo ne-
gans consequentiam. Nam quod, non stante tali disconueni-
entia, non sit actus moraliter malus, prouenit ex eo, quod malitia
moralis exigit talem disconuenientiam consequentem, & ideo,
hac sublata non datur malitia moralis; non verò ex eo, quod
malitia moralis dicat essentialiter talem disconuenientiam.

99 Obijcies tertio. Falitas formalis actus intellectus est dif-

conformitas extrinseca eius cum obiecto: ergo malitia forma-
lis actus voluntatis est disconformitas extrinseca eius cum
natura rationali. Respondeo, negans consequentiam: Nam in
actu intellectus falso ante disconformitatem cum obiecto non
est aliquid speciale, ratione cuius possit distingui ab actu ve-
ro, vt patet: at in actu voluntatis malo ante disconformita-
tem cum natura rationali est aliquid speciale, ratione cuius di-
stinguitur ià ab actu bono, & indifferente, scilicet prosecutio
obiecti mali, vel fuga boni, vt affectæ circumstantijs vicianti-
bus, vt probatum est, & inferius constabit amplius.

Exploditur quinta opinio ex præfatis.

101 **Q**uinta opinio constituit formalem malitiam peccati com-
missionis, indistinctam ab entitate intrinseca actus vo-
luntatis, tendentis ad obiectum prauum, vel potius in tenden-
tia intrinseca, & essentiali actus voluntatis ad obiectum prau-
um; hocque tam in actibus voluntatis malis quia prohibitis,
quam in actibus voluntatis prohibitis quia malis. Ita Caieta-
nus 1. 2. q. 18. art. 5. & q. 31. art. 6. & q. 72. art. 1. & alibi, Al-
varez de peccatis q. 128. nu. 17. & 22. Medina 1. 2. q. 71. art.
6. Ioan. de Roaz de Prædest. q. 4. sect. 5. num. 84. Petrus
Hurtado de Anima disp. 15. sect. 2. subsect. 3. §. 90. apud Qui-
do in 1. 2. tract. 4. controu. 5. punct. 1. num. 5. citantur etiam
Curiel de Peccat. dub. 1. §. 7. Herise disp. 27. cap. 3. num. 33.
& nonnulli Recentiores, licet non eodem modo ab omnibus
decretetur opinio.

102 **E**nseño primo. Formalis malitia actus voluntatis mali quia
prohibiti non stat in sola entitate intrinseca actus voluntatis,
tendentis ad obiectum prauum, opposita legi prohibenti. Pro-
cedit conclusio non solum de malitia formali vt formaliter ad
culpam imputabili, sic enim certum est, esse distinctam ab en-
titate actus, eique extrinsecam, cum vt sic includat liberta-

tem, & aduertentiam extrinsecam malitiæ; sed præcipue de malitia formali materialiter, & fundamentaliter ad culpam imputabili, de qua potest esse maior difficultas.

103. Probatur primò. Actus voluntatis malus quia prohibitus, v.g. affectus comedendi carnes die veneris ob delectabilitatem talis comestionis præcisè, est extrinsece, & accidentaliter malus, & inhonestus: ergo hæc malitia, & inhonestas non est sola entitas talis actus. Antecedens probatur. Talis affectus, stante nunc prohibitione, est malus, & inhonestus, & ablata prohibitione, non esset malus, & inhonestus: at tunc esset idem omnino affectus: ergo talis affectus est extrinsece, & accidentaliter malus. Minor probatur. Ablata prohibitione, nihil auferitur obiecti talis affectus, sed adhuc esset totum obiectum materiale, & formale, quod formaliter attingebat talis affectus, & à quo essentialiter pendebat: ergo adhuc tunc esset idem omnino affectus. Antecedens probatur. Talis affectus attingebat pro obiecto materiali comestionem carnum die veneris, & pro obiecto formali delectabilitatem eius: sed, ablata prohibitione, adhuc esset eadem comestio carnum die veneris, & eadem delectabilitas eius, imò & eadem cognitio, proponens illi suum obiectum, scilicet comestionem carnum vt delectabilem: ergo adhuc esset totum obiectum materiale, & formale, quod formaliter attingebat talis affectus, & à quo essentialiter pendebat.

104. Dices primò, Ablata prohibitione, auferri etiam cognitionem prohibitionis, à qua tanquam à dirigente pendebat talis affectus, & sic non posse esse iam eundem affectum. Contra. Quia ille affectus solum pendebat tanquam à dirigente à cognitione, proponente illi suum obiectum: sed cognitio, proponens illi affectui suum obiectum, est sola cognitio comestionis carnum vt delectabilis, non verò cognitio prohibitionis, cum prohibitio non sit obiectum illius affectus: ergo ab illa cognitione, & non ab illa pendebat tanquam à dirigente ille affectus: ergo dum maneat cognitio illa comestionis carnum vt delectabilis, etiam si auferatur alia cognitio prohibitionis, erit semper idem affectus. Confirmò. Cognitio, dirigens affectum dictum comestionis carnum, debet proponere obiectum, quod

ratione suæ bonitatis moueat, & alliciat ad amorem, & affectum sui: sed cognitio prohibitionis proponit prohibitionem, quæ non mouet, & allicit ad amorem comestionis carnum, sed potiùs retrahit ab amore eius, & allicit ad nolitionem ipsius: ergo cognitio prohibitionis non est, quæ dirigit talem affectum, licet aliudè requiratur, vt affectus ille sit extrinsece liber, & imputabilis formaliter ad culpam.

105. Dices secundò, Esse diuersum obiectum talis affectus in vtroque illo statu: nam affectus comedendi carnes elicitus, stante prohibitione, vult virtualiter, & interpretatiuè transgressionem, & contemptum legis prohibentis, quod non vult affectus comedendi carnes elicitus, non stante prohibitione. Contra. Quia talis affectus ideo dicitur virtualiter, & interpretatiuè velle transgressionem, & contemptum legis prohibentis, quia vult comestionem carnum propter delectabilitatem, stante lege prohibente, sicque vult comestionem carnum, quæ in re hic, & nunc prohibita est, quaque hic, & nunc transgreditur, & quasi contemnitur lex prohibens, non verò ex eo, quod attingat formaliter legem prohibentem, aut aliud distinctum à comestione, & delectabilitate; imò, non stante lege prohibente, idem ille affectus comestionis vt delectabilis iam non diceretur virtualiter, & interpretatiuè velle transgressionem, & contemptum legis prohibentis: ergo quod talis affectus velit virtualiter, & interpretatiuè transgressionem, & contemptum legis prohibentis, est illi extrinsecum, & accidentale; ergo quando, non stante lege prohibente, non vult virtualiter, & interpretatiuè transgressionem, & contemptum eius, adhuc talis affectus habet idem omnino obiectum essentialè, formaliter, & intrinsece tactum, scilicet comestionem, & delectabilitatem, & sic est idem omnino affectus. Vnde attingentia virtualis, & interpretatiua transgressionis, & contemptus legis prohibentis, supra attingentiam essentialem comestionis, & delectabilitatis, solum addit denominationem extrinsecam ab existentia legis prohibentis comestionem, tali affectu volitam; quod non potest variare intrinsece affectum.

106. Confirmatur. Qui, stante lege prohibente comestionem carnum, vult affectu efficaci eam comestionem quia delecta-

bilem, non attingendo formaliter prohibitionem, sed præcisè comestionem, & delectabilitatem eius, sine dubio censetur transgressor legis, & contra eam peccans, sicque virtualiter, & interpretatiuè volens eius transgressionem; raro enim peccant homines, volendo expressè, & formaliter transgressionem: ergo vt affectus censeatur virtualiter, & interpretatiuè velle transgressionem legis prohibentis eam comestionem, non debet in re formaliter attingere legem prohibentem, aut aliud obiectum distinctum à comestione vt delectabili, sed factis est, vt stante lege prohibente, attingat comestionem, quæ est in re hic, & nunc prohibita à tali lege. Et quamuis intellectus cognoscat comestionem vt delectabilem, & legem prohibentem, non ideo debet voluntas suo affectu efficaci comestionis attingere etiam formaliter legem prohibentem, sed potest prohibito attingere comestionem solam, non tacta formaliter lege prohibente.

107 Dices tertio, stante lege prohibente comestionem carniæ, affectum talis comestionis, licet non attingat formaliter legem prohibentem, attingere tamen formaliter nouum obiectum, quod non attingeret, ablata lege prohibente, scilicet inhonestatem, & indecentiam quandam talis comestionis, quæ est adæquatè distincta à lege prohibente, & ratio formalis motiua, ob quam à lege prohibetur comestio; cum enim lex dicta prohibens in recta ratione fundetur, fundari etiam debet in inhonestate, & indecentia, residente in comestione, ob quam comestio rationabiliter prohiberi possit.

108 Sed hæc doctrina sustineri non potest. Primò. Quia falsum est, legem prohibentem, in recta ratione fundatam, debere prohibere opus propter aliquam inhonestatem, & indecentiam, in illo residentem: quam enim, quæso, inhonestatem, & indecentiam inuenit Deus in fructu arboris vitæ potius, quam in fructibus aliarum arborum paradisi, ob quam illum præ alijs prohibuerit primis Parentibus? Imò, vt docent omnes Theologi, in hoc differt lex prohibens opus, prohibitum quia malum, à lege prohibente opus malum quia prohibitum, quod in prima legislator prohibet opus propter inhonestatem, & indecentiam aliquam, in eo residentem; in secunda ve-

ro non prohibet opus propter inhonestatem, & indecentiam aliquam eius, sed præcisè, quia honestum est, abstinere ab eo opere, & subditis conueniens, licet non necessarium, nec sufficiens ad dehonestandum opus independenter à prohibitione; sepe enim est aliquid conueniens, & honestum, quia oppositum sit inhonestum, & turpe, vt patet in operibus consilij, v. g. in ingressu Religionis, voto castitatis, & similibus, quæ in se honesta sunt & hominibus conuenientia, quamuis oppositum non sit inhonestum, & turpe.

109 Secundò. Quia si comestio carniæ die veneris habet in se aliquam inhonestatem, & indecentiam, ob quam à lege prohibetur: ergo non est inhonesta, & indecens quia prohibita, sed è conuerso prohibita quia inhonesta, & indecens, non minus quam homicidium, pollutio, & similia: sed hoc est absurdum & contra bonam Theologiam: ergo &c.

110 Tertio. Quia hæc inhonestas, & indecentia comestionis, distincta à lege prohibente, vel est in comestione, etiam non stante lege prohibente, vel hac stante solum. Non primum: alias talis inhonestas, & indecentia esset omnino independenter à lege prohibente, atque adeo comestio carniæ non esset inhonesta, & indecens quia prohibita, sed è conuerso. Si secundum: ergo hæc inhonestas, & indecentia est extrinseca, & accidentaliter comestioni, sicut & prohibitio: ergo dicit aliquid distinctum à comestione. Inquiri nunc, quid sit hoc distinctum? præsertim cum non sit ipsa lex prohibens iuxta aduersariorum sensum.

111 Si autem respondeas esse aduertentiam ipsam rationis, cognoscentem, comestionem esse prohibitam, & rationi dissonam. Contra, quia hæc aduertentia cognoscit, comestionem carniæ die veneris esse prohibitam, inhonestam, & indecentem, alias non imputaretur ad culpam comestio carniæ, aduertentè facta: ergo hæc aduertentia supponit comestionem carniæ inhonestam, & indecentem obiectiue: ergo hæc inhonestas, & indecentia comestionis cognita non dicit talem aduertentiam.

112 Deinde demus, inhonestatem, & indecentiam talis comestionis dicere illam aduertentiam: ergo cum affectus comedendi

di carnes, stante lege prohibente, non attingat formaliter illam aduertentiam, vt patet, neque attingat formaliter inhonestatem, & indecentiam talis comestionis, sed solam comestionem vt delectabilem, non attinget formaliter nouum obiectum, stante lege prohibente.

113 Confirmo. Si inhonestas, & indecentia comestionis carniū dicit aliquid, distinctum à comestione, & accidentale ipsi: ergo affectus comedendi carnes poterit attingere comestionem vt delectabilem, non attingendo formaliter talem inhonestatem, & indecentiam, cum qua comestio non habet intrinsecam, & essentialē connexionem: ergo huiusmodi affectus posset idem existere, non stante tali inhonestate, & indecentia, quo casu ille affectus iam non esset malus: ergo distincta, & separabilis est malitia ab illo affectu.

114 Nec dissimulandum est, quod addunt aduersarij, scilicet prohibitionem comestionis carniū esse declarationem malitiæ, & indecentiæ comestionis, & conditionem vt intellectus aduertat illam, in quo distinguunt actus malos quia prohibitos ab actibus prohibitis quia malis; in his enim prohibitio superioris non est declaratio malitiæ, & indecentiæ obiecti, nec conditio, vt ea aduertatur, sed eam innotescere ex se independentē à prohibitione.

115 Hoc enim falsum est, & sine fundamento dictum. Primò. Quia hic modus distinguendi tales actus est inauditus inter Theologos, qui solum distinguunt actus malos quia prohibitos ab actibus prohibitis quia malis, quia in istis ratio formalis prohibendi est malitia actuum, non vero in illis. Secundò. Quia inauditum est etiam, prohibitionem comestionis carniū esse declarationem malitiæ eius: Nam prohibitio est actus iurisdictionis, & superioritatis; declaratio vero malitiæ non est actus iurisdictionis, & superioritatis, imo ea potest fieri à quolibet viro docto etiam inferiori, & subdito: vnde prohibitio non declarat, esse malam comestionem, sed eam, vetat, fieri, sicque eam reddit malam, illicitam, & indecentem. Tertio. Quia dantur aliqui actus ex natura rei mali, & quia tales prohibiti, quorum malitia est ita occulta, & ignota, vt non parum sudent Theologi in ea declaranda, & in assignanda ratio-

tionē, ob quam tales actus debeant esse semper mali, sicque ad aduertendam malitiam eorum necessaria est declaratio: vnde si vera esset aduersariorum doctrina, tales actus non essent reputandi prohibiti quia mali, sed mali quia prohibiti: sed hoc est absurdum: ergo &c.

116 Dices quartò, non stante lege prohibente, adhuc manere eundem affectum comestionis vt delectabilis, cumque manere adhuc malum malitia physica, & in esse naturæ, quæ consistit in oppositione intrinseca talis affectus, non cum lege vt actu existente, & prohibente, sed cum ipsa secundum se, & vt potente prohibere, sicut calor dicit oppositionem intrinsecam cum frigore secundum se, & non cum ipso vt actu existente; quamuis non maneat talis affectus malus moraliter, scilicet cum imputabilitate ad culpam, eo quod non existat lex prohibens, & libertas ad imputabilitatem requisitæ. Itaque, non stante lege prohibente, nihil malitiæ, ad culpam, & peccatum requisitæ, deficit in illo affectu, sed sola moralitas, & imputabilitas ad culpam, quæ iuxta aduersarios nullam malitiam addit supra talem affectum.

117 Contra primò. Quia licet concedamus, affectum illum comestionis carniū, non stante prohibitionē actuali, habere dictam malitiam physicam, & in esse naturæ, tamen hæc malitia non est malitia pertinens ad mores, de qua in præsentī loquimur, cum talem malitiam habeat calor vt oppositus frigori, & aliæ res, non pertinentes ad mores: in præsentī vero solum loquimur de malitia, ad mores pertinente, quæ consistit in speciali inhonestate, & turpitudine, ratione cuius affectus eam habens, non potest aduertentē fieri sine reatu culpæ, licet quandoque ob defectum libertatis ad culpam non imputetur: sed hanc malitiam non habet affectus comestionis carniū, non stante prohibitionē actuali, sed hæc stante solum: ergo malitia, de qua in præsentī loquimur, distincta est, & separabilis à tali affectu. Minor patet. Nam, non stante prohibitionē actuali, nulla est inhonestas, & turpitudine in affectu comestionis carniū, ob quam sit culpabile, illum aduertentē fieri: ergo &c.

118 Contra secundò. Affectus, habens totam malitiam requi-

fitam ad culpam, & peccatum, cuique solum deest moralitas, & imputabilitas: ad culpam, debet esse talis, qui, ut imputetur ad culpam, solum indigeat libertate, ita ut, hac adueniente, necessario ad culpam imputetur, ut iquet: sed affectus comestionis carniū, non stante prohibitione actuali, ut imputetur ad culpam, non indiget solum libertate, imo, quamuis tunc libere fiat, non imputatur ad culpam: ergo, non stante prohibitione actuali, tali affectui non deest solum moralitas, & imputabilitas, sed etiam malitia, requisita ad culpam, & peccatum; sicque ista distincta est, & separabilis à tali affectu.

119 Contra tertio. Et prius suppono, oppositionem vnus rei cum aliquo termino, duplicem esse posse: vnā impossibilitatis, ad quam non requiritur existentia termini, imo res sic opposita termino, repugnat existentia termini, eamque excludit, ut patet in oppositione caloris cum frigore: & aliam contrauentionis, quæ tunc datur, quando, lege, vel dictamine rationis prohibente operationem, ponitur hæc à parte rei; unde, ut operatio dicat oppositionem contrauentionis absolute, & simpliciter, requiritur existentia legis, vel dictaminis rationis prohibentis operationem, nullas enim dicitur absolute, & simpliciter contrauenire legi, aut dictamini rationis, non existenti.

120 Modo sic. In affectu comestionis carniū ut delectabilis malitia, requisita ad culpam, & peccatum, consistit in oppositione talis affectus cum lege prohibente, ut voluit aduersarij: sed, non stante prohibitione actuali, talis affectus non habet oppositionem absolute, & simpliciter cum lege prohibente: ergo nec habet malitiam absolute, & simpliciter, requisitam ad culpam, & peccatum. Minor probatur. Oppositio talis affectus cum lege, cum non sit oppositio impossibilitatis, sed contrauentionis, ut sit talis absolute, & simpliciter, requirit existentiam legis prohibentis: ergo, non stante prohibitione actuali legis, talis affectus non habet oppositionem absolute, & simpliciter cum lege prohibente. Antecedens patet ex dictis. Tum quia nullus dicitur contrauenire legi non existenti, etiamsi possibilis sit. Tum quia aliàs homo eliciens actus indifferentes, per ipsos censeretur opponi, & contrauenire legi
pos,

possibili, potenti illos prohibere.

121 Contra quarto. Si ad malitiam, requisitam ad culpam, & peccatum, sufficeret aliqualis oppositio affectus cum lege secundum se, ut potente prohibere, sequeretur, actus indifferentes habere in se totam malitiam, requisitam ad culpam, & peccatum, ratione aliqualis oppositionis, quam habent cum lege possibili, potente illos prohibere, solumque carere moralitate, & imputabilitate, non minus quam affectum comestionis carniū, non stante prohibitione actuali: ergo tales actus non erunt indifferentes. Patet consequentia. Nam actus non est indifferens ex eo præcisè, quod careat moralitate, & imputabilitate, sed etiam ex eo, quod careat malitia, requisita ad culpam, & peccatum; aliàs odium Dei indeliberatum, carens moralitate, & imputabilitate, & non malitia, & turpitudine, requisita ad culpam, & peccatum, esset actus indifferens, quod est absurdum: ergo si actus indifferentes habeant in se totam malitiam, requisitam ad culpam, & peccatum, quamuis careant moralitate, & imputabilitate, non erunt actus indifferentes.

122 Hinc facile probatur secundo conclusio. Formalis malitia affectus comestionis carniū die veneris quia delectabilis, consistit in oppositione absolute, & simpliciter talis affectus cum lege prohibente: sed hæc oppositio absolute, & simpliciter est distincta, & separabilis ab entitate talis affectus: ergo & formalis malitia. Minor probatur. Tum quia ille affectus, qui modo, stante lege prohibente actuali, est absolute, & simpliciter oppositus ipsi, ablata tali lege actuali, non est absolute, & simpliciter oppositus ipsi: ergo ea oppositio est distincta, & separabilis ab entitate talis affectus. Tum quia illum affectum esse absolute, & simpliciter oppositum legi prohibenti, nihil aliud est, quam esse prohibitum ab ipsa: sed illum affectum esse prohibitum, est quid extrinsecum, & distinctum ab ipso, ut pote inuoluens denominationem extrinsecam, desumptam à lege prohibente: ergo & esse oppositum absolute, & simpliciter legi prohibenti. Quid vero addat formalis malitia, & oppositio talis affectus cum lege prohibente supra entitatem ipsius, constat inferius cap. 4. in declaratione nostræ sententiæ.

123 Censeo secundò, Formalis malitia actus voluntatis prohibiti quia mali, non stat semper in sola entitate intrinseca actus voluntatis, tendentis ad obiectum prauum. Ad probationem suppono, actus voluntatis, prohibitos quia malos, esse in duplici differentia. Alij enim attingunt expressè malitiam obiecti tanquam obiectum materiale, licet hi raro eliciantur, v. g. volitio pollutionis malæ quia delectabilis, expressè attingens malitiam intrinsecam pollutionis, vel volitio transgrediendi præceptum, quia mihi vtile, licet enim malitia obiecti non possit esse obiectum formale volitionis, potest tamen esse obiectum materiale. Alij vero non attingunt expressè, & formalitèr malitiam, & inhonestatem obiecti adhuc tanquam obiectum materiale, sed solam entitatem obiecti, quæ in se mala est, & inhonesta. Quod ex duplici capite prouenire potest: Tum quia malitia non est omnino intrinseca, & inseparabilis ab entitate obiecti, sed pendet ab aliqua circumstantia extrinseca contingenti, quam non attingit formalitèr actus voluntatis, v. g. accessus Petri ad Mariam, volitus ob vtilitatem eius ad generationem, cui non est intrinseca, & inseparabilis malitia, sed pendet ex defectu coniugij extrinseco, stante enim coniugio, non esset malus accessus Petri ad illam; & idem est in homicidio, & furto, volito, quorum malitia pendet ex defectu dominij in vitam, & bona alterius, stante enim dominio concesso à Deo in vitam, & bona alterius, non esset malum homicidium, & furtum: Tum quia licet malitia sit intrinseca entitati obiecti, tamen actus voluntatis, attingens eius entitatem, non attingit expressè, & formalitèr malitiam, sed quasi implicite, & materialitèr, scilicet attingendo entitatem, quæ est in se intrinsecè mala, v. g. si quis velit pollutionem, aut copulam Sodomiticam quia delectabilem, non volendo expressè eius malitiam, vt frequentèr contingit.

124 Nec dicas, affectum copulæ Sodomiticæ non posse, non expressè, & formalitèr attingere malitiam intrinsecam talis copulæ. Hoc enim falsum est. Tum quia est contra omnes Theologos. Tum quia talis affectus potest fieri indeliberatè, vt omnes concedunt, atque adeo sine aduertentia expressa malitiæ dictæ copulæ: ergo talis affectus non debet expressè formalitèr

malitèr attingere eam malitiam. Patet consequentia. Nam si expressè formalitèr attingeret eam malitiam, non posset esse sine aduertentia, expressè proponente illam, cum affectus voluntatis non possit expressius velle obiectum, quam per cognitionem proponatur. Præterea quia affectus non potest expressè formalitèr attingere in obiecto formalitatem, expressè formalitèr non cognitam, aliàs talis affectus ferretur expressè formalitèr in incognitū, formalitas enim expressè formalitèr non cognita, perinde est, ac si nullo modo esset cognita.

125 Hoc supposito, Probatur hæc conclusio eodem ferè modo, ac præcedens. Dantur plures actus voluntatis prohibiti quia mali, qui solum extrinsecè, & accidentalitèr sunt mali, & inhonesti: ergo malitia, & inhonestas actus voluntatis, prohibiti quia mali, non est semper entitas sola actus voluntatis. Antecedens probatur in affectu v. g. Petri accedendi ad Mariam, quia vtile ad generationem, qui nunc, deficiente coniugio inter Petrum, & Mariam, est malus, & inhonestus, stante vero coniugio, non esset malus, & inhonestus; & idem est in affectu occidendi, vel auferendi bona Pauli ob vtilitatem occisionis, vel ablationis bonorum eius, qui nunc, deficiente dominio in vitam, & bona Pauli, est malus, & inhonestus, concesso autem à Deo dominio in illa, iam non esset malus, & inhonestus: at tunc esset idem omnino affectus: ergo talis affectus solum extrinsecè, & accidentalitèr est malus. Minor probatur. Stante coniugio, nihil mutaretur obiecti talis affectus, sed esset adhuc totum obiectum materiale, & formale, quod formalitèr ille attingit, & à quo essentialitèr pendet nunc, deficiente coniugio: ergo tunc esset idem omnino affectus. Antecedens probatur. Talis affectus nunc, deficiente coniugio, attingit formalitèr pro obiecto materiali copulam, & accessum Petri ad Mariam, & pro obiecto formali vtilitatem eius ad generationem: sed, stante coniugio, esset adhuc idem accessus Petri ad Mariam, & eadem vtilitas eius ad generationem, imo & eadem cognitio, proponens hunc accessum vt vtilem ad generationem: ergo non aueretur adhuc tunc totum obiectum materiale, & formale, quod formalitèr attingit, & à quo essentialitèr pendet talis affectus nunc, deficiente coniugio.

Quæ huic argumento responderi possent, impugnata sunt iam supra in probatione primæ conclusionis.

126 Idem convinci potest de actibus voluntatis, attingentibus objecta in intrinsecè, & inseparabiliter malum, independenter ab omni circumstantia extrinseca, si non attingant expressè, & formaliter malitiam objecti, sed materialiter, & implicitè solum, v.g. de affectu copulæ Sodomiticæ quia delectabilis, non attingente formaliter, & expressè malitiam eius. Nam talis affectus non est intrinsecè, & essentialiter malus, & inhonestus, sed extrinsecè: ergo hæc malitia, & inhonestas non est sola entitas talis affectus. Antecedens probatur. Nam, cum talis affectus non attingat formaliter, & expressè malitiam copulæ Sodomiticæ, si per impossibile auferretur malitia à copula Sodomitica, adhuc tunc esset idem affectus: sed tunc non esset malus, & inhonestus, cum non esset iam volitio objecti mali, & inhonesti: ergo talis affectus non est intrinsecè, & essentialiter malus, & inhonestus. Maior probatur. Ablata malitia à copula Sodomitica, adhuc esset totum objectum materiale, & formale, quod formaliter, & expressè attingit nunc talis affectus, scilicet entitas volita copulæ Sodomiticæ, & delectabilitas eius, imò & eadem cognitio, proponens entitatem eius copulæ ut delectabilem; malitia enim ablata non est objectum talis affectus, saltem formaliter, & expressè tantum: ergo adhuc tunc esset idem affectus. Vnde nunc talis affectus virtualiter, & interpretatiuè attingit malitiam copulæ Sodomiticæ, quatenus vult copulam, quæ in se habet malitiam, & ratione huius attingentiæ virtualis, & interpretatiuæ est malus ille affectus. Confirmò. Nam si talis affectus non attingit formaliter expressè malitiam copulæ Sodomiticæ: ergo ex attingentia eius copulæ nullam haurit malitiam intrinsecam, sola enim attingentia formalis potest dare actui speciem intrinsecam.

127 Nec refert primò, quod malitia copulæ Sodomiticæ sit objectum talis affectus, saltem implicitè, & materialiter, & sic, ablata illa malitia, non manet totum objectum eius, & consequenter nec talis affectus. Nam actus non variatur ex eo, quod auferatur objectum eius, implicitè, & materialiter tantum,

etiam, imò idem actus attingens nunc implicitè, & materialiter aliquod objectum, potest illud sic non attingere ex se, ablato illo objecto: sic actus asserens, homines, existentes in foro, esse rationales, attingit implicitè, & materialiter omnes homines, ibi existentes, vnde si in foro sint centum homines, omnes illos attingit implicitè, si vero non essent nisi octoginta, hos solum implicitè attingeret, & esset verus; & idem est in alijs exemplis passim occurrentibus: ergo affectus, attingens nunc implicitè, & materialiter malitiam, de facto existentem in copula Sodomitica, idem illam non attingeret implicitè, & materialiter, si ea non existeret in copula Sodomitica. Vnde attingentia implicita, & materialis malitiæ copulæ Sodomiticæ est extrinseca tali affectui, huic de facto conveniens extrinsecè ex eo, quod sit de facto malitia in copula Sodomitica, quæ si non esset, non attingeretur implicitè, & materialiter tali affectu.

128 Nec refert secundo, de facto copulam Sodomiticam non posse esse sine malitia adhuc diuinitus. Nam inde solum sequitur, de facto affectum eius copulæ ut delectabilis non posse esse sine formali malitia, non tamen sequitur, hanc esse illi intrinsecam, & essentialem: sicut licet hic actus falsus, *Deus non est Trinus*, non possit esse sine formali falsitate ex eo, quod Deus non possit non esse Trinus, hinc tamen non sequitur, falsitatem esse illi intrinsecam, & essentialem; colligimus autem, esse illi extrinsecam falsitatem, facta suppositione impossibili, quia, si per impossibile Deus non esset Trinus, adhuc esset idem actus, qui non esset iam falsus. Similiter ergo discurrendum est in nostro casu de tali affectu.

129 Obijcies primò. Sanctus Thomas multis in locis, supradicti cap. 2. punct. 2. num. 56. & 57 ait, bonum, & malum esse differentias específicas actuum moralium, hos specie distinguentes; item bonum, & malum in actibus voluntatis propriè attendi secundum objecta, id est, secundum positivas tendentias ad diuersa objecta: sed differentia specifica, & tendentia ad objectum est actibus intrinseca, & essentialis: ergo & bonitas, & malitia ipsorum. Respondeo, posse facile dici, Sanctum Thomam non comparare omnem actum malum cum bono, sed

actum solum intrinsicè malum, attingentem, expressè, & formalitèr malitiam obiectiuam, iuxta dicta nu. 123. quem, certum est, distingui specie, & essentialitèr ab actu bono, eiusque malitiam consistere in positua tendentia eius ad obiectum. Si vero permittamus, Sanctum Doctorem comparare omnem actum malum cum bono, dici potest, ideo sic loqui, quia, ut videbimus cap. 4. formalis malitia actus voluntatis non est adæquatè extrinseca ipsi, sed partim intrinseca, & partim extrinseca, inuoluens scilicèt actum voluntatis, tendentem ad obiectum malum, & aliquid aliud extrinsecum infra declarandum cap. 4. illam in recto, & hoc in obliquo: vnde formalis malitia actus saltem ex parte magis præcipua est differentia specifica, & essentialis, distinguens illum specie, & essentialitèr ab actu bono, scilicèt ratione tendentiæ ad obiectum, quam in recto includit; actus enim bonus v. g. profectiuus dicit tendentiam intrinsecam ad honestatem obiectiuam tanquam ad obiectum formale specificans, ad quam ut sic nullus actus malus tendere potest, ut patet, sed ad delectabilitatem obiecti, vel aliud simile specificatum.

130. Obijcies secundò. Non stante prohibitione, non esset idem affectus comedendi carnes die veneris, qui nunc est malus, stante prohibitione: ergo affectus nunc, stante prohibitione, malus, nunquam potuit non esse malus; atque adeo est ipsi intrinseca, & essentialis malitia. Antecedens probatur. Primò, quia affectus ille, stante prohibitione, pendet à cognitione prohibitionis tanquam à dirigente: sed, non stante prohibitione, non esset talis cognitio dirigens: ergo nec idem affectus. Secundò, quia affectus ille, stante prohibitione, attingit formalitèr intrinsece prohibitionem, vel saltem inhonestatem comestionis, quam non posset attingere, non stante prohibitione: ergo non esset idem affectus. Huius obiectionis solutio constat iam ex superius dictis, cui, in forma Respondens, nego antecedens. Ad primam probationem nego maiorem, ut ostendi supra nu. 104. Ad secundam probationem nego antecedens, cuius falsitas constat ex superius dictis à num. 105. vsque ad 115.

131. Obijcies tertio. Omnis actus voluntatis virtuosus est intrinsece

intrinsicè bonus, & honestus: ergo omnis actus vitiosus est intrinsicè malus, & inhonestus. Respondeo, negans consequentiam. Nam ut actus virtuosus v. g. profectiuus sit virtuosus, non sufficit, quod attingat profectiuè obiectum, quod in se est bonum, & honestum, sed debet illud attingere ut bonum, & honestum, scilicèt propter eius bonitatem, & honestatem obiectiuam tanquam rationem formalem specificantem, & sic per talem attingentiam intrinsecam constituitur intrinsicè bonus, & honestus: at ut actus vitiosus v. g. profectiuus sit vitiosus, & malus non debet formalitèr attingere profectiuè obiectum ut malum, seu propter eius malitiam obiectiuam, imo nec debet hanc expressè formalitèr attingere adhuc ut obiectum materiale, sed satis est, quod attingat obiectum, quod in se est malum, siue intrinsicè, siue extrinsece tale sit, bonum enim ex integra causa, malum verò ex quocunque defectu; vnde actus profectiuus, attingens solam entitatem obiecti in se mali, non attingendo expressè formalitèr malitiam eius, nec circumstantias extrinsecas, illud vitiantes, per talem attingentiam intrinsecam non constituetur intrinsicè malus, & inhonestus, sed erit solum extrinsece malus, & inhonestus à malitia extrinseca obiecti, vel ab alijs circumstantijs extrinsecis, iuxta dicenda cap. 4.

132. Idem dicendum est cum proportionem de actu fugæ virtuosæ, & actu fugæ vitiosæ. Nam cum actus fugæ virtuosus fugiat obiectum malum quia malum, seu propter malitiam eius, ex proprio modo tendendi intrinseco dicit oppositionem intrinsecam cum malitia, atque adeo & bonitatem intrinsecam, ratione cuius intrinsicè opponatur malitiæ: at actus fugæ vitiosus non fugit obiectum in se bonum quia bonum, seu propter bonitatem eius obiectiuam, imo nec hanc expressè formalitèr fugit adhuc ut obiectum materiale, sed fugit præcisè obiectum, quod est in se bonum, propter aliquam eius asperitatem, aut incommoditatem &c. vnde ex proprio modo tendendi intrinseco non dicit oppositionem intrinsecam cum bonitate, atque adeo nec malitiam intrinsecam, ratione cuius intrinsicè opponatur bonitati. Alijs obiectionibus, quæ contra huius puncti doctrinam fieri possunt, satisfiet cap. 4. punct. 2.

PUNCTUM III.

Dua reliqua opiniones ex præfatis reiectæ.

134 **S**exta opinio existimat, formalem malitiam peccati commissionis consistere in aggregato ex entitate actus voluntatis mali, & libertate cum aduertentia malitiæ. Ita Ouedo in 1. 2. tract. 4. controu. 5. punct. 7. Arriaga in 1. 2. tract. de Actibus humanis disp. 20. sect. 4. & 5. & multi Recentiores. Qui tamen non conueniunt in declarando, quid dicat entitas illa actus voluntatis mali. Plures enim volunt, dicere tendentiam intrinsecam eius in obiectum malum. Alij verò contendunt, non dicere tendentiam in obiectum malum, eo quod tendentia in obiectum malum non conueniat omni actui malo, præsertim actui malo fugæ, fugienti obiectum in se bonum, & obligatorium, quia asperum, & incommodum, & aliundè conueniat etiam actui bono fugæ, fugienti obiectum malum quia malum, sed dicere specialem modum tendendi in obiectum, præscindentem à modo tendendi prosecutionis in obiectum malum, & à modo tendendi per modum fugæ in obiectum bonum, ratione cuius modi tendendi est inhonestus, & rationi dissonus ille actus.

135 **C**enseo primò. Falsa est hæc opinio. Probatum primo ex superius dictis punct. 7. Nam aduersarij, constituentem malitiam formalem in aggregato ex entitate actus, & libertate eius cum aduertentia malitiæ, non locuntur solum de malitia formali ut formaliter ad culpam imputabili, si enim de hac sola loquerentur, vera esset ipsorum opinio; ostendam enim cap. 4. punct. 1. malitiam formalem ut formaliter ad culpam imputabilem includere etiam libertatem cum aduertentia malitiæ: sed videntur loqui de omni, & quacunque malitia formali actus, nullam agnoscetes in actu malo formalem malitiam, quæ non includat iudicium, & aduertentiam malitiæ: sed hoc est falsum, ut constat ex punct. 1. in impugnatione tertiæ opi-

nionis

nionis, vbi ostendi, in actu malo voluntatis esse concedendam aliquam malitiam formalem, non prouenientem formaliter à iudicio, & aduertentia malitiæ, quæque est obiectum cognitum per tale iudicium, & aduertentiam, & independens ab ipsa, quam appellamus malitiam formalem, materialiter, & fundamentaliter imputabilem ad culpam, hocq; tam in actibus prohibitis quia malis, quam in actibus malis quia prohibitis: ergo falsa est eorum opinio. Vnde aduersarij deberent explicasse, in quo consistat hæc malitia formalis, materialiter, & fundamentaliter imputabilis, distincta à iudicio, & aduertentia malitiæ, præsertim cum non consistat in sola entitate actus, iuxta dicta punct. præcedente, quod dum non explicant, suo muneri non integre satisfacisse, putare debent.

136 **P**robatum secundò, refellendo modum illum posteriorem declarandi, quid dicat entitas actus mali, inclusa in dicto aggregato. Nam entitas actus mali minus bene declaratur per specialem modum tendendi in obiectum, præscindentem à modis tendendi prosecutionis, & fugæ: ergo &c. Antecedens probatur. Nam hoc modo nimis confusè declaratur entitas actus mali ut sic, nec poterunt explicare aduersarij, quid sit modus ille specialis tendendi in obiectum, præscindentem à modis tendendi prosecutionis, & fugæ: ergo minus bene declaratur entitas actus mali per modum specialem tendendi in obiectum, quando potest facillimè declarari, iuxta priorem, & communem declarandi modum, superius memoratum, per positivam tendentiam ad obiectum malum, siue formalem, siue virtuale, & interpretatiuam, iuxta inferius dicenda.

137 **Q**uod autem possit entitas actus mali facillimè declarari per positivam tendentiam ad obiectum malum, sic probatur destruendo aduersariorum fundamentum. Nam positiva tendentia ad obiectum malum non conuenit vlli actui bono, & aliunde conuenit omni actui malo: ergo per positivam tendentiam ad obiectum malum potest facillimè declarari, quid dicat entitas actus mali. Antecedentis prima pars probatur. Nam in primis actus bonus prosecutionis solum dicit tendentiam ad obiectum bonum, ut est certum. Deinde actus bonus fugæ, fugiens obiectum malum quia malum, cui conuenire, volunt ad-

uere

uersarij, dictam tendentiam, non tendit proprie ad obiectum malum, sed potius fugit, & recedit ab ipso: ergo tendentia ad obiectum malum non conuenit ulli actui bono. Ante cedens probatur. Tendere ad obiectum proprie non est respicere obiectum præcisè, sed conari, & ferri ad illud affectiuè, & quasi ad ipsum aspirare; hæc enim est propria, & germana significatio huius vocis *tendo* inter Latinos, licet quandoque sumatur metaphoricè, & late pro quolibet respectu ad obiectum: sed actus bonus fugæ, fugiens obiectum malum quia malum, non dicit conatum ad obiectum malum, nec fertur, aut aspirat ad illud affectiuè, sed potius aueritur, & recedit ab eo affectiuè: ergo non tendit proprie ad obiectum malum. Unde tendentia ad obiectum proprie, & strictè, (de qua sola est sermo in præsentia,) dicit prosecutionem obiecti, ratione cuius voluntas conatur, & fertur ad obiectum, & quasi aspirat ad illud.

138 Secunda etiam antecedentis pars probatur. Nam in primis actus malus prosecutionis verè habet tendentiam ad obiectum malum, ut patet. Deinde actus malus fugæ, fugiens obiectum bonum quia asperum, aut incommodum, licet non tendat formalitèr ad obiectum malum, tendit tamen virtualitèr, & interpretatiuè ad obiectum malum, scilicet ad omissionem, & carentiam obiecti boni, quod fugit, quæ omisio, & carentia est sine dubio obiectum malum; fuga enim, & nolitio auditionis Missæ præceptæ est virtualis, & interpretatiua volitio omissionis Missæ, atque adeo tendentia proprie ad illam: ergo omni actui malo conuenit tendentia positua ad obiectum malum, siue formalis, ut in affectu malo prosecutionis, siue virtualis, & interpretatiua, ut in affectu malo fugæ. Hæc doctrina amplius corroboratur ex eo, quod ad actum malum etiam prosecutionis non semper requiratur, velle formalitèr obiectum malum, sed sufficiat sæpè velle illud virtualitèr, & interpretatiuè, ut fatetur Theologi, & innumeris exemplis comprobari posset, quæ quia notissima, & passim occurrentia omitto; in quo differt actus prosecutionis malus ab actu prosecutionis bono, hic enim semper debet velle formalitèr obiectum bonum ut tale, & non virtualitèr, & interpretatiuè tantum.

139 Obijcies primò, Affectus pollutionis ut delectabilis, indeli-

deliberatus, & primo primus, non est dissonus naturæ rationali, solum ob defectum aduertentiæ malitiæ: ergo hæc aduertentia necessaria est ad malitiam talis affectus. Antecedens probatur. Primò, quia naturæ rationali non est dissonum, amplecti bonum, quod hic, & nunc proponitur absque malitiæ: sed bonum delectabile pollutionis proponitur in casu antecedentis absque representatione malitiæ: ergo non est dissonum naturæ rationali, amplecti tunc tale bonum per illum affectum indeliberatum. Secundò, quia naturæ rationali non est dissonum, efficere id, quod non potest non efficere: sed in dicto casu indeliberationis non potest non amplecti bonum delectabile pollutionis per dictum affectum indeliberatum: ergo hoc non erit dissonum naturæ rationali. Tertiò, quia naturæ rationali non est dissonum, quod non est intra genus moris: sed affectus pollutionis indeliberatus non est intra genus moris: ergo non est dissonus naturæ rationali. Quartò, quia naturæ rationali non est dissonum, sequi rationem: sed ratio dicit, posse amplecti bonum, propositum absque representatione malitiæ, ut contingit in casu antecedentis: ergo non est dissonum, in tali casu amplecti bonum delectabile pollutionis per dictum affectum indeliberatum.

140 Respondeo, negans antecedens. Nam non solum est dissonus naturæ rationali actus liber, & formalitèr imputabilis ad culpam, sed omnis etiam actus, habens in se aliquam inhonestatem, & turpitudinem, ratione cuius nunquam potest aduertentèr fieri sine reatu culpæ, qualem habet dictus affectus pollutionis indeliberatus, & primo primus, licet ob defectum aduertentiæ non imputetur de facto ad culpam. Ad primam antecedentis probationem, distinguo maiorem, naturæ rationali non est dissonum, amplecti bonum, quod hic, & nunc proponitur absque malitiæ, si amplexio talis boni habeat in se aliundè aliquam inhonestatem, & turpitudinem, ratione cuius nunquam possit aduertentèr fieri sine reatu culpæ, qualem habet dictus affectus pollutionis indeliberatus, nego; si non habeat in se talem inhonestatem, & turpitudinem, concedo. Et concessa minore, nego consequentiam.

141 Ad secundam probationem similiter distinguo maiorem, naturæ

naturæ rationali non est dissonum, efficere id, quod non potest non efficere, si eius effectio habeat in se aliunde supradictam inhonestatem, & turpitudinem, qualem habet amplecti bonum delectabile pollutionis per dictum affectum, nego; si eam non habeat, concedo. Et concessa minore, nego consequentiam. Ad tertiam probationem nego minorem: Nam affectus pollutionis indeliberatus est sufficienter intra genus moris eo ipso, quod habeat inhonestatem, & turpitudinem supradictam, ratione cuius non potest vnquam aduertenter fieri sine reatu culpæ, licet defacto liber non sit, nec formaliter imputabilis; nomine enim malitiæ moralis, siue ad mores pertinentis, non intelligitur solum malitia libera, & formaliter imputabilis ad culpam, sed quælibet inhonestas, & turpitudinis, quæ ex se posset sufficienter fundare imputabilitatem, nisi deesset libertas, & aduertentia eius. Ad quartam probationem distinguo minorem, ratio dicit, posse amplecti bonum, propositum absque representatione malitiæ, quando amplexio talis boni habet in se supradictam inhonestatem, & turpitudinem, qualem habet præfata amplexio boni delectabilis pollutionis, nego; quando eam non habet, transeat. Et nego consequentiam.

142 Obijcies secundo. Affectus comedendi carnes die mercurij v. g. caret formali malitia ex eo præcisè, quod non adfit aduertentia malitiæ: ergo sine aduertentia malitiæ nulla malitia formalis potest esse in actu malo. Respondeo, negans antecedens: Affectus enim comedendi carnes die mercurij non caret formali malitia ex eo præcisè, quod non adfit aduertentia malitiæ, sed quia non adest prohibitio comedendi illas eo die, qua stante, talis affectus esset formaliter malus, & inhonestus, etiam non stante aduertentia malitiæ, licet ob defectum huius aduertentia non esset formaliter ad culpam imputabilis, imo aduertentia malitiæ debet supponere malitiam in tali affectu, procedentem à prohibitione, & cognitam per illam aduertentiam.

143 Obijcies tertio. Affectus malus, non attingens expressè malitiam obiecti, sed volens solum obiectum, quod est in se malum, non potest esse formaliter malus sine aduertentia malitiæ

malitiæ obiecti: ergo hæc aduertentia constituit talem affectum in esse formaliter mali. Antecedens probatur. Primò, quia, vt talis affectus sit formaliter malus, debet saltem virtualiter, & interpretatiue velle malitiam obiecti, cum eam formaliter, & expressè non velit: sed non potest virtualiter, & interpretatiue velle malitiam obiecti sine aduertentia talis malitiæ; qui enim non cognoscit aliquod obiectum, non dicitur virtualiter, & interpretatiue velle illud: ergo non potest esse formaliter malus sine aduertentia malitiæ obiecti. Secundò, quia vt talis affectus sit formaliter malus, malitia obiecti debet esse voluntaria respectu talis affectus: sed malitia obiecti non potest esse voluntaria respectu talis affectus, nisi ratione aduertentia talis malitiæ, cum hæc non sit expressè volita: ergo non potest esse formaliter malus sine aduertentia malitiæ obiecti. Minor probatur. Voluntarium est, quod est à voluntate cum cognitione, & aduertentia: ergo malitia obiecti non potest esse voluntaria respectu talis affectus, nisi ratione aduertentia talis malitiæ. Tertio, quia affectus formaliter malus ratione malitiæ obiecti, debet hanc aliquo modo attingere: sed dictus affectus non attingit per se ipsum malitiam obiecti: ergo debet illam attingere saltem per cognitionem, & aduertentiam eius.

144 Respondeo, negans antecedens. Nam dictus affectus, etiam sine aduertentia malitiæ obiecti, habet aliquam formalem malitiam, & inhonestatem, vt ostensum est supra, licet non imputabilem formaliter ad culpam. Ad primam probationem distinguo minorem, non potest virtualiter, & interpretatiue velle malitiam obiecti, cum imputabilitate formali ad culpam, sine aduertentia talis malitiæ, concedo; sine imputabilitate formali ad culpam, nego: nam vt dictus affectus dicatur virtualiter, & interpretatiue velle malitiam obiecti sine imputabilitate formali, sufficit, velle obiectum, quod in se licet, & nunc est malum, & inhonestum, cuique secundum præsentem statum est annexa malitia, licet non adfit huius aduertentia; aduertentia namque malitiæ obiecti, licet necessaria sit, vt affectus sit virtualiter, & interpretatiue volens talem malitiam cum formali imputabilitate ad culpam, non tamen

ut sit virtualiter, & interpretatiue volens illam sine formali imputabilitate, atque adeo nec ut sit malus. Etenim sicut malitia obiecti, etiam si ipsi saepe extrinseca, reddit obiectum malum, independenter ab aduertentia talis malitiae, ita reddere potest malum affectum illius obiecti, independenter ab ea aduertentia; non potest autem reddi malus dictus affectus independenter ab aduertentia malitiae, nisi independenter ab ipsa velit aliquo modo saltem virtualiter, & interpretatiue malitiam obiecti. Quod patet etiam in affectu pollutionis in-
deliberato, cui, licet facti sine aduertentia malitiae obiecti, conceditur communiter malitia, & inhonestas, ratione cuius non potest licite procurari, & desiderari; quod non ita esset, nisi talis affectus, factus sine illa aduertentia, esset volitio virtualis, & interpretatiua malitiae obiecti, licet sine formali imputabilitate.

345 Ad secundam probationem distinguo maiorem, ut dictus affectus sit formaliter malus, debet malitia obiecti esse voluntaria respectu talis affectus formaliter in se, nego; virtualiter, & interpretatiue, concedo. Et loquendo de hoc voluntario virtuali, & interpretatiuo, distinguo minorem, malitia obiecti non potest esse voluntaria respectu talis affectus cum formali imputabilitate, nisi ratione aduertentiae talis malitiae, concedo; sine formali imputabilitate, nego: nam, ut malitia obiecti sit virtualiter, & interpretatiue voluntaria respectu dicti affectus sine formali imputabilitate, satis est, ut dictus affectus velit obiectum, quod in se hic, & nunc est malum, & inhonestum, cuique secundum praesentem statum est annexa malitia, ad quod non requiritur aduertentia malitiae, licet requiratur, ut malitia obiecti sit voluntaria imputabiliter. Ad probationem concedo antecedens cum proportione debita: nam quod est voluntarium formaliter in se, vel virtualiter, & interpretatiue cum formali imputabilitate, debet esse a voluntate cum cognitione, & aduertentia sui; quod vero solum est voluntarium virtualiter, & interpretatiue sine formali imputabilitate, solum debet esse mediate a voluntate cum cognitione alterius obiecti, cui illud annexum est secundum praesentem statum. Et deinde distinguendum est con-

sequitur

sequens eodem modo, quo minor: Nam cum malitia obiecti solum sit voluntaria respectu talis affectus virtualiter, & interpretatiue sine formali imputabilitate, ad id solum requiritur cognitio, & aduertentia obiecti, cui secundum praesentem statum est annexa malitia; non vero requiritur aduertentia malitiae, haec enim requiritur solum ad formalem imputabilitatem.

346 Ad tertiam probationem distinguo minorem, dictus affectus non attingit per se ipsum malitiam obiecti formaliter in se, concedo; virtualiter, & interpretatiue, scilicet attingendo obiectum, cui secundum praesentem statum est annexa malitia, nego: & nego consequentiam. Imo addo, affectum malum debere attingere malitiam obiecti virtualiter, & interpretatiue, non utcumque, sed affectiue; unde ut censeatur illam virtualiter, & interpretatiue attingere, non debet haec attingentia fieri per cognitionem, & aduertentiam, quia attingentia cognitionis non est affectiua, sed representatiua.

347 Septima opinio diuersimode loquitur de malitia formali actus prohibiti quia mali, & de malitia formali actus mali quia prohibiti: Nam primam ponit in entitate intrinseca actus mali, tendentis ad obiectum malum: secundam vero ponit, aliquando in entitate intrinseca actus mali, tendentis ad obiectum malum, & aliquando in aggregato ex entitate actus mali, & aduertentia extrinseca malitiae, & prohibitionis. Quod sic declarat: nam vel actus voluntatis est formalis volitio expressa transgressionis legis prohibentis, & sic formalis malitia est ipsa entitas talis volitionis, vel est virtualis, & interpretatiua solum volitio transgressionis, ita ut formaliter velit solum obiectum, quod prohibitum est, non attingendo formaliter, & expresse prohibitionem eius, & sic formalis malitia praeter entitatem talis volitionis includit etiam aduertentiam malitiae extrinsecam. Ita nonnulli Recentiores.

348 Censeo secundo. Falsa est etiam haec opinio. Et in primis falsum est, formalem malitiam actus voluntatis prohibiti quia mali consistere in sola entitate intrinseca actus: ostensam namque est puncto praecedente, conclusione secunda,

Haec

esse

esse plures actus prohibitos quia malos, quorum formalis malitia, etiam fundamentaliter solum imputabilis, stare non potest in sola entitate intrinseca ipsorum. Videantur ibi dicta.

149 Deinde falsum est, in actibus malis quia prohibitis esse distinguendos aliquos actus voluntatis, volentes expressè, & formaliter transgressionem legis prohibentis, & alios non volentes expressè, & formaliter eam transgressionem, sed virtualiter, & interpretatiue solum. Nam formalis volitio expressa transgressionis legis prohibentis v.g. comestionem carniū die veneris, non est actus malus quia prohibitus, imo talis volitio est ex natura rei mala, antecedenter ad omnem legem reflexe prohibitivam ipsius: ergo talis volitio minus bene annumeratur inter actus malos quia prohibitos, sed annumeranda esset inter actus prohibitos quia malos. Confirmo. Nam licet talis volitio pendeat a lege, prohibente comestionem carniū, hanc reddente malam quia prohibitam, ea tamen lex, prohibens comestionem carniū, non potest volitionem illam reddere malam quia prohibitam: ergo &c. Antecedens probatur. Quando aliqua volitio est mala, quia prohibita a lege, potest manere tota entitas intrinseca volitionis, non stante lege prohibente, & advertentia eius, ut constat ex superius dictis præsertim puncto præcedente, conclus. 1: sed entitas dictæ volitionis transgressionis legis, prohibentis comestionem carniū, non potest manere, non stante tali lege prohibente, aut advertentia eius saltem, cum pendeat ab ipsa tanquam ab obiecto, expressè tacto: ergo ea lex, prohibens comestionem carniū, non potest dictam volitionem transgressionis reddere malam quia prohibitam.

150 Tandem falsum est, formalem malitiam actus mali quia prohibiti, volentis solum virtualiter, & interpretatiue transgressionem legis prohibentis, consistere in aggregato ex entitate actus mali, & advertentia extrinseca malitiæ, & prohibitionis, præsertim si sermo sit de omni, & quacunque malitia formali talis actus, & non de ea ut formaliter ad culpam imputabili tantum; ostensum enim est punct. 1. in impugnatione tertiæ opinionis, etiam in actibus voluntatis malis quia
proh

prohibitis, esse concedendam aliquam malitiam formalem, independentem à iudicio, & advertentia malitiæ, & prohibitionis, & cognitam per tale iudicium, & advertentiam, quæ dicitur malitia formalis materialiter, & fundamentaliter imputabilis ad culpam: ergo hæc malitia formalis saltem non consistet in dicto aggregato. Et quidem si in actibus prohibitis quia malis admittit hæc opinio aliquam malitiam formalem, independentem à iudicio, & advertentia malitiæ, cur non illam admittet etiam in actibus malis quia prohibitis, independentem à iudicio, & advertentia malitiæ; cum in utrisque actibus debeat tale iudicium, & advertentia supponere malitiam, quam cognoscit. Quare adversarijs adhuc explicandum restat, in quo consistat hæc malitia formalis: distincta, & independentens ab advertentia malitiæ, præsertim cum in sola actus entitate consistere non possit, iuxta dicta puncto præcedente.

§ 1 Obijcies. Lex prohibet, actum fieri libere, & advertentem: ergo actus sine libertate, & advertentia, non est prohibitus: ergo nec formaliter malus. Respondeo ex Arriaga in 1. 2. tract. de actib. human. disp. 19. sect. 8. nu. 38. negans antecedens. Nam licet lex, prohibens actum, loquatur cum solis agentibus liberis, quæ sola sunt capacia præcepti, non tamen prohibet actum ut libere factum, ut constabit perpendenti verba legis prohibentis. Unde comedens carnes die veneris sine advertentia malitiæ, non peccat contra præceptum, non quia ex parte obiecti non posuerit, quidquid lege prohibitum est, sed quia defuit ex parte principii aliquid necessarium, ut comestio ad culpam imputaretur. Adde, quod, licet permitterentur antecedens, & prima consequentia, posset negari secunda: nam in primis in actibus prohibitis quia malis, advertentia, cum qua illi fieri prohibentur, est iam advertentia malitiæ, quæ supponere debet malitiam, quam cognoscit, & sic talis malitia non proveniet ab illa advertentia. Deinde in actibus malis quia prohibitis prohibitio non attingit ex parte obiecti malitiam, ut dictum est puncto præcedente à nu. 108. atque adeo nec advertentiam eius, sed ad summum aliam advertentiam distinctam à advertentia autem malitiæ
sus

supponere debet prohibitionem, inducentem in dictis actibus malitiam, quam cognoscit, & sic hæc malitia non proveniet ab ea advertentia.

CAPVT IV.

Verior, & probabilior opinio.

153 **I**mpugnatis opinionibus hætenus excogitatis, non videtur turiam difficile, de tam graui questione verum ferre iudicium. Ad quod reuocandum est in memoriam. Primò, formalem malitiam actus voluntatis posse considerari, vel vt formalitèr imputabilem ad culpam, vel vt materialitèr, & fundamentalitèr imputabilem: constat enim ex cap. 3. punct. 1. conclus. 3. à nu. 81. vsque ad 88. esse concedendam in actibus voluntatis malis malitiam aliquam formalem, distinctam, & independètem à iudicio, & advertentia malitiæ, atque adeo & ab imputabilitate formali, proueniente à tali iudicio, & advertentia malitiæ. Secundò, actus voluntatis malos, alios esse malos quia prohibitos, & alios esse prohibitos quia malos. Tertio, ex actibus voluntatis prohibitis quia malis, alios formalitèr, & expressè velle malitiam obiecti vt obiectum materiale, licet id non ita frequentèr contingat: alios vero actus, communitèr elicitos, non velle formalitèr, & expressè malitiam obiecti adhuc vt obiectum materiale, sed virtualitèr, & interpretatiuè solum, volendo scilicèt entitatem obiecti, quod in se malum est, & inhonestum: quod ex duplici capite prouenire posse, notauimus iam cap. 3. punct. 2. conclus. 2. à nu. 113. vel quia malitia obiectiua non est omnino intrinseca entitati obiecti volitæ, & inseparabilis ab ipsa, sed pendet ab aliqua circumstantia extrinseca contingenti, quam non attingit formalitèr, & expressè actus voluntatis; vel quia licet malitia obiectiua sit intrinseca entitati obiecti, & inseparabilis ab ipsa, tamen actus voluntatis, volens eius entitatem, non attingit formalitèr, & expressè eius malitiam in-

trinsecam, sed implicitè, & materialitèr, quatenus idemptificatam cum entitate obiecti volita. Videantur hæc loco supracitato.

PUNCTVM I.

154

Præfata opinio declaratur, & stabilitur.

155 **C**enseo primò. In actibus voluntatis prohibitis quia malis, formalitèr, & expressè volentibus malitiam, & inhonestatem obiecti, aliqua est malitia formalis, consistens in entitate intrinseca actus, expressè tendentis ad obiectum malum, & malitiam eius; vel potius consistens in intrinseca tendentia expressa actus ad obiectum malum, & malitiam eius. Probatum primò. Tendentia expressa actus ad obiectum malum, & malitiam eius est conceptus proprius talium actuum vt malorum, distinguens illos ab omni actu non malo, & aliunde in ipsis vt malis est conceptus prior, & cæterorum conceptuum radix: ergo in tali tendentia consistit aliqua eorum malitia formalis. Antecedentis prima pars probatur. Tendentia expressa actus ad obiectum malum, & malitiam eius, nec conuenit actui bono voluntatis, constat enim ex cap. 3. punct. 3. nu. 137. nullum actum bonum siue prosecutionis, siue fugæ tendere ad obiectum malum; nec actui indifferenti, qui semper tendit ad obiectum indifferens, quod nec bonum, nec malum sit: ergo talis tendentia est conceptus proprius eorum actuum vt malorum, distinguens illos ab omni actu non malo.

156 **S**ecunda antecedentis pars probatur. Omnes alij conceptus, scilicèt carentia relicitudinis, oppositio cum lege, disconformitas cum iudicio rationis, & disconuenientia cum natura rationali vt sic, quasi oriuntur ex dicta tendentia expressa ad malitiam obiecti, & hæc tendentia à nullo alio conceptu oritur: ergo dicta tendentia est conceptus prior, & cæterorum radix. Antecedens probatur. Tum quia carentia relicitudinis, oppositio cum lege, disconformitas cum iudicio

rationis, & disconuenientia cum natura rationali supponunt aliquem conceptum proprium eorum actuum malorum, in quo fundantur, & à quo quasi oriuntur, vt constat ex impugnatione aliarum opinionum: sed hic conceptus proprius in dictis actibus malis non potest esse nisi tendentia expressa ad malitiam obiecti: ergo quasi oriuntur ex hac tendentia. Tum, quia cum tendentia, & volitio expressa malitiæ obiecti sit ex se exclusiua rectitudinis, & impossibilis cum ipsa, ex se infert carentiam rectitudinis; item ex hoc præcisè, quod actus velit expressè malitiam obiecti, iam contrariatur legi, prohibenti velle illam, & iudicio rationis, præscribenti, illam non esse volendam, & naturæ rationali, cuius excellentiæ, & perfectioni indecorum, & indecens est, velle illam: ergo præfati conceptus quasi oriuntur ex dicta tendentia expressa ad malitiam obiecti.

157 Probatur secundò. Tendentia expressa ad obiectum accipit speciem ab obiecto, quod expressè attingit: ergo tendentia expressa ad malitiam, & inhonestatem obiecti, quam expressè attingit, accipit ab illa speciem in genere moris: sed non accipit ab illa speciem boni, aut indifferentis: ergo speciem malitiæ moralis; cumque hæc malitia moralis sit propria actus voluntatis, erit sine dubio malitia moralis formalis, & non obiectiua tantum: ergo sola tendentia dicta constituit aliquam malitiam formalem actus. Confirmo. Sola tendentia expressa actus ad bonitatem obiectiuam, quam expressè attingit, est bonitas aliqua formalis actus: ergo etiam sola tendentia expressa actus ad malitiam obiectiuam, quam expressè attingit, erit malitia aliqua formalis actus.

158 Nec refert primò, tendentiam illam expressam actus mali esse ad malitiam obiectiuam, non tanquam ad obiectum formale specificans, sed tanquam ad obiectum materiale; quod aliter contingit in tendentia expressa actus boni, que semper est ad bonitatem obiectiuam tanquam ad obiectum formale specificans. Nam, vt ostendi in libris de Anima, actus non specificantur solum ab obiecto formali, sed etiam à materiali, expressè tacto, eo quod tam essentialiter respiciant obiectum materiale, quam formale.

159 Nec

159 Nec refert secundò, tendentiam illam expressam actus mali ad malitiam obiectiuam, non esse malitiam formalem, sed fundamentalem. Primò, quia si inquiramus ab aduersarijs, cur malitia illa formalis non sit, respondent per quæstionem, quia formalis malitia debet includere, vel carentiam rectitudinis, vel disconformitatem cum lege, iudicio rationis, aut natura rationali, in quo manifestè petitur principium, debent enim reddere rationem, cur malitia formalis debeat includere carentiam, aut disconformitatem dictam, cuius rei nullam rationem reddere possunt. Secundò, quia cum tendentia illa ad malitiam obiectiuam sit tendentia formalis, propria actus voluntatis, si ea tendentia dicatur esse malitia aliquo modo, erit sine dubio malitia formalis. Tertio, quia si carentia rectitudinis, vel disconformitas dicta participat iuxta aduersarios conceptum malitiæ formalis: ergo participabit etiam illum tendentia expressa ad malitiam obiectiuam, à qua quasi oriuntur illi alij conceptus. Quarto, quia tendentia illa expressa ad malitiam obiectiuam specificatur formalitèr ab illa: ergo accipit ab ipsa speciem malitiæ formalis.

160 Probatur tertio. Sola tendentia expressa actus ad malitiam obiectiuam, est ratio formalis, specificans actum fugæ honestum, & virtuosum; potest enim quis honestè fugere, & nolle aliquem actum malum, præcisè quia est volitio expressa malitiæ obiectiæ: sed ratio formalis, specificans actum fugæ virtuosum, est malitia moralis: ergo tendentia illa expressa præcisè est malitia moralis: sed non est malitia obiectiua tantum, cum sit malitia actus voluntatis: ergo est malitia formalis.

161 Probatur quarto. Malitia obiectiua est intrinseca, & essentialis aliquibus obiectis malis, v. g. malitia copulæ Sodomiticæ, & similium obiectorum, licet alijs obiectis extrinseca sit: ergo similiter malitia formalis erit intrinseca, & essentialis aliquibus actibus voluntatis malis, præsertim tendentibus expressè ad malitiam obiectiuam, licet alijs actibus extrinseca sit.

162 Censeo secundò. In actibus voluntatis prohibitis quia malis, non attingentibus expressè formalitèr malitiam obiectiuam,

!

sed

sed præcisè entitatem obiecti, quod in se malum est extrinsecè, & separabiliter ratione alicuius circumstantiæ extrinsecæ, & contingentis, malitia formalis, saltem materialitèr, & fundamentalitèr imputabilis; consistit in aggregato ex entitate actus, tendentis ad obiectum malum, & circumstantia illa extrinseca vitante obiectum, quod aggregatum dici solet monstrositas quædam moralis, v. g. in affectu Petri accedendi ad Mariam quia vtile ad generationem, deficiente coniugio, malitia formalis est aggregatum ex tali affectu, & circumstantia illa extrinseca defectus coniugij; in affectu occidendi Paulum, vel auferendi bona ipsius, deficiente dominio in vitam, & bona Pauli, malitia formalis est aggregatum ex tali affectu, & circumstantia illa extrinseca defectus dominij in vitam, & bona Pauli, alijsque, si quæ sunt, circumstantijs vitiantibus; & sic in alijs actibus similibus. Vnde in his actibus denominatio formalitèr mali erit denominatio partim intrinseca, & partim extrinseca, vt pote desumpta ab entitate intrinseca actus, & a circumstantia extrinseca, vitante obiectum.

163 Probatur primo ex dictis. In his actibus reperitur malitia formalis distincta, & independens à iudicio, & aduertentia malitiæ, saltem fundamentalitèr imputabilis, vt constat ex cap. 3. punct. 1. conclus. 3. à nu. 81. vsque ad 88. quæ quidem cum non possit consistere in sola entitate actus, iuxta dicta citato cap. 3. punct. 2. conclus. 2. à nu. 123. vsque ad 125. debet præter entitatem actus dicere aliquid aliud extrinsecum: sed hoc extrinsecum non potest esse nisi circumstantia extrinseca dicta, vt patet ex impugnatione aliarum opinionum: ergo præter entitatem actus dicit circumstantiam extrinsecam dictam.

164 Probatur secundò. Stante illa circumstantia extrinseca vitante obiectum, & entitate actus tendentis ad illud, actus voluntatis est necessario malus, & inhonestus, & non stante tali circumstantia, idem ille actus voluntatis iam non est malus, & inhonestus, v. g. affectus Petri accedendi ad Mariam quia vtile ad generationem, deficiente coniugio, est necessario malus, & inhonestus, stante verò coniugio, idem affectus non est malus, & inhonestus, vt constat ex citato cap. 3. punct. 2. conclus. 2. nu. 125: ergo talis malitia, & inhonestas dicit en-
tita-

titatem actus, & circumstantiam extrinsecam dictam.

165 Probatur tertio. Malitia, & inhonestas obiectiua in obiecto talis actus voluntatis, dicit entitatem obiecti, & circumstantiam extrinsecam vitantem illud, v. g. malitia, & inhonestas obiectiua accessus Petri ad Mariam dicit entitatem talis accessus, & defectum coniugij: ergo similiter malitia, & inhonestas formalis dicti actus voluntatis, dicit entitatem actus, & circumstantiam illam extrinsecam; cum enim actus voluntatis non attingat formalitèr circumstantiam illam extrinsecam vitantem, talis circumstantia tam extrinseca est entitati obiecti, quam entitati actus voluntatis.

166 Probatur quarto. Ex aggregato ex entitate actus voluntatis, & circumstantia illa extrinseca vitante obiectum, quasi oriuntur alij conceptus, scilicet carentia rectitudinis, oppositio cum lege, disconformitas cum iudicio rationis, & dissonantia cum natura rationali, vt perpendiculari constabit; & aliunde hoc aggregatum est sufficiens fundamentum imputabilitatis cum actus voluntatis, vestitus tali circumstantia, non possit aduertentèr fieri sine reatu culpæ, illique vt sic solum desit libertas, & aduertentia, vt imputeretur ad culpam: ergo hoc aggregatum est malitia formalis, saltem fundamentalitèr imputabilis.

167 Hinc nòt, malitiam formalem horum actuum esse aliquando aggregatum ex positiuo, & negatiuo, vt patet in dicto affectu Petri accedendi ad Mariam, cuius malitia formalis est aggregatum ex entitate positiuæ affectus, & ex defectu, seu carentia coniugij.

168 Censeo tertio. In actibus voluntatis prohibitis quia malis, attingentibus entitatem obiecti, quod in se malum est intrinsecè, & inseparabiliter, non tamen attingentibus formalitèr expressè malitiam intrinsecam obiecti, malitia formalis, materialitèr, & fundamentalitèr imputabilis, consistit in aggregato ex entitate actus, tendentis ad tale obiectum, & malitia, & inhonestate obiecti: & sic in his etiam actibus denominatio formalitèr mali est partim intrinseca, & partim extrinseca ipsis, v. g. in affectu copulæ Sodomiticæ quia deletabilis, malitia formalis est aggregatum ex tali affectu, &

malitia obiectiua dictæ copulæ sodomiticæ.

169 Probatu eisdem ferè rationibus conclusionis præcedentis. Primò, quia in his actibus est malitia formalis, distincta, & independens à iudicio, & aduertentia malitiæ saltem fundamentalitèr imputabilis, vt constat ex cap. 3. punct. 1. conclus. 3. quæ quidem cum non sit sola entitas actus, iuxta dicta citato cap. 3. punct. 2. conclus. 2. à nu. 126. vsque ad 128. debet præter entitatem actus includere aliquid aliud extrinsecum: sed hoc extrinsecum non potest esse aliud, quam malitia, & inhonestas ipsa obiecti, vt constat ex impugnatione aliarum opinionum: ergo talis malitia includit entitatem actus, & malitiam obiecti eius.

170 Secundò, quia, stante nunc malitia v. g. copulæ Sodomiticæ, & entitate affectus, tendentis ad talem copulam, sine attingentia expressa malitiæ eius, affectus copulæ Sodomiticæ, est necessario malus, & inhonestus; si vero per impossibile auferretur malitia à copula Sodomitica, idem ille affectus iam non esset malus, & inhonestus, vt patet ex cap. 3. punct. 2. conclus. 2. à nu. 126, vsque ad 128: ergo malitia, & inhonestas talis affectus stat in entitate affectus, & malitia obiectiua copulæ Sodomiticæ.

171 Tertio, quia ex aggregato ex entitate actus voluntatis dicti, & malitia obiecti quasi oriuntur alij conceptus, scilicet carentia rectitudinis, oppositio cum lege, disconformitas cum iudicio rationis, & dissonantia cum natura rationali, vt patebit consideranti, quod hoc aggregatum est exclusiuum rectitudinis, & contrarietur legi, iudicio rationis, & naturæ rationali; & aliunde hoc aggregatum est fundamentum sufficiens imputabilitatis, cum talis actus, stante malitia obiecti, non possit aduertentèr fieri sine reatu culpæ: ergo hoc aggregatum est malitia formalis saltem fundamentalitèr imputabilis.

172 Censeo quartò. In actibus voluntatis malis quia prohibitis malitia formalis fundamentalitèr imputabilis, consistit in aggregato ex entitate actus, tendentis ad obiectum in se malum, & prohibitum, & prohibitionem ipsa; vnde in his etiam actibus denominatio formaliter mali est partim intrinseca, &

par-

partim extrinseca ipsis: v. g. in affectu comestionis carniū die veneris quia delectabilis, malitia formalis est aggregatum ex entitate talis affectus, & prohibitionem comestionis carniū.

173 Hanc conclusionem conuincunt etiam rationes secundæ conclusionis. Primò, quia in his actibus est malitia formalis, distincta, & independens à iudicio, & aduertentia malitiæ, saltem fundamentalitèr imputabilis ad culpam, vt liquet ex cap. 3. punct. 1. conclus. 3. quæ quidem, cum non sit sola entitas actus, iuxta dicta citato cap. 3. punct. 2. conclus. 1. debet præter entitatem actus includere aliquid aliud extrinsecum, quod non potest esse nisi prohibitio, vt constat ex impugnatione aliarum opinionum: ergo talis malitia formalis includit dictam entitatem actus, & prohibitionem ipsam.

174 Secundò, quia, stante prohibitionem carniū die veneris, & entitate affectus, tendentis ad comestionem earum vt delectabilem, affectus talis comestionis est necessario malus, & inhonestus; non stante verò prohibitionem dicta, idem ille affectus iam non est malus & inhonestus, vt liquet ex citato cap. 3. punct. 2. conclus. 1: ergo malitia, & inhonestas illius affectus dicit, non entitatem affectus solam, sed hanc, & prohibitionem simul.

175 Tertio, quia malitia, & inhonestas obiectiua comestionis carniū die veneris dicit entitatem talis comestionis, eiusque prohibitionem simul: ergo similiter malitia, & inhonestas formalis affectus talis comestionis dicit entitatem affectus, & prohibitionem simul; cum enim affectus talis comestionis non attingat formalitèr prohibitionem, prohibitio tam extrinsecè & contingentèr aduenit affectui, quam comestioni. Aduertè tamen, malitiam obiectiuam comestionis carniū die veneris præter entitatem comestionis, & prohibitionem eius, dicere etiam existentiam diei veneris, aut partis eius, coexistentis comestioni, quam non dicit malitia formalis affectus comedendi illas die veneris. Nam eadem illa comestio carniū, facta die Iouis non prohibito, non est obiectiuè mala, quamuis tunc existat talis comestio, & eadem prohibitio comedendi carnes die veneris, præcisè quia non existit dies ve-

nee

neris, coexistens comestioni: affectus autem comedendi carnes die veneris prohibito, quocunque die existat etiam die Iouis, est formaliter malus. Et ratio discriminis est; quia affectus comedendi carnes die veneris prohibito, attingit ex parte obiecti diem veneris prohibito, & ad illum dicit intrinsecè ordinem transcendentalem, in quocunque die existat etiam non prohibito, & sic semper est formaliter malus: at comestio carnum die veneris non attingit ex parte obiecti diem veneris, nec ad illum dicit intrinsecè ordinem transcendentalem, sed existentia huius diei veneris est solum circumstantia mere extrinseca talis comestionis, & ideo eadem illa comestio, facta altero die non prohibito, non est mala ob defectum existentie diei veneris, & coexistentie huius cum illa: signum ergo est, malitiam obiectiuam comestionis carnum die veneris, præter entitatem comestionis, & prohibitionem eius, dicere etiam existentiam diei veneris, coexistentis comestioni, eam verò non dicere malitiam formalem affectus comedendi illas die veneris.

176 Quarto, quia ex aggregato dicto ex entitate actus voluntatis, & prohibitionem, quasi oriuntur alij conceptus sæpè repetiti, scilicet carentia rectitudinis, disconformitas cum iudicio rationis, & dissonantia cum natura rationali, vt patet; & aliunde hoc aggregatum est fundamentum sufficiens imputabilitatis, cum actus voluntatis prohibitus non possit aduertentè fieri sine reatu culpæ: ergo hoc aggregatum est malitia formalis saltem fundamentalitèr imputabilis.

177 Quinto, quia formalis malitia affectus mali quia prohibiti consistit in oppositione absolutè, & simpliciter talis affectus cum prohibitionem: sed hæc oppositio præter affectum ipsum dicit etiam prohibitionem: ergo & malitia formalis. Minor probatur. Tum, quia, vt dicebam cap. 3. punct. 2. conclus. 1. præsertim nu. 122. idem affectus, qui nunc, stante prohibitionem actuali, est absolutè, & simpliciter oppositus ipsi, ablata, prohibitionem, non est absolutè, & simpliciter oppositus ipsi: ergo hæc oppositio præter affectum dicit etiam prohibitionem actualem. Tum, quia illum affectum esse absolutè, & simpliciter oppositum prohibitionem, nihil aliud est, quam esse prohibe-

hibitum ab ipsa: sed illum affectum esse prohibitum, præter affectum ipsum, dicit etiam prohibitionem legis actualem, à qua talis denominatur: ergo & esse absolutè, & simpliciter oppositum prohibitionem.

178 Sexto, destruendo aduersariorum fundamentum præcipuum. Si malitia formalis actus voluntatis mali quia prohibiti, præter entitatem actus, non diceret prohibitionem, maxime quia, cum prohibitio non sit in se mala, nec odio digna, non posset constituere malitiam formalem, in se odio dignam: sed hæc ratio est nulla: ergo &c. Minor probatur. Potest sæpè denominatio, & effectus formalis constitui ex aliqua, vel aliquibus entitatibus, quæ in se seorsim illum non participant: ergo licet prohibitio in se non sit mala, nec odio digna, poterit nihilominus ex ipsa constitui malitia formalis odio digna. Antecedens probatur exemplis. Nam humanitas constituitur ex materia, forma, & vnione, quarum nulla seorsim est humanitas; sacramenta constituuntur ex pluribus partibus, quarum nulla est Sacramentum; domus constituitur ex multis parietibus, quorum nullus est domus; facies deformis constituitur ex partibus, quarum nulla seorsim deformis est; denominatio Patris constituitur partialitèr ex substantia genita, quæ tamen Pater non est; denominatio dextri in Petro respectu Pauli, assistentis ad sinistram, constituitur partialitèr ex Paulo, qui tamen non est dexter, sed sinister; in Petro denominatio prioris respectu Pauli, constituitur partialitèr ex Paulo, qui non est prior, sed posterior. Et magis ad nostrum institutum, plebeium assidere Regi, est malum, & odio regio dignum, & tamen constituitur partialitèr ex latere regio, quod nec malum est, nec odio dignum; falsitas huius hæresis, in Deo non est Trinitas personarum, est mala, & odio digna, & tamen constituitur partialitèr ex Trinitate personarum diuinarum, quæ nec mala est, nec odio digna; malitia obiectiua esus carnum die veneris, odio digna, constituitur ex entitate talis esus, & prohibitionem, cum tamen prohibitio nec mala sit, nec odio digna, imo nec solus esus carnum præcisue à prohibitionem; malitia obiectiua accessus Petri ad Mariam odio digna, non stante coniugio, includit accessum, & defectum

ctum coniugij, cum tamen defectus coniugij nec malus sit, nec odio dignus; formalis imputabilitas actus ad culpam est mala, & odio digna, ut constabit infra, & tamen constituitur partialiter ex libertate, & aduertentia malitiæ, quæ non est mala, nec odio digna; & idem est in alijs exemplis passim occurrentibus. Et ratio est: Quia malitia formalis actus est monstruositas quædam moralis; quæ autem maior monstruositas moralis, quam coniunctum actus prohibiti cum prohibitione eius?

179 Censeo quinto. In actibus voluntatis malis formalis malitia ut formaliter ad culpam imputabilis, consistit in aggregato ex actu ipso malo, & libertate cum aduertentia malitiæ. Probat. Stante actu malo, & libertate cum aduertentia malitiæ, actus necessario est formaliter ad culpam imputabilis; si vero non adsit libertas cum aduertentia malitiæ, non est iam formaliter ad culpam imputabilis, licet persistat idem actus malus, & inhonestus: ergo malitia formalis ut formaliter ad culpam imputabilis, constituitur ex actu ipso malo, & libertate cum aduertentia malitiæ. Quare malitia formalis ut formaliter ad culpam imputabilis, erit partim intrinseca, & partim extrinseca actui; saltem regulariter loquendo, ratione libertatis, quæ, regulariter loquendo, est extrinseca actui, iuxta superius dicta cap. I. nu. II: si autem in aliquibus actibus malis libertas sit intrinseca, & essentialis actui, in eis malitia ut formaliter ad culpam imputabilis erit adæquatè intrinseca.

180 Censeo sexto. Quando elicitur actus malus solum ex conscientia erronea, qua eliciens errat, existimando, illum esse se malum, & inhonestum, cum in re talis non sit, v. g. cum quis ex errore existimans, esse malum, & illicitum comedere carnes die Iouis, elicit nihilominus affectum efficacem comedendi illas eo die quia delectabiles, talis actus nullam habet in se malitiam formalem, independentem à libertate extrinseca cum illa conscientia erronea malitiæ, quæque præter actum ipsum non includat formaliter libertatem extrinsecam cum illa conscientia erronea malitiæ.

181 Probat. Stante illo affectu, liberè elicitum cum conscientia illa erronea malitiæ, affectus est formaliter malus, & peccatus.

ctum; si vero auferatur conscientia erronea malitiæ, iam talis affectus nullam contineret malitiam, & inhonestatem, adhuc fundamentaliter imputabilem, cum posset tunc talis affectus liberè, & aduertentè fieri sine reatu culpæ: sed tunc adhuc esset idem affectus: ergo talis affectus nullam habet in se malitiam formalem, independentem à conscientia erronea malitiæ, quæque talem conscientiam non includat. Minor patet. Ablata conscientia erronea malitiæ, adhuc esset totum obiectum materiale, & formale talis affectus, scilicet entitas comestionis carniū die Iouis, & delectabilitas eius, imo & eadem cognitio, proponens eam comestionem ut delectabilem ergo adhuc tunc esset idem affectus. Unde quamuis conscientia illa erronea non attingat in comestione carniū die Iouis, & in affectu comedendi illas veram malitiam, sed eam solum apprehendat, ubi reuera non est, tamen ex dicto affectu, & conscientia illa erronea consurgit vera malitia formalis, ad verum peccatum, & culpam sufficiens, quæque in dicto aggregato consistit.

182 Vbi aduertis, malitiam formalem, siue fundamentaliter, siue formaliter imputabilem ad culpam includentem intrinsecè præter actum ipsum voluntatis aliquid aliud extrinsecum, siue hoc sit libertas cum aduertentia malitiæ, siue prohibitio, siue malitia obiecti, siue alia circumstantia extrinseca, solum dicere in recto actum voluntatis, & in obliquo illud aliud extrinsecum; sicut dixi similiter in Logica, relationem prædicamentalem intrinsecè includere fundamentum, & terminum, illud in recto, & hunc in obliquo. Et ratio est: Quia solus actus voluntatis est directè malus formaliter, non verò illud aliud extrinsecum: ergo denominatio formaliter mali solum actum voluntatis dicet in recto, & illud aliud extrinsecum in obliquo.

183 Dubitari hic posset, An libertas cum aduertentia malitiæ, constituens formaliter imputabilem ad culpam actum voluntatis, iam aliunde habentem malitiam, & inhonestatem formalem, saltem fundamentaliter imputabilem, superaddat nouam malitiam supra malitiam illam actus fundamentaliter imputabilem, an vero solam moralitatem, & imputabili-

litem sine vllius malitiæ additione, vt existimarunt Recentiores quilibet.

184 Censeo septimò contra hos Recentiores. Libertas cum aduertentia malitiæ addit nouam malitiam actui voluntatis supra malitiam formalem eius fundamentalitèr imputabilem, & non solum moralitatem, & imputabilitatem formalem sine incremento malitiæ. Probatur primò. Licet actus voluntatis non haberet in se aliunde malitiam formalem dictam fundamentalitèr imputabilem, si tamen eliceretur libere cum cognitione malitiæ, (quæ in tali casu esset erronea,) actus voluntatis sic elicitus, esset formalitèr malus, & peccatum, iuxta dicta conclus. precedente: ergo esse actum liberè elicitum cum cognitione malitiæ, dicit ex se nouam malitiam moralem, distinctam, & independentem à malitia formali, quam habet aliunde actus fundamentalitèr imputabilem.

185 Probatur secundò. Actus formalitèr malus, elicitus sine libertate, & cognitione malitiæ, atque adeo sine formali imputabilitate, non opponitur gratiæ sanctificantis: ergo solum opponitur illi, dum liber est, & formalitèr imputabilis ad culpam ratione libertatis, & formalis imputabilitatis: at gratiæ sanctificantis solum opponitur peccatum ratione malitiæ, impuritat, & foeditatis: ergo actus malus in esse liberi, & formalitèr imputabilis dicit specialem malitiam, impuritatem, & foeditatem, ratione cuius opponatur gratiæ sanctificantis, eiusque puritati, & formositati.

186 Probatur tertio. Poena æterna non correspondet actui formalitèr malo, nisi vt libero, & formalitèr imputabili; atque adeo correspondet illi specialitèr ratione libertatis, & imputabilitatis formalis: at poena solum correspondet culpæ vt sic: ergo talis actus ratione libertatis, & imputabilitatis formalis dicit specialitèr rationem culpæ: ergo & dicit specialitèr rationem malitiæ, culpa enim vt sic est formalitèr malitia.

187 Probatur quartò. Libertas, & cognitio malitiæ aggrauat, & extellit malitiam actus, ita vt eo grauior sit malitia, quo maior est libertas, & cognitio malitiæ; & sic libertas, & cognitio semiplena facit malitiam, & culpam venialem, & plena mortalem, & plenior libertas, & cognitio malitiæ facit grauior

uorem malitiam, & culpam mortalem, quam alia non ita plena: ergo libertas, & cognitio malitiæ addit actui nouam malitiam supra malitiam eius fundamentalitèr imputabilem.

188 Hinc patet, malitiam formalem adæquatam actus voluntatis, elicitæ sine conscientia erronea malitiæ, constituentem illum in esse peccati, & culpabilis, quasi duplicem malitiam includere: vnã fundamentalitèr solum imputabilem ad culpam, quam ex se habet actus aliunde independentèr à libertate: & aliam formalitèr imputabilem ad culpam, includentem etiam libertatem cum cognitione malitiæ. Vnde quando aliqui asserunt, actum malum voluntatis, indeliberate elicitum, & sine cognitione malitiæ, non esse moralitèr malum, credibile est, loqui solum de malitia morali formali adæquata, culpabili, & peccaminosa, quæ vt sic inuoluit etiam libertatem cum cognitione malitiæ, non autem negare illi actui malitiam formalem inadæquatam fundamentalitèr imputabilem.

189 Vbi obiter notandum est ad materiam de Bonitate, & Malitia, etiam bonitatem formalem actus voluntatis virtuosæ, includere quasi duplicem bonitatem formalem: Vnã fundamentalitèr solum imputabilem ad laudem, meritum, & præmium, quam habet ex se actus bonus independentèr à libertate, quæque consistit in sola entitate intrinseca actus, iuxta dicta cap. 3. punct. 2. num. 131. & 132. & aliam formalitèr imputabilem ad laudem, meritum, & præmium, includentem etiam libertatem cum aduertentia requisita.

PUNCTVM II.

Soluuntur obiectiones oppositæ.

191 **C**ONtra primam conclusionem obijcies primò. Formalis est semper extrinseca saltem inadæquatè actibus intellectus: ergo etiam malitia formalis erit semper extrinseca saltem inadæquatè actibus voluntatis. Respondeo, ne-

gans consequentiam: Nam nullus actus intellectus falsus attingit in obiecto id, quod facit illum falsum, ut patet in hoc actu falso, *homo est lapis*, qui solum attingit hominis identitatem cum lapide; quod verò facit illum actum falsum, est negatio à parte rei existens talis identitatis affirmatæ, quam non attingit ille actus, & propterea ille actus non est intrinsecè falsus ex sola attingentia sui obiecti, sed extrinsecè ex eo scilicèt, quod sit aliunde à parte rei contradictorium identitatis affirmatæ, scilicèt negatio eius: at dantur actus voluntatis mali, attingentes expressè in obiecto id, quod facit illos malos, scilicèt malitiam obiectiuam, & sic tales actus sunt intrinsecè mali ex sola tendentia expressa intrinseca ad malitiam obiectiuam.

192 Obijcies secundò. Si in aliquibus actibus malis sola entitas positiva eorum esset malitia formalis, Deus non posset amare talem entitatem, nec in ea complacere, sed deberet illam odisse: at hoc est contra illud sapientiæ *11. diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*: ergo sola entitas positiva actus nunquam potest esse malitia. Respondeo, negans minorem: Nam in illo Scripturæ Sacræ testimonio sermo est solum de his, quæ Deus ex proprio motivo, & intentione fecit, non verò de his, quæ fecit solum permissivè, quales sunt actus mali, & peccaminosi.

193 Contra secundam, & tertiam conclusionem obijcies tertio. In quolibet actu prohibito quia malo, sola tendentia ad obiectum malum est ratio formalis, specificans actum fugæ honestum, & virtuosum; potest enim quis actu fugæ honesto, & virtuoso fugere, & nolle actum dictum, præcisè quia est volitio obiecti mali: sed ratio formalis, specificans actum fugæ virtuosum, est malitia moralis: ergo sola illa tendentia ad obiectum malum est malitia moralis. Respondeo, negans maiorem in actibus prohibitis quia malis, non attingentibus expressè, & formalitèr malitiam obiecti, sed præcisè entitatem obiecti, quod in se malum est: Nam in his actibus sola tendentia ad tale obiectum, secundum quod dicit intrinsecè, & essentialitèr, non potest esse ratio formalis, specificans actum fugæ honestum, & virtuosum; nam si per possibile, vel impos-

possibile auferretur malitia ab obiecto, vel circumstantia extrinseca illud vitians, esset adhuc eadem tendentia ad idem obiectum, quæ tamen non posset iam specificare actum fugæ honestum, & virtuosum, eo quod tunc non esset iam moralitèr mala, iuxta dicta punct. præcedente.

194 Obijcies quartò. In dictis actibus sola tendentia ad obiectum malum est primus conceptus, à quo oriuntur alij, scilicèt carentia rectitudinis, oppositio cum lege, disconformitas cum iudicio rationis, & dissonantia cum natura rationali, & aliunde talis tendentia est sufficiens fundamentum imputabilitatis, cum talis tendentia ad obiectum malum non possit advertentèr fieri sine reatu culpæ: ergo sola illa tendentia ad obiectum malum est malitia formalis saltem fundamentalitèr imputabilis. Respondeo, negans antecedens de sola tendentia ad obiectum malum, secundum quod hæc dicit intrinsecè, & essentialitèr in dictis actibus, non attingentibus expressè malitiam obiecti: nam si per possibile, vel impossibile auferretur malitia ab obiecto, vel circumstantia extrinseca vitians illud, adhuc esset eadem tendentia ad idem obiectum, quæ tamen non esset mala, nec ex ipsa tunc orientur dicti conceptus, nec esset fundamentum imputabilitatis, cum posset tunc talis tendentia advertentèr fieri sine reatu culpæ. Dixi, *de sola tendentia ad obiectum malum, secundum quod hæc dicit intrinsecè, & essentialitèr*. Nam hæc verba, *tendentia ad obiectum malum*, præter entitatem intrinsecam, & essentialem tendentiæ, videntur etiam absolute significare existentiam extrinsecam malitiæ obiecti, per quam talis tendentia extrinsecè denominatur tendentia ad obiectum malum, ita ut talis tendentia ex se possit non esse tendentia ad obiectum malum, si per possibile, vel impossibile auferretur malitia ab obiecto.

195 Obijcies quintò. Quilibet actus alias malus, si eliciatur sine libertate, non est formalitèr malus, cum non sit culpabilis: ergo libertas constituit malitiam formalem cuiuslibet actus mali. Respondeo, distinguens antecedens, non est formalitèr malus malitia formali adæquata, & ad culpam formalitèr imputabili, concedo; malitia formali inadæquata, & fundamentalitèr ad culpam imputabili, nego; & nego consequentiam

tiam de hac malitia formali inadæquata fundamentalitèr imputabili.

196 Instabis. Occisio hominis, facta à Bruto, nullo modo est moralitèr mala, & inhonesta ob defectum libertatis, & aduertentiæ: ergo hæc necessaria est ad constituendam quamcunque malitiam, & inhonestatem moralem actionis. Respondeo, occisionem hominis, factam à Bruto, non esse moralitèr malam, & inhonestam ob defectum libertatis, non quidem formalem, & proximæ tantum, sed ob defectum omnis libertatis, etiam radicalis, & remotæ; ea enim actio Bruti, occidentis hominem, est omnino incapax libertatis, & sic adhuc radicalitèr, & remote non est libera; in quo differt ab actione indeliberata hominis, occidentis alium hominem, quæ ex se est capax libertatis, sicque est saltem radicalitèr, & remotè libera: ad moralem autem malitiam, & inhonestatem actionis, etiam fundamentalitèr imputabilem, requiritur saltem libertas radicalis, & remota, quam habent actiones hominis etiam indeliberatæ, non verò actiones Bruti.

197 Obijcies sextò. Malitia obiecti, vel circumstantia extrinseca, illud vitians, est malitia obiectiua, vel constitutiua eius: ergo non potest constituere malitiam formalem actus; hæc enim debet esse distincta à malitia obiectiua. Respondeo, negans consequentiam: Nam eadem malitia obiecti, vel circumstantia, vitians illud, respectu obiecti est malitia obiectiua, vel constitutiua eius, & cum actu voluntatis, tendente ad tale obiectum, constituit malitiam formalem, in quo nullum est inconueniens: sicut identitas hominis cum rationali est veritas obiectiua respectu obiecti, & eadem constituit veritatem formalem cum actu intellectus, affirmante talem identitatem. Vnde malitia formalis non debet esse adæquatè distincta ab obiectiua, sed inadæquatè tantum, sicut nec veritas formalis ab obiectiua.

198 Contra quartam conclusionem obijcies septimò. Formalis malitia affectus comedendi carnes die veneris quia delectabiles, consistit in oppositione talis affectus cum lege prohibente: sed hæc oppositio dicit solam entitatem talis affectus, & non legem ipsam prohibentem: ergo & formalis malitia eius. *Minor*

nòr probatur. Primò, quia quod opponitur legi prohibenti est talis affectus, non verò lex ipsa prohibens: ergo oppositio cum lege prohibente dicit solam entitatem talis affectus, & non legem ipsam prohibentem. Secundò, quia oppositio ista est cum lege secundum se, non verò cum ipsa vt existente: ergo est sola entitas talis affectus. Tertiò, quia oppositio caloris cum frigore est entitas ipsa caloris, nec includit existentiam frigoris: ergo etiam oppositio dicti affectus cum lege prohibente, est sola entitas talis affectus, & non includet existentiam extrinsecam legis prohibentis.

199 Respondeo ex dictis cap. 3. punct. 2. à nu. 119. vsque ad 122. distinguens maiorem, formalis malitia dicti affectus consistit in oppositione eius cum lege prohibente, absolutè, & simpliciter tali, concedo; tali secundum quid solum, nego. Et nego minorem de oppositione affectus, simpliciter, & absolutè tali, cum lege prohibente; hæc enim oppositio dicit simul affectum, & legem prohibentem, illum in recto, & hanc in obliquo, quia, non existente lege prohibente, non esset absolutè, & simpliciter oppositio affectus cum illa, vt dixi loco citato. Ad primam probationem, concessio antecedente, nego consequentiam: Nam licet solus ille affectus sit id, quod opponitur legi prohibenti, & non ipsa lex, tamen in esse oppositio cum lege formalitèr dicit etiam legem saltem in obliquo; sicut licet solus generans sit pater geniti, & non ipse genitus, tamen generans in esse Patris includit genitum; item licet solus actus intellectus sit formalitèr verus, & conformis obiecto, vt est in se, & non ipsum obiectum, tamen in esse veri, & conformis formalitèr suo obiecto, includit etiam ipsum obiectum. Ad secundam probationem nego antecedens: Nam oppositio ista affectus cum lege prohibente, in qua consistit formalis malitia eius, cum sit oppositio absolutè, & simpliciter talis, debet esse cum lege vt existente, & non cum ipsa secundum se, & vt potente prohibere, vt ostendi loco citato. Ad tertiam probationem nego consequentiam: Nam oppositio caloris cum frigore est oppositio impossibilitatis, quæ non requirit existentiam termini, scilicet frigoris, imo illam excludit: at oppositio dicti affectus cum lege prohibente, non

est oppositio impossibilitatis, sed contraventionis, quæ si absolutè, & simpliciter talis sit, requirit, & dicit existentiam termini, scilicet legis prohibentis, ut patet ex loco citato.

200 Obijcies octavo. In actibus malis quia prohibitis formalis malitia consistit in transgressione, & violatione legis prohibentis: sed transgressio, & violatio legis prohibentis est solatendentia actus ad obiectum malum, & prohibitum lege: ergo & malitia formalis. Minor probatur. Transgressio, & violatio legis prohibentis est id, per quod formaliter transgreditur, & violatur talis lex: sed hæc formaliter transgreditur, & violatur per tendentiam actus ad obiectum malum, & prohibitum lege: ergo transgressio, & violatio legis est solatendentia actus ad obiectum malum, & prohibitum lege. Minor probatur. Per id formaliter transgreditur, & violatur lex, cuius positione ponitur id, quod lege prohibetur: sed positione dictæ tendentiæ actus ponitur id, quod lege prohibetur: ergo hæc formaliter transgreditur, & violatur per dictam tendentiam actus. Confirmatur, lex formaliter adimpletur positione solius actus precepti: ergo & formaliter transgreditur, & violatur positione solius actus prohibiti.

201 Respondeo, negans minorem. Ad probationem nego maiorem: Nam transgressio, & violatio legis ut sic non est id solum, per quod formaliter transgreditur, & violatur lex, sed hoc, & lex ipsa simul saltem in obliquo dicta; quia si non esset lex, quamvis esset id, per quod nunc formaliter transgreditur, & violatur lex, scilicet tendentia ipsa actus ad obiectum nunc malum, & prohibitum, secundum quod hæc dicit intrinsecè, & essentialiter, non esset transgressio, & violatio legis. Sicut Paternitas non est solum ea substantia, per quam producitur filius, sed ea substantia, & substantia genita simul; item veritas formalis actus intellectus, non est solum actus, per quem cognoscitur verè obiectum, sed ille, & obiectum simul. Ad confirmationem concedo consequentiam, ex qua nihil sequitur contra nos: Nam quod positione solius actus prohibiti defacto transgrediatur, & violatur lex formaliter, ideo est, quia cum defacto supponatur existens lex prohibens, positione actus prohibiti ponitur id, quod vnice deerat ad

ad formalem transgressionem, & violationem eius: ex hoc autem non sequitur, formalem transgressionem, & violationem legis dicere solum actum prohibitum, & non legem prohibentem, quia si non supponeretur lex existens, quamvis poneretur idem ille actus, non esset formalis transgressio, & violatio legis: sicut licet, supposita antecedenter existentia Petri, per solam positionem actus affirmantis, Petrum existere, detur veritas formalis, hæc tamen non dicit solum actum, id affirmantem, sed hunc, & existentiam Petri simul.

202 Obijcies nono. Lex prohibens constituit malitiam formalem actus mali quia prohibiti: ergo cum lex sit vnica respectu omnium actuum, vnica erit in illis malitia. Respondeo, negans consequentiam: Nam malitiam formalem dictorum actuum non constituit lex prohibens solum, sed etiam actus ipsi prohibiti. imo talis malitia hos dicit in recto, & illam in obliquo; cumque actus sint diuersi, quamvis vnica sit lex prohibens, erunt in illis diuersæ malitiæ.

203 Obijcies decimo. Prohibitio carnis die veneris non est in se mala, sed bona, & honesta: ergo non potest constituit malitiam formalem affectus edendi illas; alias dicendum esset, malitiam formalem componi ex duabus partibus, quarum neutra secundum se est mala, cum nec prohibitio mala sit, nec affectus edendi carnes die veneris secundum se independentè à prohibitione, licet denominetur accidentaliter malus dependentè à prohibitione. Respondeo, negans consequentiam: potest enim entitas non mala partialiter constituit malitiam formalem, imo ista potest resultare, & componi ex multis partibus, quarum nulla secundum se seorsim mala sit, ut constat exemplis adductis punct. præcedente conclus. 4. probat. 6. nu. 178. Adde, quando aliquis effectus formalis constituitur indiuisibiliter ex multis partibus, necesse semper esse, ut nulla pars seorsim participet secundum se talem effectum formalem independentè ab alijs; nam si vna pars seorsim illum participaret secundum se independentè ab alijs, ista non requirerentur ad illius constitutionem.

204 Nec mirum videri debet, quod actus solus denominetur malus, & non prohibitio, aut aliæ partes constituentes mali-

§ 2

Dissertatio Theologica

nam. Nam etiam Paternitas includit generantem, genitum, & actionem generatiuam, & tamen solus generans denominatur pater; veritas, & falsitas formalis includunt actum, & obiectum, & tamen solus actus denominatur verus, vel falsus formaliter; imputabilitas formalis a ius ad culpam includit actum, & libertatem cum aduertentia malitiæ, & tamen solus actus denominatur imputabilis; & idem est in pluribus alijs exemplis superius positis. Et ratio esse potest: Nam denominatio semper cadit supra illud, quod dicit in recto, qualis est actus respectu denominationis mali, non verò supra alias partes, quas dicit in obliquo, qualis est prohibitio.

205 Obijcies vndecimo. Formalis malitia actus mali quia prohibiti, est obiectum odij diuini, Deo maximè displicens: sed prohibitio non potest esse obiectum odij diuini, Deo displicens, imo est obiectum bonum amoris diuini, Deo maximè placens: ergo formalis malitia dicta non includit intrinsece prohibitionem; aliàs hæc deberet esse obiectum odij diuini, Deo maximè displicens, non minus quam actus ipse voluntatis, quem intrinsecè includit talis malitia, cum non sit maior ratio vnus, quam alteriùs iuxta nostram doctrinam.

206 Infirmitas huius obiecti nis constat plane aliquibus exemplis, positis punct. præcedente conclus. 4 probat. 6. nu. 178. Nam plebeium assidere Regi, est obiectum odij Regis, Regi displicens, & tamen includit intrinsecè latus Regium, quod non est obiectum odij Regis, nec Regi displicens; falsitas huius hæresis, *in Deo non est Trinitas personarum*, est obiectum odij diuini, Deo maximè displicens, & tamen includit intrinsecè Trinitatem ipsam personarum, quæ non est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, sed amoris, & complacentiæ; malitia obiectiua esus carniū die veneris est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, & tamen includit intrinsecè prohibitionem, quæ nequit esse obiectum odij, & displicentiæ diuinæ; malitia obiectiua accessus Petri ad Mariam, non stante coniugio inter vtrumque, est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, cum tamen defectus coniugij, in tali malitia inclusus, non sit obiectum odij, & displicentiæ diuinæ; tandem formalis imputabilitas actus ad culpam est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ,

nam, cum tamen libertas, & aduertentia, quam intrinsecè includit, non sit obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, sed amoris, & complacentiæ. Alia exempla subministrabit passim Theologia.

207 Respondeo igitur ad maiorem, formalem malitiam dictæ actus non ideo dici obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, quia odium, & displicentia diuina terminetur ad omnia, & singula, quæ includuntur in malitia formali, scilicet ad actum, & prohibitionem eius, sed quia terminatur ad actum ipsum, qui est ratio vltima, constituens aggregatum, in quo consistit malitia, quo actu posito, statim datur tale aggregatum, ita vt ex eius positione pendeat esse, vel non esse talis aggregati, seu malitiæ formalis; sicut enim licet malitia componatur ex actu, & alijs partibus, solus tamen actus est in re malus, & non aliæ partes, ita ad eum solum terminatur in re odium, & displicentia diuina, quia odium, & displicentia diuina in re solum terminatur ad id, quod malum est.

208 Doctrinam hanc exemplis illustremus. Generatio hominis verè dicitur producere hominem, quia licet non producat materiam, nec animam, inclusas in illo, tamen producit rationem vltimam, constitutiua hominis, scilicet vnionem, qua posita statim datur homo, & ex eius positione pendet esse, vel non esse hominis. Ob eandem rationem voluntas censetur producere malitiam formalem etiam vt culpabilem, quia licet non producat prohibitionem, libertatem, aduertentiam, aut alias partes in tali malitia inclusas, tamen producit rationem vltimam constitutiua illius, qua posita, statim datur talis malitia, & ex cuius positione pendet esse talis malitiæ, scilicet actum ipsum voluntatis. Item falsitas huius hæresis, *in Deo non est Trinitas personarum*, est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, quia licet odium, & displicentia diuina non terminetur ad Trinitatem, inclusam in tali falsitate, terminatur tamen ad actum, negantem illam, qui est ratio vltima, constitutiua dictæ falsitatis, quo posito, statim datur falsitas eius. Et idem est in alijs exemplis superius positis, vt perpendenti constabit.

209 Et quamuis vt Deus odio, & displicentia prosequatur dictum actum, requiratur existentia prohibitionis eius, non

La

ideo

ideo illud odium, & displicentia diuina debet terminari ad prohibitionem: sæpe enim ad amorem, & odium requiruntur ex parte obiecti aliquæ circumstantiæ, ad quas non terminantur tales actus formalitèr; sic vt ego desiderem, & sperem aliquod bonum, requiritur huius absentia, & tamen non desidero, aut spero absentiam; item vt velim dare eleemosinam indigenti, requiritur in eo indigentia à me cognita, & tamen non volo eius indigentiam, sed ea potiùs displicet; similiter vt Deus odio habeat Petrum propter peccatum commissum, requiritur, quod peccauerit Petrus, & quod peccatum non sit à Deo condonatum, & tamen Deus non habet odio non condonationem illam peccati, sed potiùs amat illam. Et quamuis ad odium, & displicentiam diuinam actus prohibiti, prohibitio sit conditio tantum requisita, est tamen pars essentialis malitiæ dicti actus; sicut licet approximatō causæ agentis ad passum sit conditio requisita ad productionem effectus, tamen est pars, essentialitèr constituens causam vt potentem proximè producere illum.

210 Dices, totam hanc doctrinam veram esse defacto, quia nunc aduenit affectus edendi carnes, stante iam antecedentèr prohibitione: si vero, stante iam affectu dicto, adueniret prohibitio, tunc prohibitio esset ratio vltima constitutiua aggregati, seu malitiæ formalis, & non dictus affectus, & tamen tunc adhuc solus affectus terminaret odium, & displicentiam diuinam, & non prohibitio; ergo nullius est momenti doctrina tradita. Respondeo, adhuc in eo casu prohibitionem non fore rationem vltimam, constitutiua malitiæ formalis, sed affectum dictum, vt continuatum, & conseruatum, stante iam prohibitione; tunc enim ideo esset formalitèr malus ille affectus, quia voluntas illum continuaret, & conseruaret post aduentum, & positionem prohibitionis, & sic continuatio, & conseruatio illius affectus esset ratio vltima, constitutiua malitiæ formalis, & non prohibitio.

211 Contra septimam conclusionem obijcies duodecimo. Eadem omnino libertas cum eadem aduertentia deseruire potest ad affectum malum copulæ Sodemiticæ, & ad fugam honestam eiusdem: ergo talis libertas non potest constituere actum
in

in esse mali, augendo malitiam eius. Respondeo, negans consequentiam: Nam nullum est inconueniens in eo, quod eadem libertas cum eadem aduertentia constituat aliquam malitiam formalem cum actu malo, & aliquam bonitatem formalem cum actu bono, & honesto; sicut eadem existentia Trinitatis diuinæ constituit falsitatem formalem cum actu negante illam, & veritatem formalem cum actu affirmante illam; item eadem prohibitio comestionis carniū constituit malitiam obiectiuam cum ipsa comestione, & bonitatem obiectiuam cum omissione eius.

212

CAPVT V.

An, & quomodo ad malitiam peccati commissionis requiratur dependentia à lege prohibente, & oppositio cum ipsa.

213 Certum est inter Doctores, omne peccatum esse defacto contra legem aliquam prohibentem. Et quamuis cap. 3. punct. 1. conclus. 2. num. 79. dictum sit, malitiam formalem peccati commissionis fundamentalitèr imputabilem non consistere formalitèr in disconformitate, & oppositioe cum lege prohibente, saltem in actibus prohibitis quia malis; adhuc tamen dubitatur in præfenti, an oppositio cum lege prohibente, & dependentia ab ipsa sit essentialiter saltem requisita, vt detur malitia moralis peccati, ita vt hæc non esset in actu, si non esset lex prohibens illum. Procedit autem dubium de malitia morali primaria actus prauī, non supponente aliam priorē malitiam, de qua hæctenus locuti sumus in hac disputatione, siue talis malitia appelletur Theologica, siue Philosophica tantum.

214 Prima opinio affirmat absolutè: ita Bonauentura, Gregorius.

rius, Almainus, Ocham, & alij, quos referunt, & sequuntur Molina 1. p. q. 5. disp. vnic. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 4. à nu. 53. Granada 1. 2. controu. 6. tract. 1. disp. 3. Curiel 1. 2. q. 71. art. 6. dub. 2. & alij. Secunda opinio negat absolute: ita Scotus in 3. dist. 37. q. 1. Gabriel q. 1. art. 2. concl. 3. & 4. Durandus in 1. dist. 47. q. 4. nu. 16. Sotus lib. 2. de iusticia q. 2. art. 8. Vasques 1. 2. disp. 97. cap. 3. & alij apud istum. Tertia opinio ait, malitiam primariam actus non dependere à lege prohibente, sed solum malitiam aliam secundariam, & consequentem, consistentem in oppositione peccati cum lege prohibente, seu in ratione offense Dei, quarum primam appellant aliqui malitiam philosophicam, & secundam Theologicam. Cæterum distinctio huius duplicis malitiæ in præsentem locum habere non potest, cum notatum sit supra, procedere solum dubium de malitia primaria actus peccaminosi, siue ea appelletur Theologica, siue philosophica.

- 215 Censeo primò. In actibus malis quia prohibitis qualibet malitia tam adæquata, & formalitèr ad culpam imputabilis, quam inadæquata fundamentalitèr ad culpam imputabilis, dependet essentialitèr quasi à priori à lege prohibente. Patet hæc conclusio ex disp. 3. de legibus cap. 1. & 2. Primò. Quia si in dictis actibus esset aliqua malitia, non dependens quasi à priori à lege prohibente, talis malitia esset prior, & antecedentèr ad legem prohibentem, & motiuum prohibendi dictos actus: ergo dicti actus non essent mali quia prohibiti, sed prohibiti quia mali. Secundò. Quia in dictis actibus etiam malitia inadæquata fundamentalitèr imputabilis, dependet à lege prohibente tanquam à parte, intrinsicè constituyente illam simul cum actu voluntatis, vt constat ex cap. 4. punct. 1. concl. 4: sed dependentia totius à parte est dependentia essentialis, & à priori, vel quasi: ergo talis malitia dependet essentialitèr quasi à priori à lege prohibente. Tertiò. Quia si in actibus malis quia prohibitis malitia etiam fundamentalitèr imputabilis, non dependeret quasi à priori à lege prohibente, sed à posteriori tantum, non possent tales actus distingui ab actibus prohibitis quia malis, quorum malitia fundamentalitèr imputabilis dependet etiam à posteriori à lege prohibente, vt dico

infra

infra conclus. 4: sed hoc est falsum, & contra communem Theologiam, sumptam ex Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 3. vbi expressè ait, quædam esse mala quia prohibita, & quædam prohibita quia mala: ergo &c.

- 216 Tota ergo difficultas huius capituli est circa actus ex natura rei malos vel ratione sui, vel ratione circumstantiarum, qui dicuntur prohibiti quia mali, An, & quomodo ipsorum malitia pendeat à lege prohibente saltem naturali; nam à lege positiva non pendere, indubitatum est inter Doctores. Quæ difficultas facile expediri potest ex dictis disp. 3. de legibus cap. 1. & 2. vbi demonstrauius, legem naturalem consistere in voluntate diuina, præcipiente actus ex natura rei bonos, & prohibente actus ex natura rei malos, non verò in iudicio rationis, natura rationali, aut aliquo alio distincto: Quam voluntatem diuinam, & obligationem, ab ea deriuatam, ad agendos suo tempore actus ex natura rei bonos, & ad cauendos semper actus ex natura rei malos, diximus loco citato, esse necessario, & essentialitèr debitam creationi naturæ rationalis, eamque voluntatem diuinam obligantem esse necessariam in Deo ex suppositione creationis naturæ rationalis, quæ ratione suæ excellentiæ, & perfectionis exigit essentialitèr, habere sibi annexam, & consequentem talem obligationem moralem, à voluntate illa diuina deriuatam, ita vt sine ipsa adhuc diuinitus existere non possit. Videantur dicta fusè loco citato.

- 217 Censeo secundò. In actibus prohibitis quia malis malitia adæquata vt formalitèr ad culpam imputabilis, dependet à priori à lege naturali prohibente tales actus. Probat. In dictis actibus malitia adæquata vt formalitèr ad culpam imputabilis, includit formalitèr cognitionem, & aduertentiam malitiæ in re existentis, requisitam, vt tales actus imputentur ad culpam, vt patet ex cap. 4. punct. 1. concl. 5: sed hæc cognitio, & aduertentia malitiæ in re existentis dependet à priori à lege naturali, prohibente tales actus: ergo & malitia adæquata ipsorum vt formalitèr ad culpam imputabilis. Minor probatur. Cognitio, & aduertentia malitiæ in re existentis requisita, vt tales actus imputentur ad culpam, supponit, & prærequirit legem naturalem, prohibentem tales actus: ergo dependet

det à priori ab illa. Antecedens probatur. Dicta cognitio, & aduertentia malitiæ in re existentis requisita, vt tales actus imputentur ad culpam, supponit, & prærequirit obligationem moralem, in re existentem, vitandi tales actus: ergo & supponit, & prærequirit legem naturalem, inductiuam talis obligationis. Antecedens probatur. Dicta cognitio, & aduertentia malitiæ in re existentis requisita, vt tales actus imputentur ad culpam, ita debet illos cognoscere vt in re malos, vt cognoscat eos debere vitari, seu esse obligationem vitandi illos: si enim per impossibile tales actus cognoscerentur in re mali, sine obligatione tamen vitandi illos, productio eorum non imputaretur ad culpam, licet defacto non imputatur ad culpam omisio Missæ hodie in homine, cognoscente Missam vt in re bonam, sine obligatione tamen audiendi illam: ergo dicta cognitio, & aduertentia malitiæ in re existentis requisita, vt tales actus imputentur ad culpam, supponit, & prærequirit obligationem moralem, in re existentem, vitandi illos, quam cognoscat. Patet consequentia. Nam non ideo est in re obligatio vitandi tales actus malos, quia per dictam cognitionem, & aduertentiam cognoscitur, esse in re ea obligatio, ino ideo verè cognoscitur esse in re ea obligatio, quia est: ergo dicta cognitio, & aduertentia cognoscens verè, esse obligationem vitandi tales actus, supponit, & prærequirit talem obligationem in re existentem.

218 Nec refert, cognitionem, & aduertentiam, requisitam ad formalem actus imputabilitatem, solum vocari cognitionem, & aduertentiam malitiæ, non verò obligationis vitandi actum. Hoc enim ideo est, quia cum defacto ad malitiam actus necessario, & essentialiter sequatur obligatio vitandi illum, eo ipso quod cognoscitur, actum esse malum, cognoscitur etiam necessario, eum esse illicitum, & non posse licitè fieri, sicque esse obligationem vitandi illum: vnde per cognitionem, & aduertentiam malitiæ actus intelligitur iam cognitio, & aduertentia obligationis vitandi illum, requisita ad formalem imputabilitatem.

219 Censeo tertio. In actibus prohibitis quia malis malitia inadæquata fundamentaliter ad culpam imputabilis, non de-

pen-

pēdet à priori à lege naturali, prohibente tales actus. Probatur primò. Dependētia à priori debet esse, vel à causa, vel à conditione prærequisita, vel à parte, intrinsicè constitutiua rei dependentis: sed lex naturalis, prohibens dictos actus, neque est causa, neque conditio prærequisita, neque pars intrinsicè constitutiua respectu malitiæ eorum inadæquatæ fundamentaliter imputabilis: ergo hæc malitia non dependet à priori ab ea lege naturali. Minor probatur. Tum quia in dictis actibus malitia inadæquata fundamentaliter imputabilis consistit, vel in sola entitate actus, vel in aggregato ex entitate actus, & circumstantia aliqua, extrinsicè vitante obiectum, vel in aggregato ex entitate actus, & malitia obiectiua, vt constat ex cap. 4. punct. 1. conclus. 1. 2. & 3: sed lex naturalis, prohibens dictos actus, nec est causa, nec conditio prærequisita, nec pars constitutiua respectu entitatis actus, circumstantiæ extrinsicæ vitantis obiectum, aut malitiæ obiectiue, vt liquet; imo nec respectu aggregati ex illis, cum non conducat ad positionem talis aggregati, sed potiùs, illud poni, prohibeat: ergo nec respectu malitiæ ipsorum inadæquatæ fundamentaliter imputabilis. Tum quia lex naturalis, prohibens dictos actus, supponit in ipsis aliquam malitiam saltem fundamentaliter imputabilem; non enim ideo est malum mentiri, quia id prohibet lex naturalis, sed è conuerso ideo lex naturalis prohibet mentiri, quia mentiri est in se malum, & inhonestum: ergo neque est causa, neque conditio prærequisita, neque pars constitutiua respectu talis malitiæ.

220 Confirmò. Actus mali dicti prohibentur necessario lege naturali, non verò actus boni, & indifferentes, qui lege naturali non prohibentur: ergo in dictis actibus est aliquid speciale, ratione cuius ipsi specialiter debeant necessario prohiberi lege naturali, quod non est in actibus bonis, & indifferentibus: sed hoc speciale non potest esse nisi malitia, & inhonestas aliqua eorum, cum aliud assignari non possit: ergo talis malitia, & inhonestas est in dictis actibus antecedenter ad prohibitionem legis naturalis, & independentèr à priori ab ipsa.

221 Et hæc ratio est efficax non solum in nostra sententia, con-

M

sti-

stimentē legem naturalem in voluntate diuina, præcipientē actus ex natura rei bonos, & prohibente actus ex natura rei malos, sed etiam in alijs sententijs, vt perpendenti constabit. Et quidem esse efficacem in sententijs, constituentibus legem naturalem in natura rationali, & iudicio rationis rectæ, patet ex cap. 3. punct. 1. conclus. 3. & 4. vbi ostendimus, malitiam fundamentalitèr imputabilem non posse desumi ex natura ipsa rationali, nec ex iudicio rationis rectæ, aut ex disconformitate, & disconuenientia cum ipsis. Et rationes ibi propositæ æque conuincunt de quocunque iudicio rationis rectæ, siue creato, siue diuino, indicante, & iudicante, esse malos actus supradictos, vt patebit consideranti.

222 Deinde est etiam efficax in sententia, constituente legem naturalem in ipsis obiectis ex natura rei malis, vel potiùs in dictamine obiectiuo diuino, præscribente, esse vitanda obiecta, & actus ex natura rei malos, à qua lege sic sumpta, ait hæc sententia, prouenire malitiam talium obiectorum, & actuum, imo & talem malitiam esse ipsammet legem naturalem. Nam licet sine sufficienti fundamento dicatur, legem naturalem consistere in dictis obiectis malis, seu dictamine obiectiuo diuino, vt evidentèr deduci potest ex dictis disp. 2. citata de legibus cap. 1. & 2: Hoc tamen in præsentī permissio, adhuc in dictis obiectis, & actibus ex natura rei malis, est prior per rationem conceptus malitiæ, quam conceptus legis naturalis, præscribentis, esse illa vitanda: ergo adhuc in hac sententia malitia non prouenit à lege naturali. Antecedens probatur. Tum quia non ideo obiectum est ex natura rei malum, quia ipsam præscribit, se esse vitandum, sed potiùs ideo ipsum præscribit, se esse vitandum, quia in se malum est ex natura rei; hocque patet in obiecto indifferente, quod non præscribit, se esse vitandum, quia in se malum non est. Tum quia obiecta ex natura rei mala, esse specialitèr præscribentia sui vitationem, potiùs quam obiecta bona, & indifferentia, indicat, esse aliquid speciale in illis, ratione cuius illa præ alijs specialitèr exigunt talem præscriptionem: sed hoc speciale non potest esse nisi malitia illorum, quæ non reperitur in obiectis bonis, & indifferentibus: ergo talis malitia est antecedentèr ad
di.

dictam præscriptionem, & prior conceptu legis præscribentis.

223 Probatur secundo conclusio. Si malitia odij Dei v.g. fundamentalitèr imputabilis, proueniret a prohibitione legis naturalis, & ab ipsa penderet à priori, sequeretur, odium Dei, ve distinctum à dicta prohibitione, & antecedentèr ad ipsam, non esse in se malum, & inhonestum, sed indifferens, non minusquam esus carnum die veneris, & affectum eius; & sic odium Dei esse contingentèr prohibitum, potuisseque non prohiberi, & ex fine aliquo honestari, sicut & alios actus indifferentes: vnde vlteriùs sequeretur, prohibitionem odij Dei non esse debitam creationi naturæ rationalis, sed contingentem, & consequentèr non esse prohibitionem legis naturalis, sed positiuæ, non minus quam prohibitionem esus carnum die veneris; prohibitio enim legis naturalis est necessario debita creationi naturæ rationalis: sed hæc sunt absurda, & pias aures offendentia: ergo malitia odij Dei non prouenit à prohibitione legis naturalis, nec ab ipsa pendet à priori. Dicere autem, naturam rationalem exigere ex se prohibitionem odij Dei, potiùs quam esus carnum die veneris, non potest habere fundamentum in contraria sententia. Nam si odium Dei secundum se, vt distinctum à prohibitione sui, & antecedentèr ad ipsam, nullo modo est malum, & inhonestum, nec dissonum naturæ rationali, sicut nec esus carnum die veneris, cur natura rationalis exiget specialitèr prohibitionem odij Dei, & non esus carnum?

224 Probatur tertio. Si in actibus prohibitis quia malis malitia, etiam fundamentalitèr imputabilis, penderet à priori à lege naturali prohibente, dicti actus non essent prohibiti quia mali, sed mali quia prohibiti, nec possent distingui ab actibus malis quia prohibitis, quorum malitia, etiam fundamentalitèr imputabilis, pendet à priori à lege prohibente: at hoc est contra communem Theologiam, sumptam ex Augustino superius citato lib. 1. de libero arbitrio cap. 3: ergo &c. Nec dicas, distingui in eo, quod actus mali quia prohibiti, solum sunt mali quia prohibiti lege positua, & eorum malitia est dependens à priori à tali lege positua, actus verò prohibiti quia

mali, non sunt mali quia prohibiti lege positiva, sed lege naturali tantum, & sic eorum malitia non est dependens à priori à lege positiva, sed à naturali tantum. Primò, quia inde fieret, quod si actus prohibiti lege naturali, non essent ulterius prohibiti lege positiva, ut fieri potuit, nulli essent actus prohibiti quia mali, sicque tunc non haberet locum communis Theologia ex Sancto Augustino, distinguens inter actus prohibitos quia malos, & malos quia prohibitos; quod sine absurdo concedi non potest. Secundò impugnari potest solutio probatione secunda superiori, quæ huc etiam applicari debet.

§ 25 Probatur quartò. Malitia v.g. copulæ Sodomiticæ, fundamentaliter imputabilis, est prior à quo obligatione cauendi illam, & ab ipsa independens à priori: ergo est etiam prior à quo lege naturali, per se ipsam formaliter inducente talem obligationem, & independens à priori ab ipsa. Antecedens patet. Nam non ideo est mala copula Sodomitica, quia homo est obligatus cauere illam, imo ideo est obligatus cauere illam, quia ea in se mala est: ergo &c.

§ 26 Hinc constat, actus malos quia prohibitos, & actus prohibitos quia malos, solum dici tales ratione malitiæ fundamentaliter imputabilis, quæ in prioribus actibus est dependens à priori à lege prohibente, in posterioribus verò non est dependens à priori ab vlla lege prohibente, sed ad summum à posteriori, iuxta dicenda concl. sequente: Nam ratione malitiæ ut formaliter ad culpam imputabilis, vtrique dicti actus possent quodammodo dici mali quia prohibiti, & dependentes à priori à prohibitione, ut patet ex concl. secunda nu. 217.

§ 27 Censeo quartò. In actibus prohibitis quia malis malitia inadæquata, fundamentaliter imputabilis, necessario dependet à posteriori à lege naturali prohibente, ita ut nec diuinitus existere possit, quin dicti actus prohibiti sint lege naturali. Probatur. Hæc malitia dictorum actuum necessario dependet à posteriori ab obligatione morali non eliciendi illos, ita ut nec diuinitus existere possit, quin sit in homine talis obligatio: ergo dependet similiter à posteriori à lege naturali prohibente, formaliter inductiua talis obligationis. Antecedens probatur. Eo ipso quod dicti actus sint ex natura rei mali, & inhonesti,

inhonesti, necessario debet esse in homine obligatio morali non eliciendi illos: ergo hæc obligatio morali non eliciendi illos, comitatur omnino necessario, & inseparabiliter malitiam, & inhonestatem ipsorum: ergo hæc malitia, & inhonestas pendet aliquo modo ab obligatione morali non eliciendi dictos actus saltem à posteriori, cum à priori ab ea pendere non possit, iuxta dicta in 3. conclus. Antecedens probatur. Eo ipso quod dicti actus sint ex natura rei mali, & inhonesti, est malum, & inhonestum, illos elicere, sicque non potest homo eos licite, & inculpabiliter elicere: sed hæc impotentia ad eos licite, & inculpabiliter eliciendos, prouenit ab obligatione morali non eliciendi illos: ergo eo ipso quod dicti actus sint ex natura rei mali, & inhonesti, necessario debet esse in homine obligatio morali non eliciendi illos. Minor probatur. Ea impotentia ad licite, & inculpabiliter eliciendos dictos actus, non est impotentia physica, sed morali solum, quæ non potest aliunde prouenire nisi ab obligatione morali legis, quasi moraliter ligantis potentiam liberam, ne illos eliciat: ergo &c.

§ 28 Hæc autem tam necessaria consequutio obligationis legis naturalis ad malitiam dictorum actuum, fundatur in exigentia naturæ rationalis ut sic, quæ ratione suæ excellentiæ, & perfectionis exigit, esse necessario obligata lege naturali ad cauendos actus ex natura rei malos ratione malitiæ, & inhonestitatis ipsorum; & ideo hæc obligatio legis naturalis est omnino necessario, & inseparabiliter debita, & annexa creationi naturæ rationalis, ita ut nec diuinitus existere possit natura rationalis sine tali obligatione, ut declaravi fusè disp. 3. citata de legibus cap. 1. & 2. Vnde ratione huius dependentiæ à posteriori, quam habet malitia dictorum actuum à prohibitione legis naturalis, possunt dicti actus quodammodo dici mali quia prohibiti, non quidem proprie, & strictè, sumendo particulam *quia* in sua rigorosa significatione Theologica pro dependentia à priori, sed improprie, & latè, sumendo eam particulam pro qualibet connexionem, inseparabilitate, & dependentia etiam à posteriori, quo pacto usurpatur quandoque à nonnullis Doctoribus.

§ 29 Ex conclusione 2. & 4. deducitur, quod si per impossibile

le nulla esset lex naturalis, prohibens actus ex natura rei malos, v. g. mendacium, Sodomiam, odium Dei &c. nulla esset in dictis actibus malitia moralis. Nam eo ipso quod nulla esset lex naturalis, prohibens dictos actus, nulla etiam esset obligatio cauendi illos: ergo posset homo licite, & sine culpa illos exercere: ergo non esset malum, & inhonestum, exercere illos, nam si esset malum, & inhonestum, exercere illos, non posset homo licite, & inculpabiliter, illos exercere, sicque esset obligatio cauendi illos.

230 Censeo quinto. In actibus prohibitis quia malis vtraque malitia, tam formaliter imputabilis, quam fundamentaliter imputabilis, dependet omnino necessario à lege diuina, & æterna, illa quidem à priori, & hæc à posteriori. Probatum ex dictis. In his actibus vtraque malitia tam formaliter, quam fundamentaliter imputabilis, dependet omnino necessario à lege naturali prohibente, illa quidem à priori, & hæc à posteriori, vt probatum est supra: sed lex naturalis est lex diuina, & æterna: ergo vtraque malitia dicta dependet similiter omnino necessario à lege diuina, & æterna. Minor patet ex disp. 3. citata de legibus cap. 1. & 2. vbi ostendimus legem naturalem consistere in voluntate diuina, & æterna, præcipiente actus ex natura rei bonos, & prohibente actus ex natura rei malos, debita necessario, & inseparabiliter creationi naturæ rationalis: ergo lex naturalis est lex diuina, & æterna. Nec refert, dictam voluntatem diuinam esse liberam in Deo, & sic non posse esse necessario, & inseparabiliter debitam creationi naturæ rationalis. Nam licet dicta voluntas diuina sit absolutè libera in Deo, est tamen in ipso necessaria ex suppositione creationis naturæ rationalis; sicut similiter dici solet passim de multis alijs voluntatibus diuinis, vt declarauimus loco citato de legibus.

231 Vbi aduerte, non solum in actibus prohibitis quia malis malitiam fundamentaliter imputabilem pendere à posteriori à lege naturali diuina, & æterna, sed etiam in actibus malis quia prohibitis aliquo modo. Nam sicut lex naturalis diuina, & æterna præscribit necessario, ne Petrus habeat accessum ad Mariam, stante circumstantia extrinseca defectus, coniu-

gij.

gij, quia id malum est sub tali circumstantia, ita etiam præscribit necessario, esse obediendum præcepto Superioris, & non esse operandum contra eius prohibitionem, quia id malum est, stante circumstantia prohibitionis superioris: ergo sicut in tali accessu Petri ad Mariam, malitia proueniens à circumstantia extrinseca defectus coniugij, pendet à posteriori à lege naturali diuina, & æterna prohibente, ita in operatione mala quia prohibita, malitia proueniens à circumstantia extrinseca prohibitionis superioris, pendet etiam à posteriori à lege naturali diuina, & æterna prohibente. Vnde, supposita creatione naturæ rationalis, sicut tenetur Deus necessario prohibere accessum Petri ad Mariam sub circumstantia defectus coniugij, ita tenetur necessario prohibere esum carniū v. g. die veneris sub circumstantia prohibitionis eius, à superiore factæ.

232 Hinc apparet differentia inter actus prohibitos quia malos, & actus malos quia prohibitos iuxta præsentem doctrinam. Tum quia in his prohibitio positua superioris est circumstantia, ratione cuius cadunt sub legem naturalem diuinam, & æternam prohibentem, & ab ea necessario pendunt à posteriori quoad malitiam; in illis verò nulla prohibitio positua requiritur, vt cadant sub legem naturalem diuinam, & æternam prohibentem, & ab ea pendeant à posteriori quoad malitiam, licet requirantur sæpè aliæ circumstantiæ extrinseca. Tum quia in actibus prohibitis quia malis malitia vt formaliter imputabilis, pendet à priori à lege naturali iuxta conclus. 2. in actibus verò malis quia prohibitis malitia vt formaliter imputabilis, non pendet à priori à lege naturali prohibente, sed à sola lege positua superioris, prohibente illos, eosque vitiantes.

233 Tota huius capituli doctrina inde verior apparet, quod iuxta illam facillimè intelliguntur plura testimonia, quæ in omni actu malo videntur constituere malitiam, dependentem à lege prohibente, præsertim illud Pauli ad Romanos 3. *Per legem enim cognitio peccati.* Et cap. 4. *vbi non est lex, nec prauaricatio.* Et cap. 5. *peccatum non imputabatur, cum lex non esset.* Et cap. 7. *peccatum non cognoui, nisi per legem.* Aug. lib. 22. contra Fau-

stum

stum cap. 27. ait, *omne peccatum esse dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*, quibus verbis explicari rationem formalem peccati, asserit S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissionibus cap. 16. ait Aug. de omni peccato, *Quomodo non vetatur per Dei iustitiam, si peccatum est?* Ambrosius lib. de Paradiso cap. 8. ait, *Quid aliud est peccatum, nisi legis diuinæ præuaricatio, & celestium inobedientiam mandatorum?*

234 Nam in primis testimonia illa Pauli locuntur solum de lege positiva scripta Moysis, præcipiente plures functiones, quarum omisio non erat ex natura rei mala, & prohibente plures, quæ non erant ex natura rei malæ; de quibus rectè dicitur, quod per legem cognitum est, esse peccatum in omissione illarum, & effectione istarum, & quod ante legem in illis omittendis, & illis efficiendis nulla erat præuaricatio, nec imputatio ad culpam. Deinde quamvis permittatur, non esse sermonem de lege Moysis scripta, adhuc verificantur testimonia illa, quia ibi est sermo de peccato, quod, cum dicat malitiam formalitèr imputabilem, quæ à priori pendet à lege prohibente, iuxta concl. 1. & 2. ideo rectè dixit Paulus, per legem cognitum esse peccatum, & sine lege non esse præuaricationem, aut imputationem ad culpam. Et quamvis sermo esset de malitia peccati fundamentalitèr imputabili, vera essent etiam testimonia propter dependentiam à posteriori, quam habet talis malitia à lege naturali diuina, & æterna prohibente. Unde constat, vera etiam esse testimonia Augustini, & Ambrosij, locuntur enim de peccato ut sic, dicente malitiam formalitèr imputabilem, quæ à priori dependet à lege naturali diuina, & æterna prohibente, iuxta 5. conclus. Et quamvis loquerentur de malitia fundamentalitèr imputabili, vera essent ratione dependentiæ à posteriori, quam habet talis malitia à lege naturali diuina, & æterna prohibente.

235 Ex dictis facilè resolui potest illud dubium, An si per impossibile non esset lex diuina, & æterna, prohibens actus ex natura rei malos, esset tunc moralitèr malum odium Dei, Sodomia, homicidium, & similes actus, qui nunc sunt ex natura rei mali. Cui dubio respondendum est negatiuè iuxta superius

rius dicta: Nam cum lex naturalis sit lex diuina, & æterna, ut dictum est, non stante lege diuina, & æterna, non esset lex naturalis: sed, non stante lege naturali per impossibile, nulla esset in dictis actibus malitia moralis, ut ostensum est nu. 229: ergo idem esset, non stante per impossibile lege diuina, & æterna. Quod si aliter fiat suppositio, erit difficilius dubium, quod non est præsentis instituti, illudque decidimus iam ex professo in materia de Peccatis.

Infertur ex dictis, in quo consistat malitia moralis peccati omissionis.

237 Sermo est in præsentis de peccaminosa omissione, tam pura, posita liberè à parte rei absque vlllo actu voluntatis inductiuo illius, qualem admittendam esse, ostendimus fusè in materia de peccatis, quam non pura, orta ex aliquo actu positivo voluntatis. Circa eius autem malitiam moralem discurrendum nunc est iuxta dicta in hac disputatione præsertim cap. 4. circa moralem malitiam peccati commissionis.

238 Ad quod suppono primo, malitiam moralem, tam voluntatis, inducentis omissionem, quam puræ omissionis, posse duplicitèr considerari, vel ut formalitèr ad culpam imputabilem, vel ut materialitèr, & fundamentalitèr solum imputabilem. Suppono secundo, inter voluntates inductiuas omissionis, & puras omissiones, alias esse malas quia prohibitas, ut voluntas omittendi Missam præceptam, & pura omisio eius; & alias prohibitas quia malas, ut voluntas omittendi amorem Dei præceptum, vel reuerentiam debitam Sacramento Eucharistiæ, & parentibus, & pura omisio talis amoris, vel reuerentiæ.

239 Suppono tertio, actus voluntatis, inductiuos omissionis, prohibitos quia malos, esse in duplici differentia. Alij enim

formaliter, & expresse volunt malitiam obiectiuam omissionis ut obiectum materiale, licet id non tam frequenter contingat, v. g. voluntas omissionis malæ, expresse volens malitiam eius. Alij verò, communiter elicit, non volunt expresse, & formaliter malitiam obiectiuam omissionis adhuc ut obiectum materiale, sed virtualiter, & interpretatiue solam, volendo scilicet entitatem omissionis, quæ in se mala est, & inhonesta: hoc autem prouenit ex eo, quod malitia omissionis nunquam sit omnino intrinseca, & inseparabilis ab entitate omissionis, sed pendeat semper ab aliqua circumstantia extrinseca, quam actus dicti voluntatis non attingunt: in quo differt à malitia actus positivi externi, quam, notauimus iam cap. 3. punct. 2. conclus. 2. nu. 123. esse aliquando omnino intrinsecam, & inseparabilem ab entitate actus externi, ut malitia copulæ Sodomiticæ, & aliquando pendere ab aliqua circumstantia extrinseca, v. g. malitia furti, pendens ex circumstantia extrinseca defectus dominij in bona furata.

240 Quod verò malitia obiectiua omissionis nunquam sit omnino intrinseca, & inseparabilis ab entitate eius, sed pendeat semper ab aliqua circumstantia extrinseca, patet. Nam præceptum affirmatiuum non obligat semper, & pro semper ad ponendam actionem positiuam, sed sub nonnullis circumstantijs solum, in quo differt à præcepto negatiuo, quod obligat semper, & pro semper ad non ponendam actionem prohibitam, ut docent Theologi: ex quo consequenter fit, omissionem actionis positivæ præceptæ præcepto affirmatiuo, non esse semper malam, sed in illis solum circumstantijs, in quibus obligat præceptum affirmatiuum ad talem actionem positiuam: ergo ommissio illa non est intrinsecè, & essentialiter mala, sed in esse talis pendet semper à circumstantijs illis extrinsecis, in quibus obligat præceptum affirmatiuum ad actionem positiuam quibus stantibus, est mala, & eisdem non stantibus, non est mala; sic ommissio amoris Dei præcepti solum est mala, stante periculo mortis, vel alia circumstantia, in qua obligat præceptum affirmatiuum ad ponendum amorem Dei; ommissio etiam reuerentiæ, debitæ Sacramento Eucharistiæ, solum est mala, stante circumstantia præsentis Sacramenti, in qua

qua obligat præceptum affirmatiuum ad talem reuerentiam, qua præsentia Sacramenti deficiente, non esset mala ea ommissio; item ommissio reuerentiæ, debitæ parentibus, solum est mala, stante circumstantia præsentis parentum, vel alia, in qua obligat præceptum affirmatiuum ad talem reuerentiam, qua circumstantia deficiente, non esset mala ea ommissio.

241 Doctrina huius suppositionis non potest habere locum in puris omissionibus internis: Nam cum istæ non sint formales attingentiæ omissionis externæ, non possunt distingui omissiones internæ, formaliter, & expresse volentes malitiam omissionis externæ, & aliæ non attingentes formaliter, & expresse talem malitiam, sed de omnibus omissionibus internis loquendum est, sicut de voluntatibus, non attingentibus formaliter, & expresse malitiam omissionis.

242 His positis, censeo primò. In actibus voluntatis, inductiuis omissionis, prohibitis quia malis, formaliter, & expresse volentibus malitiam omissionis, aliqua est malitia moralis, consistens in entitate intrinseca actus, expresse tendentis ad obiectum malum, & malitiam eius, vel potius consistens in tendentia intrinseca expressa actus ad obiectum malum, & malitiam eius. Hæc conclusio probanda est rationibus adductis cap. 4. punct. 1. pro concl. 1. Quæ doctrina non potest accommodari puris omissionibus internis, cum nulla earum sit attingentia formalis, & expressa malitiæ omissionis externæ.

243 Censeo secundò. In actibus voluntatis, inductiuis omissionis, prohibitis quia malis, non attingentibus formaliter expresse malitiam omissionis, sed præcisè entitatem omissionis, quæ in se mala est, malitia formalis saltem fundamentaliter imputabilis consistit in aggregato ex entitate actus, tendentis ad omissionem malam, & circumstantia illa extrinseca, vitante omissionem, sub qua obligat præceptum affirmatiuum ad ponendam actionem positiuam, v. g. in affectu omittendi amorem Dei, stante periculo mortis, malitia formalis est aggregatum ex tali affectu, & circumstantia illa extrinseca periculo mortis; in affectu omittendi reuerentiam debitam Sacramento Eucharistiæ, malitia formalis est aggregatum ex tali affectu, & circumstantia illa extrinseca præsentis

Sacramenti, in qua obligat præceptum affirmatiuum ad eam reuerentiam; & sic in alijs similibus affectibus omittendi. Hæc conclusio probanda est rationibus adductis loco citato pro conclus. 2. Cōclusionem autem vniuersaliter proposui de omni affectu, inductiuo omissionis, prohibito quia malo; nam cum malitia obiectiua omissionis prohibita quia malæ, sit semper dependens à circumstantia extrinseca, sub qua obligat præceptum affirmatiuum, malitia formalis cuiuscunque affectus dicti consistet in aggregato ex affectu, & circumstantia dicta. Et similiter discurrendum est de pura omissione prohibita quia mala, cuius moralis malitia consistet in aggregato ex entitate omissionis, & circumstantia extrinseca, sub qua obligat præceptum affirmatiuum ad ponendam actionem positiuam. Idque eisdem rationibus conuincendum est.

244 Censeo tertio. In actibus voluntatis, inductiuo omissionis, malis quia prohibitis, malitia formalis fundamentaliter imputabilis consistit in aggregato ex entitate actus, tendentis ad omissionem in se malam, & prohibitam, & prohibitionem ipsa, proueniente à præcepto affirmatiuo, obligante ad actionem positiuam omissam, v. g. in affectu omittendi Missam præceptam, malitia formalis est aggregatum ex tali affectu, & præcepto Missæ, prohibente consequenter omissionem eius. Et idem dicendum est de malitia morali puræ omissionis malæ quia prohibita, scilicet eam consistere in aggregato ex entitate omissionis, & præcepto affirmatiuo, obligante ad actionem positiuam omissam, prohibente consequenter talem omissionem. Hæc conclusio probanda est rationibus adductis loco citato pro conclus. 4.

245 Censeo quarto. In quolibet affectu malo, inductiuo omissionis, & in qualibet pura omissione mala, malitia moralis vt formaliter ad culpam imputabilis, consistit in aggregato ex entitate affectus mali, aut puræ omissionis malæ, & libertate cum aduertentia malitiæ. Hoc conuincit ratio adducta loco citato pro conclus. 5.

246 Censeo quinto. Quando elicitur affectus malus, inductiuus omissionis, vel pura omisio ex conscientia erronea, qua existimatur, esse malum, & inhonestum dictum affectum, vel puram

puram omissionem, cum in re tales non sint, dictus affectus, vel pura omisio nullam habent in se malitiam, independentem à libertate cum conscientia illa erronea malitiæ, quæque præter dictum affectum, vel omissionem puram non includat formaliter libertatem extrinsecam cum illa conscientia erronea malitiæ. Hoc conuincit etiam ratio adducta loco citato pro conclus. 6.

247 Vbi notandum est, quod notauimus iam loco citato nu. 182. malitiam moralem, siue formaliter, siue fundamentaliter imputabilem, includentem præter affectum ipsum, aut omissionem aliquid aliud extrinsecum, siue hoc sit libertas cum aduertentia malitiæ, siue prohibitio, siue alia circumstantia extrinseca, solum dicere in recto affectum, aut omissionem, & in obliquo illud aliud extrinsecum. Videantur ibi dicta.

248 Censeo sexto. Libertas cum aduertentia malitiæ addit nouam malitiam actui malo voluntatis, inductiuo omissionis, & puræ omissioni malæ, supra malitiam fundamentaliter imputabilem, quam aliud habent independentem à libertate, & non solum moralitatem, & imputabilitatem formalem sine incremento malitiæ. Hoc conuincendum est rationibus adductis loco citato pro conclus. 7.

249 Obiectiones, quæ contra doctrinam huius capitis fieri possent, solutæ sunt iam citato cap. 4. punct. 2.

250 Pro coronide huius disputationis non erit incongruum tradere veram peccati definitionem. Theologi autem non conueniunt in vna definitione peccati, vnusquisque enim tradit definitionem secundum suum sensum circa constitutum peccati. Quare, omisissis aliorum definitionibus, sic potest definiri peccatum, iuxta nostram doctrinam, in hac disputatione stabilitam, *operatio inhonesta libere facta cum aduertentia malitiæ*. Circa quam definitionem aduerte primo, quod si nomen *operationis libere factæ* sumatur strictè, prout significat operationem physicè factam, soli peccato commissionis conueniet definitio; si verò latiùs sumatur, prout significat etiam operationem, moraliter, & interpretatiuè factam, definitio conueniet peccato etiam puræ omissionis, quæ dicitur moraliter, & interpretatiuè facta, quatenus libere, & voluntariè exercetur.

tur. Aduerte secundò, quod si dictæ definitioni post illa verba, *operatio inhonestæ*, addatur particula, *gratis*, erit definitio peccati mortalis, si verò addatur particula, *leuis*, erit definitio peccati venialis.

DISPUTATIO II.

De constitutio peccati habitualis.

CAPVT I.

Controversia status, & opiniones Doctorum.

253 **S**uppono primò, voluntatem præteritam, habitualitèr perseverantem, esse in duplici differentia. Alia enim inducit in volente moralem aliquam obligationem, & dat alteri aliquod ius contra ipsum, siue tale ius sit iustitiæ, siue non, v. g. voluntas voti, inducens in vouente obligationem agendi, quod Deo promissum est per votum, Deoque dans ius contra vouentem exigendi ab ipso actionem promissam; voluntas etiam cuiuslibet contractus, obligans contrahentem ad opus promissum, dansque alteri ius contra illum exigendi opus promissum: hæc autem obligatio, & ius non solum existit, quando physicè existit voluntas, sed perseverat etiam, transacta physicè tali voluntate, dum non remittitur promissio ab habente ius contra promittentem, aut ab isto non adimpletur. Alia verò nullam inducit in volente obligationem, nec dat alteri aliquod ius contra ipsum, v. g. voluntas cras celebrandi iam præterita, & nondum retractata.

254 **S**uppono secundò, ex his duabus voluntatibus, voluntas, nullam pariens obligationem, & ius, dicitur habitualitèr perseverare, dum non retractatur, ex eo quod homo, dum voluntatem habitam non retractat, præsumitur approbaturus illam, si de ea interrogetur; unde habitualis perseverantia talis

lis voluntatis est fundamentum ipsum, quod habent homines ad prudentèr existimandum, quod si homo interrogetur de tali voluntate, approbabit illam, sicque dicit saltem voluntatem præteritam, & carentiam retractationis; hæc autem perseverantia habitualis est quodammodo lata, & minus propria: voluntas verò pariens obligationem, & ius, etiam postquam physicè non existit, præbet aliquem effectum formalem, perinde ac si physicè existeret, & ideo dicitur æquivalere sibi ipsi actualitèr existenti, hocque independentèr omnino à carentia retractationis; nam quamvis retractetur talis voluntas, dicitur nihilominus adhuc habitualitèr, & moralitèr perseverare, dum manet obligatio, & ius inductum ab ipsa, ut patet in voto, quod licet postea retractetur, dum tamen à vouente non impletur, aut à Deo non remittitur, perinde ligat hominem vouentem in prudentum iudicio, ac si physicè adhuc existeret: Unde habitualis, & moralis perseverantia voti est fundamentum, quod homines habent ad prudentèr existimandum, quod homo, elicitò semel voto, eoque physicè transactò, perinde manet obligatus, ac si votum physicè adhuc existeret: quod fundamentum dicit saltem hominem vouisse, & non adimpleuisse votum, nec Deum illud relaxasse, his enim stantibus, censetur votum habitualitèr perseverare, obligando ad eius impletionem; & huiusmodi perseverantia habitualis moralis est stricta, & magis propria.

255 **S**uppono tertio, voluntatem præteritam posse habitualitèr, & moralitèr perseverare in ordine ad vnum effectum, & non in ordine ad alium ex his, quos præstabat, vel præstare poterat: sic lex humana prohibens aliquid sub gravi pœna, potest abrogari quoad obligationem ad vnam partem pœnæ, & manere quoad obligationem ad aliam partem pœnæ; item si quis promittat virgini matrimonium, ut ab ea extorqueat copulam illicitam, hæc promissio præstat duos effectus, scilicet reddendi hominem peccatorem, & maculatum, & obligandi ipsum ad contrahendum matrimonium, si verò doleat peractum contritionis, iam non manet moralitèr promissio quoad denominationem peccatoris, & maculati, licet maneat quoad obligationem contrahendi matrimonium; peccatum etiam

etiam, à Deo remissum quoad culpam, manet adhuc quoad reatum pœnæ temporalis.

256 Suppono quartò, peccatum mortale inducere in peccantem triplex debitum, & in Deum consequenter triplex ius proportionatum contra personam peccantis. Nam in peccantem inducit debitum subeundi graue odium, & indignationem diuinam contra personam ipsius, debitum subeundi pœnam æternam correspondentem culpæ, & debitum exhibendi pro peccato satisfactionem sibi possibilem, scilicet cõgruam, quia satisfactio condigna pro peccato est omnino impossibilis peccatori, vt est constans inter Doctores. Vnde consequenter in Deum inducit ius ad habendum graue odium, & indignationem contra personam peccantis propter ipsum peccatum, ad infligendam ipsi pœnam æternam, & ad exigendum ab ipso omnes satisfactiones congruas sibi posibles. Hoc autem triplex debitum peccatoris, & ius Dei permanet, etiam transacto physicè actu peccaminoso, & sic perseuerantia moralis peccati mortalis crit sine dubio stricta, & propria. Similo quid contingit cum proportione in peccato veniali: nam ex illo contrahit peccans debitum subeundi leuem aliquam displicentiam diuinam, debitum subeundi pœnam temporalem, & debitum exhibendi satisfactionem pro illo sibi possibilem; Deus etiam ex ipso acquirit ius ad habendam talem displicentiam, ad infligendam pœnam temporalem, & ad exigendam satisfactionem pro illo.

257 Suppono quintò, peccatum mortale habituale nihil aliud esse, quam peccatum præteritum, moralitèr, & æquivalentèr perseuerans in ordine ad reddendum hominem peccatorem, maculatum, inimicum, & exosum Deo, per quam moralem perseuerantiam constituitur peccatum habituale vt sic, vt distinctum ab actuali; transacto enim physicè peccato actuali, hominem adhuc manere peccatorem, maculatum, inimicum, & exosum Deo, sicque peccatum præteritum quoad hoc æquiuale sibi ipsi actualitèr existenti, constat ex scriptura, & Patribus, adductis à Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 14. lect. 1.

258 Dubium ergo grauissimum huius disputationis est, in quo consistat hæc moralis perseuerantia, constituens peccatum habituale

bituale vt sic, ratione cuius possit denominari homo peccator, maculatus, inimicus, & exosus Deo, quodque possit esse hominibus fundamentam existimandi prudenter, hominem, transacto physicè peccato, perinde manere peccatorem, maculatum, inimicum, & exosum Deo, ac si peccatū adhuc physicè existeret: præsertim cum non possit consistere in solo peccato præterito, hoc enim fuisse, & extitisse, nullo modo tolli potest adhuc diuinitus, cum tamen perseuerantia illa moralis peccati habitualis tollatur de facto remissione Dei. Quæ difficultas in varias opiniones distraxit Doctores.

259 Prima opinio ait, peccatum habituale vt sic esse habitum vitiosum, relictum ex peccato actuali commisso. Pro hac opinione refertur Ariminensis in 2. dist. 30. q. 2. art. 2. cum alijs.

260 Secunda opinio dicit, esse morbidam qualitatem, ex peccato actuali commisso relictam in peccatore. Ita locuntur quidam de peccato originali, quod est etiam peccatum habituale, apud Salas citatum lect. 3. & disp. 11. lect. 2. nu. 25.

261 Tertia opinio asserit, esse reatum ad pœnam, debitam peccato actuali: nomine verò reatus ad pœnam intelligunt nonnulli destinationem, & ordinationem diuinam hominis ad pœnam, quamdiu perseuerat homo in illo statu; alij verò intelligunt dignitatem hominis ad pœnam. In primo sensu tribuitur hæc opinio Scoto in 4. dist. 14. q. 1. §. Dico ergo, & dist. 16. q. 2. §. Respondeo, Gabrieli q. 1. art. 1. notab. 2. & dist. 22. q. vnic. Ocham in 4. q. 8. & 9. art. 1. & 3. Olcoth q. de imputabilitate peccati, in corpore, Almaino q. 1. & 2. Parisiensi tract. de Sacramento pœnitentiæ fol. 45. col. 3. & 4. In secundo sensu tribuitur Durando in 4. dist. 14. q. 5. nu. 9. ad 2. Herueo in 2. dist. 30. q. 1. & quolib. 4. q. 14. Petro Soto lect. 3. de Pœnitentia, Antonino 1. p. tit. 9. c. 2. Caietano q. 86. & alijs apud eundem Salas citatum nu. 13. & 14.

262 Quarta opinio docet, peccatum habituale vt sic consistere in priuatione gratiæ. Ita Conradus q. 86. & q. 113. art. 2. Capreolus in 4. dist. 14. q. 1. concl. 4. Sayrus lib. 2. cap. 13. num. 4. Sotus in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Ledesma 1. p. 4. q. 27. art. 4. Belarminus lib. 5. de amissione gratiæ cap. 19. Valen-

- ria disp. 6. q. 16. punct. 1. Toletus tract. de peccatis cap. 1. Azor to. 1. lib. 4. cap. 24. q. 1. 2. & 3. & alij apud Salas citatum nu. 21. quorum aliqui volunt consistere adæquate in sola priuatione gratiæ; alij verò in aggregato ex peccato præterito, & priuatione gratiæ.
- 263 Quinta opinio putat, consistere in priuatione conformitatis habitualis ad legem. Ita Driedo de captiuit. tract. 2. cap. 2. memb. 1. Corduba lib. 1. q. 10. opinion. 6. Zamel. q. 86. Palacios in 2. dist. 29. disp. vnic. & dist. 31. disp. vnic.
- 264 Sexta opinio censet, peccatum habituale esse ens quoddam morale positium, relictum ex peccato actuali præterito, hominem maculans, & inficiens; quod quidem est ens medium inter ens reale physicum, & ens rationis. Ita multi Recentiores.
- 265 Septima opinio existimat, peccatum habituale esse peccatum præteritum, non retractatum ab homine, nec à Deo condonatum, sicque consistere in peccato præterito, & duabus carentijs, scilicet retractationis, & condonationis diuinæ, ita inter se connexis, vt non possit carentia condonationis esse sine carentia retractationis, eo quod non possit Deus adhuc de potentia absoluta condonare peccatum, quin hoc retractetur prius à peccatore. Ita plures Recentiores apud Lugo disp. 7. de Pœnitentia sect. 4. num. 31.
- 266 Octaua opinio constituit peccatum habituale in peccato præterito, & obligatione satisfaciendi. Ita Quiedo 1. 2. tract. 6. controu. 8. punct. 4. qui nu. 38. sentit, hanc obligationem satisfaciendi includere ipsam offensam præteritam, & vltius duas negationes, vnam satisfactionis condignæ pro illa, & aliam voluntatis diuinæ remittentis talem satisfactionem.
- 267 Nona opinio iudicat, peccatum habituale formaliter esse solum peccatum præteritum, carentias verò satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ esse conditiones ad illud requisitas, & non partes intrinsicè constituentes illud. Ita nonnulli Recentiores cum Vasques apud Arriagam 1. 2. to. 1. disp. 49. sect. 4. subsect. 1.
- 268 Decima opinio tenet, peccatum habituale, vt moraliter perseverans quoad culpam, tria dicere, scilicet hominem peccat.

fasse, non satisfacisse condigne pro peccato, nec Deum illud condonasse: & sic adæquate consistere in peccato actuali præterito, & carentijs satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ. Ita Suares to. 4. in 3. p. disp. 9. sect. 4. nu. 23. & to. 3. de gratia lib. 7. cap. 23. nu. 15. Vasquez to. 1. in 1. 2. disp. 139. c. 5. Curiel 1. 2. q. 86. art. 1. & 2. dub. 2. Salas supracitatus disp. 14. sect. 4. Granada de peccatis tract. 8. disp. 1. sect. 1. & alij, quos referunt, & secuntur Cardinalis Lugo de Pœnitentia disp. 7. sect. 5. & Arriaga supracitatus subsect. 2.

CAPVT II.

Decem opiniones præfatæ examinantur.

PUNCTUM I.

Tres priores opiniones repelluntur.

- 271 Censeo primò. Falsa est prima opinio, ponens peccatum habituale vt sic in habitu vitioso, relictum ex peccato actuali. Primò. Quia habitus vitiosus, relictus ex peccato actuali, manet in homine iam iustificato, in quo non manet peccatum habituale: ergo hoc distinguitur ab habitu vitioso. Secundò. Quia habitus intemperantiæ vitiosus, relictus ex peccato intemperantiæ, expellitur per actus temperantiæ, quatenus per istos gignitur habitus temperantiæ, oppositus illi habitui intemperantiæ, ipsumque excludens: sed per actus temperantiæ non expellitur peccatum habituale, cum tales actus sint ex se insufficientes ad iustificationem: ergo peccatum habituale non est habitus vitiosus. Tertiò. Quia peccatum puræ omissionis nullum producit habitum, carentia enim non potest producere rem vllam positiuam; & tamen manet habitualiter in homine, hunc denominando peccato-

rem, maculatum; & inimicum Dei: ergo permanentia habitualis peccati non stat in habitu vitioso, relicto ex peccato actuali. Quartò. Quia in communi philosophia non semper actus liberi producunt habitum, præsertim quando non sunt intensiores habitu præexistente in subiecto, ut dicitur in libris de anima; & tamen omnes actus liberi peccaminosi permanent habitualitèr, maculando hominem: ergo permanentia habitualis eorum non stat in habitu producto. Quintò. Quia licèt diuinitus impediretur productio habitus vitiosi, si tamen Deus nollet condonare peccatum, adhuc homo esset peccator, maculatus, & odio Dei dignus: ergo adhuc esset peccatum habituale: ergo hoc est independentèr à productione habitus vitiosi.

272 Censeo secundò. Falsa est secunda opinio dicens, peccatum habituale esse morbidam qualitatem, à peccato actuali relictam, & inclinans ad malum. Primò. Quia absque fundamento, & necessitate fingitur hæc qualitas morbida: ergo &c. Secundò. Quia hæc qualitas morbida constituitur ab aduersarijs relicta ex peccato, & ad hoc inclinans, sicut dici solet etiam de habitu vitioso; ergo sicut iste non est peccatum habituale, ita nec qualitas illa. Tertiò. Quia si actus peccaminosus relinqueret hanc qualitatem, actus virtuosus relinqueret aliam qualitatem oppositam, cum illa impossibilem; sicut quia ille relinquit habitum vitiosum, hic relinquit alium habitum virtuosum oppositum: ergo exercitio actuum bonorum destrueretur illa qualitas morbida: sed non destrueretur peccatum habituale: ergo hoc non stat in tali qualitate. Quartò. Quia peccatum puræ omissionis nullam talem qualitatem producere potest, & tamen manet habitualitèr, denominando hominem maculatum: ergo permanentia habitualis peccati non prouenit à tali qualitate. Quintò. Quia licèt diuinitus impediretur productio talis qualitatis, si tamen Deus nollet remittere peccatum, adhuc homo esset peccator, & maculatus: ergo adhuc esset peccatum habituale: ergo hoc stat independentèr à productione talis qualitatis. Sextò. Quia peccatum debet esse operatio libera voluntatis: sed dicta qualitas non est operatio libera voluntatis: ergo nec peccatum. Quod
verò

verò dicta qualitas sit producta ab actu libero peccaminoso, & ad malum inclinans, non facit, illam esse peccatum, ut patet in habitu vitioso, qui licèt producat ab actu libero peccaminoso, & ad malum inclinet, non ideo peccatum est.

273 Censeo tertiò. Falsa est tertia opinio asserens, peccatum habituale esse reatum ad pœnam, debitam peccato actuali, siue nomine reatus intelligatur destinatio, & ordinatio diuina ad pœnam, siue dignitas ad ipsam. Probatum primo de reatu, sumpto pro destinatione, & ordinatione diuina ad pœnam. Nam licèt Deus hominem peccantem non destinaret ad pœnam, si tamen nollet remittere culpam, adhuc talis homo esset peccator, maculatus, & odio Dei dignus: ergo adhuc esset peccatum habituale: ergo hoc est independentèr à tali destinatione ad pœnam. Antecedens probatur. Tum in peccatis grauisissimis, quæ quotidie committuntur à damnatis in inferno, quæ permanent postea habitualitèr, illos de nouo maculando, eo quod non sint remissa, nec condigne compensata; & tamen propter illa non destinantur damnati ad nouam pœnam, ut est constans inter Theologos. Tum in iniuria, & offensa facta Regi, quam licèt Rex non intendat punire, homo tamen illam committens, manet postea offensor, & iniurius Regi habitualitèr, quamdiu culpa à Rege non remittitur: ergo &c.

274 Probatum secundo de reatu sumpto pro dignitate ad pœnam. Nam post peccatum commissum, esse hominem dignum pœna æterna, non dicit solum peccatum præteritum, cum præteritio peccati maneat etiam post iustificationem, & remissionem culpæ, quo casu iam homo non est dignus pœna: ergo præter peccatum præteritum dicit aliquid aliud distinctum. Inquiro ergo, quid hoc sit? præsertim cum non possit esse destinatio diuina hominis ad pœnam: quod dum non explicat aduersarij, inexplicata relinquitur culpa habitualis.

275 De reatu autem, sumpto tam pro destinatione diuina ad pœnam, quam pro dignitate ad illam, Probatum tertiò. Peccatum habituale supponit pro culpa moralitèr, & æquivalentèr perseverante: sed culpa hæc est quid distinctum à reatu pœnæ, quocunque modo accepto: ergo & peccatum habituale. Mi-
nor

nor probatur. Tum quia Tridentinum supponit sæpè distinctionem inter culpam, & reatum pœnæ, præsertim sess. 6. cap. 4. dicens, reatum pœnæ æternæ vna cum culpa remitti, & can. 30. distinguens inter remissionem culpæ, & deletionem pœnæ æternæ. Tum quia in Bulla Piij V. & Gregorij XIII. contra Michaelē Baium damnatur hæc quinquagesima tertia eius propositio, *in peccato duo sunt, actus, & reatus, (scilicet pœnæ) transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus: unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati deletur, & ministerium Sacerdotis solum liberat a reatu*: sentiunt ergo Pontifices isti, transeunte actu peccati, præter reatum pœnæ, manere aliquid aliud distinctum, scilicet culpam, quæ Sacerdotis ministerio tollitur simul cum reatu pœnæ æternæ. Tum quia destinatio, & dignitas ad pœnam supponit hominem peccatorem, & maculatum: ergo & supponit peccatum habituale, illum maculans: ergo non constituit peccatum habituale. Antecedens probatur. Nam homo, transacto physicè peccato, non ideo est habitualitèr peccator, & maculatus, quia est destinatus ad pœnam æternam, aut ea dignus, sed è conuerso ideo est destinatus ad pœnam æternam, & ea dignus habitualitèr, quia est habitualitèr peccator, & maculatus: ergo destinatio, & dignitas ad pœnam supponit hominem peccatorem, & maculatum.

276 Probatur quartò. Ablata omnino culpa habituali per remissionem, manet adhuc aliqua destinatio, & dignitas pœnæ: ergo culpa habitualis non est destinatio, aut dignitas pœnæ; alias manente partialitèr destinatione, & dignitate pœnæ, maneret etiã partialitèr culpa, quod est absurdum. Antecedens patet. Tum in culpa mortali, qua omnino extincta, manet adhuc destinatio ad pœnam temporalem, & debitum, & dignitas eius. Tum in culpa originali, qua omnino remissa in Baptismo, manet adhuc debitum, & dignitas mortis, & aliarum pœnarum. Tum in culpa veniali, qua penitus ablata, non semper aufertur totum debitum, & dignitas pœnæ temporalis. Confirmatur. Si reatus, & dignitas pœnæ æternæ esset culpa mortalis habitualis, reatus pœnæ temporalis esset culpa venialis habitualis: ergo quando homo in iustificatione, remissa pœna æterna

æterna, manet destinatus ad pœnam temporalem, eaque dignus, culpa mortalis habitualis transit in venialem, quod est absurdum.

277 Probatur quintò. Posset diuinitus tolli culpa mortalis habitualis per extrinsecam condonationem, manente debito & dignitate pœnæ æternæ: ergo culpa mortalis habitualis non stat in hoc debito, & dignitate pœnæ æternæ. Antecedens probatur. Culpa mortalis habitualis, & debitum, seu dignitas pœnæ æternæ sunt inter se moralitèr diuersa, & separabilia: ergo posset diuinitus tolli illa, manente isto. Antecedens probatur. Primò. Quia culpa habitualis venialis, & debitum, seu dignitas pœnæ tēporalis sunt inter se moralitèr diuersa, & separabilia, vt patet in peccatis venialibus, cum quibus homo iustus decedit è vita, quorum culpa remittitur statim post mortem, manente toto debito, & dignitate pœnæ temporalis soluendæ in Purgatorio: ergo idem erit de culpa habituali mortali, & debito, seu dignitate pœnæ æternæ. Secundò. Quia defacto, ablata omnino culpa mortali habituali per remissionem, manet debitum, & dignitas partis pœnæ: ergo signum est, talem culpam, & debitum, seu dignitatem pœnæ non esse idem, sed moralitèr diuersa, & separabilia. Et quidem si debitum, & dignitas alicuius pœnæ est separabile à culpa mortali habituali, cur negabitur, esse ab eadem separabile debitum, & dignitatem pœnæ integræ æternæ?

278 Tertiò. Quia culpa mortalis habitualis defacto in tantum permanet, in quantum permanet in Deo ius ad odium, & indignationem contra peccatorem, debitum verò, & dignitas pœnæ in tantum permanet, in quantum permanet in Deo ius ad iuste puniendum illum: sed hæc duo iura sunt moralitèr diuersa, & separabilia: ergo & culpa habitualis, & debitum, seu dignitas pœnæ. Minor probatur. Quod Deus defacto simul cum iure ad odium, & indignationem contra peccatorem, habeat etiã ius ad iustam punitionem eius, prouenit ex eo, quod Deus sit gubernator, & iudex, si verò per impossibile non esset gubernator, & iudex, haberet quidem ius ad odium, & indignationem contra offendentem, sicque, cedendo huic iuri, posset condonare culpam, non tamen haberet ius ad puniendum

dum illum, nec posset illi debitum poenae remittere. Sicut contingit inter homines priuatos, inter quos ex offensa nascitur offenso ius ad rationabilem indignationem, & auersionem ab offendente, cui iuri cedendo, potest condonare offensam, non tamen acquirit ius ad puniendum offendentem, & ideo non potest ipsum absolueri à debito, & dignitate poenae: Princeps verò è conuerso posset offendenti condonare poenam, & non offensam: ergo dicta duo iura sunt moraliter diuersa, & separabilia.

279 Confirmatur. Si in offensa Petri erga Paulum potest tolli reatus culpae, cedente Paulo iuri, quod habet ad rationabilem indignationem, & auersionem à Petro offendente, permanente debito, & dignitate poenae, eo quod Princeps, ad quem spectat remissio poenae, nolit eam remittere: ergo similiter in offensa Petri erga Deum poterit tolli reatus culpae, renuncian- te Deo iuri ad indignationem, & auersionem à Petro, permanente debito, & dignitate poenae, eo quod nolit Deus poenam remittere, nec renunciare iuri, quod habet ad punitionem Petri.

280 Quartò. Quia, vt constat ex cap. 1. supposit. 3. nu. 255. potest idem actus physicè præteritus, moraliter perseverare in ordine ad vnum effectum, & non in ordine ad alium, quando moralis perseverantia talium effectuum exigit condiciones diuersas: at perseverantia reatus culpae, & perseverantia reatus, & dignitatis poenae exigunt condiciones diuersas: ergo potest perseverare peccatum quoad reatum poenae, & non quoad reatum culpae. Minor probatur. Perseuerantia reatus culpae exigit non remissionem odij inimicitiae diuinæ, & perseverantia reatus, & dignitatis poenae exigit non remissionem vindictae, & punitionis, vt inferius constabit: sed odium inimicitiae, & affectus vindictae, & punitionis differunt essentialiter: ergo tales perseverantiae exigunt condiciones essentialiter diuersas. Minor probatur. Odium inimicitiae dicit displicentiam non in sola culpa, sed etiam in persona propter culpam, eius consortium, & communicationem nolendo, seque ab ipsa auertendo: affectus verò vindictae, & punitionis culpae non dicit displicentiam in persona, nec auersionem ab ipsa, sed in culpa

culpa sola, vt patet in Patre castigante Filium dilectum, cui non vult malum illud punitionis ex odio inimicitiae, nec ex displicentia in persona filij, aut auersione ab ipsa, sed ex displicentia solum in culpa eius; item in Deo poena temporali grauissima puniente iustum ob peccatum lethale iam remissum absque vilo odio inimicitiae, & displicentia in persona iusti: ergo odium inimicitiae, & affectus vindictae, & punitionis differunt essentialiter.

281 Ex dictis colligitur, posse etiam Deum tollere reatum poenae aeternae, cedendo iuri ad punitionem, manente culpa, eo quod nollet cedere iuri ad odium inimicitiae, & auersionem à peccatore; in quo casu moralis perseverantia culpae non consistet in reatu poenae, vt pote non existente: posset autem Deus tunc habere indignationem, & odium inimicitiae contra peccatorem, quia tale odium inimicitiae non est affectus inferendi malum peccatori, sed affectus fugae, & auersionis ab ipso, displicendo in persona peccatoris, hancque sibi nolendo, eiulque consortium, & communicationem fugiendo ob peccatum commissum. Nec refert, Deum non posse facere, quod peccator per peccatum non sit dignus poena, sicut nec potest facere, quod iustus per bonum opus non sit dignus præmio. Ratio namque discriminis est: Nam dignitas præmij oritur adæquatè à bono opere, in gratia facto, vnde licet possit Deus negare præmium, non tamen facere potest, quod homo non sit dignus illo: at dignitas poenae non oritur adæquatè à peccato, sed includit etiam negationem condonationis diuinæ, vt infra ostendo: vnde ex hoc capite pendet à Deo perseverantia dignitatis poenae, sicque potest à Deo auferri, nō ablata culpa.

282 Vbi aduertè, argumentis propositis conuinci, peccatum habituale, nec in solo reatu, & dignitate poenae, nec in eo, & peccato præterito simul consistere posse, vt perpendenti constabit.

283 Obijcies primò. Peccatum in Scriptura, & Patribus significatur nomine reatus, debiti, obligationis, & dignitatis, scilicet poenae: ergo &c. Antecedens probatur. Nam Deuteronom. 32. dicitur, & auferetur ab eis reatus sanguinis. Exodi 32. percussit Dominus populum pro reatu vituli. Matthæi 6. Dimitte nobis debita

bita nostra, scilicet peccata. Actor. 8. In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Dionisius de diuinis nominibus cap. 4. part. 4. ait, *Puniri non est malum, sed fieri poena dignum.* Augustinus lib. 1. de nuptiis cap. 26. *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati; nam si quis fecerit adulterium, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur.* Et post pauca subdit, *Manent ergo, nisi remittantur, sed quomodo manent, si praterita sunt? nisi quia, quae praterierunt actu, manente reatu.*

284 Respondeo, concessio antecedente, negans consequentiam. Nam in primis in scriptura nomine reatus, debiti, & obligationis, vel non intelligitur reatus, debitum, & obligatio poenae, sed culpae, scilicet ad indignationem, & auersionem diuinam à peccatore, vel potius dignitas ad illam, quae si radicaliter sumatur est ipsa culpa, si verò formaliter sumatur, est essentialiter annexa culpae, eamque inseparabiliter consequitur, & sic per illam optime significatur, & innotescit culpa à posteriori: vel intelligitur reatus, debitum, & obligatio radicalis poenae, quae est ipsa culpa, non verò reatus, debitum, & obligatio formalis poenae, quae est proprietas culpae moraliter perseverantis, & diuinitus separabilis à culpa. Deinde Dionisius non dixit, malitiam peccati esse dignitatem formalem poenae, sed voluit solum, esse malum facere eam actionem, quae ex se digna est poena, vel quam consequitur poenae dignitas. Augustinus loquitur, vel de reatu ad indignationem, & auersionem diuinam modo dicto, vel de reatu poenae radicali, identificato cum ipsa culpa.

285 Obijcies secundò. Manente debito poenae, manet moraliter peccatum prateritum in ordine ad punitionem: ergo maculat moraliter hominem; cur enim maculabit hominem moraliter permanentia moralis peccati in ordine ad indignationem, & auersionem diuinam à peccatore, & non permanentia moralis eiusdem in ordine ad punitionem? ergo talis maculatio hominis consistet in reatu poenae. Respondeo negans primam consequentiam: Nam non quauis permanentia moralis peccati sufficit ad moraliter maculandum hominem, sed sola permanentia in ordine ad indignationem, & auersionem diuinam à persona peccatoris, vel potius permanentia in ordine

ad

ad eum effectum, quem omnino necessario, & inseparabiliter consequitur dignitas ad talem indignationem, & auersionem, ut patet in promissione peccaminosa matrimonij, facta virgini ex fine extorquendi copulam illicitam, quae licet post remissionem diuinam peccati maneat adhuc moraliter quoad obligationem contrahendi matrimonium, non tamen maculat hominem, quia non manet in ordine ad indignationem, & auersionem diuinam; item in peccato lethali remisso, quod licet maneat in ordine ad punitionem partialem, & temporalem, non tamen maculat hominem adhuc partialiter, quia non manet in ordine ad indignationem, & auersionem diuinam. Permanentia autem moralis in ordine ad indignationem, & auersionem diuinam à persona peccatoris, ideo dicitur macula eius, quia dum est talis permanentia, persona peccatoris est obiectum displicens Deo, & odibile ab ipso, sicut macula corporis reddit corpus displicens visui: hoc autem non militat in permanentia peccati in ordine ad punitionem, aut alios effectus, nam ratione huius permanentiae solum, non est persona peccatoris displicens Deo, & odibilis ab ipso, sed peccatum prateritum dumtaxat, ut dictum est.

286 Obijcies tertio. Si Deus, remissa culpa, infligere vellet homini poenam aeternam, Deus odio haberet illum hominem; nam sicut velle bonum homini, est ipsum amare, ita velle illi malum poenae aeternae propter peccatum, est ipsum odire: ergo maneret adhuc tunc in Deo ius ad odium peccatoris: ergo, manente debito poenae aeternae, non esset adhuc condonata culpa; haec enim non potest esse condonata, nisi ablato iure ad odium peccatoris. Respondeo, negans sequelam: Nam licet vellet illi malum poenae aeternae, non tamen vellet illud ex affectu odij, & inimicitiae in talem hominem, id est, ex affectu displicentiae in persona eius, ipsius consortium, & communicationem nolendo, seque ab ipsa auertendo; sed solum ex affectu iustitiae vindictivae, qui non dicit displicentiam personae, sed solius culpae; ut patet in Patre castigante filium dilectum, cui non vult malum illud punitionis ex odio, & displicentia personae filij, sed solius culpae; & in Deo temporaliter puniente iustum ob peccatum iam remissum absque odio, &

P 2

dis

displicentia personæ iusti: at quando punit peccatorem, cui non est remissa culpa, præter voluntatem puniendi ex affectu iustitiæ vindicatiæ, habet alium affectum odij, & indignationis in personam peccatoris propter peccatum, non quidem per modum prosecutionis, volentis illi aliquod malum, sed per modum fugæ ab ipso peccatore, quo Deus displicet in persona peccatoris, eius consortium, & communicationem nolendo, seque ab ipso auertendo, & hic affectus est inimicitia. Nec quælibet voluntas mali inferendi est odium personæ, alias Pater, castigans filium dilectum, censeretur illum odisse, & similiter Deus, volens homini iustificato à peccato malum poenæ temporalis, diceretur illum odisse; sicut è conuerso non quælibet voluntas dandi alteri bonum, est amor personæ, & affectus amicitia, vt patet in affectu Dei volente conferre auxilium peccatori ad conuersionem, qui non est amor personæ peccatoris, nec affectus amicitia, cum eius personam Deus graui odio habeat propter peccatum, sed est solum affectus misericordia, qui vult conferre illud auxilium ex fine subueniendi miseria peccatoris, eamque subleuandi.

287. Doctrina tradita applicanda est peccato veniali cum proportionē debita: Nam ex peccato veniali nascitur Deo ius, non solum ad infligendam poenam temporalem, sed etiam ad displicentiam, & auersionem aliquam leuem à persona committente illud, ex qua sequitur minor communicatio, & familiaritas, quæque non pugnat cum amore amicitia, licet non nascatur Deo ius ad odium simpliciter contra talem personam: vnde potest Deus remittere culpam venialem, cedendo iuri ad talem displicentiam, & auersionem leuem, perseuerante reatu poenæ, eo quod nolit Deus cedere iuri ad punitionem temporalem eius, & è conuerso. Ex quo fit, nec in peccato veniali posse culpam habitualem consistere in reatu, aut dignitate poenæ temporalis, idque conuincunt etiam superius dicta.

(.O.)

(.O.)

PVN.

288

PUNCTVM II.

Quatuor alia sequentes opiniones explosæ.

289. **C**enso quartò. Falla est quarta opinio, docens, peccatum habituale vt sic consistere in priuatione gratia. Probat. Si peccatum habituale consisteret in priuatione gratia, vel consisteret in sola priuatione gratia adæquatè, vel in hac, & peccato præterito simul: neutrum dici potest: ergo &c. Minor probatur. Et in primis non in sola priuatione gratia. Primò. Quia peccatum habituale est culpa moraliter perseuerans: sed priuatio gratia non est culpa: ergo hæc sola non est peccatum habituale. Minor probatur. Tum quia culpa vt sic est actus prauus. immediatè ortus a voluntate: sed priuatio gratia non est actus prauus, nec immediatè ortus à voluntate, sed est carentia orta immediatè à Deo, suspendente conseruationem gratia ad exigentiam actus prauis commissi: ergo non est culpa. Tum quia priuatio gratia est quasi poena peccati, & culpæ commissæ, quæ meretur priuationem gratia: ergo priuatio gratia non est culpa.

290. Dices, priuationem gratia non esse culpam actualem, sed habitualem, seu potiùs habitualem perseuerantiam culpæ, in hac enim priuatione vt pote effectu culpæ manet moraliter culpa: vnde quamuis sit poena culpæ actualis, non tamen culpæ habituales, sed constitutiuæ eius in esse habituales. Contra primò. Culpa habituales non est poena culpæ actualis, sed ipsa met culpa actualis, moraliter, & æquivalenter perseuerans: ergo si priuatio gratia est poena culpæ actualis, nõ erit constitutiuæ eius in esse habituales. Contra secundò. Culpa non potest dici habitualiter, & æquivalenter permanere, ex eo præcisè quod maneat aliquis effectus eius; nam in homine, remisso peccato originali per Baptismum, manet priuatio iustitiæ originalis, orta ex peccato originali, & tamen non manet peccatum originale in illa: ergo similiter licet post culpam actualem maneat

maneat priuatio gratiæ, orta ex illa, non censbitur illa habitualiter permanere in tali priuatione. Confirmatur. Post culpam actualem non solum manet in homine priuatio gratiæ, sed etiam priuatio reſtitutionis debitiæ, & vtraque priuatio est effectus culpæ actualis: sed priuatio reſtitutionis debitiæ non reddit culpam habitualiter perseuerantem: ergo nec priuatio gratiæ.

291 Secundò. Quia, commisso secundo peccato, manet habitualiter nouum peccatum; & tamen non datur noua priuatio gratiæ: ergo &c. Deinde ex peccatis habitualibus sunt plura specie distincta, & inter se inæqualia: sed priuatio gratiæ, ab illis inducta, est eiusdem speciei, & omnino æqualis: ergo peccatum habituale non stat in sola priuatione gratiæ. Minor pars tot. Nam eiusdem formæ, qualis est gratia, non possunt esse priuationes specie diuersæ, etiam si orientur à principijs specie diuersis, vt constat ex Physicis; aliudè etiam quodlibet peccatum lethale quantumuis minimum priuat omni gratia, existente in subiecto, quantumcunque intensa: ergo priuatio gratiæ, à dictis peccatis inducta, est eiusdem speciei, & omnino æqualis. Quod verò vnum peccatum priuat nunc gratia intensissima, non prouenit ex maxima ali qua grauitate peccati, sed quia tota illa gratia præexistebat in subiecto, qua similiter priuaret quodlibet aliud peccatum mortale etiam minimum.

292 Tertiò. Potest esse in homine priuatio gratiæ, quin detur peccatum habituale: ergo hoc non est sola priuatio gratiæ. Antecedens probatur. Ponatur homo, potens, & debens intra horam comparare gratiam per propriam dispositionem: hic homo in primo quadrante horæ habet priuationem gratiæ, & tamen non habet peccatum habituale: ergo potest esse illa priuatio sine peccato habituali. Idem esset in casu, quo Deus sic pacisceretur cum homine, *si feceris votum religionis, (quod tamen non præcipio,) dabo tibi gratiam,* tunc enim homo, non efficiens votum religionis, haberet priuationem gratiæ sine vilo peccato.

293 Dices, peccatum habituale esse priuationem gratiæ, non vtcunque, sed cum debito, & obligatione habendi illam; quæ obli-

obligatio, cum non esset in dictis casibus, nec esset peccatum habituale. Contra primò: ergo peccatum habituale non dicit solam priuationem gratiæ, sed transgressionem etiam talis obligationis præteritam. Contra secundò. Quia si Deus eleuasset hominem ad gratiam absque vilo præcepto comparandi illam, certe tunc essent peccata habitualia absque vilo debito, & obligatione habendi gratiam: ergo ad peccatum habituale nihil refert obligatio habendi gratiam.

294 Quartò. Quamuis homo non esset capax gratiæ per impossibile, adhuc tunc essent in illo peccata habitualiter permanentia; & tamen nulla esset tunc priuatio gratiæ: ergo peccatum habituale non est priuatio gratiæ. Quintò. Si per possibile, vel impossibile essent simul in homine gratia, & peccatum lethale, hoc nihilominus esset habitualiter permanens: sed tunc non esset priuatio gratiæ, quæ posset constituere peccatum illud habituale: ergo peccatum habituale non constituitur per priuationem, & carentiam gratiæ. Sextò. Peccatum veniale, physicè transactum, censetur habitualiter permanere, dum non est remissum, aut condigne compensatum, non minus quam mortale: sed peccatum veniale non constituitur habitualiter permanens per priuationem gratiæ, cum eam non inducat: ergo nec peccatum mortale: si enim in peccato veniali, independentè à priuatione gratiæ, datur aliquid, constituens illud in esse habitualiter permanentis, cur non poterit idem dici de mortali?

295 Deinde nec in priuatione gratiæ, & peccato præterito simul. Primò. Quia hoc etiam conuincunt tres vltimæ probationes n. præcedentis, quibus ostensum est, posse esse peccatum habituale sine priuatione gratiæ. Secundò. Quia si peccatum habituale non consistit in peccato præterito, & priuatione reſtitutionis debitiæ: ergo nec in peccato præterito, & priuatione gratiæ. Tertio. Quia potest esse peccatum præteritum, & priuatio gratiæ, quin detur peccatum habituale: ergo &c. Antecedens probatur. Potest Deus de potentia absoluta sine infusione gratiæ sanctificantis remittere peccatum per extrinsecam solum condonationem, vt ostendi in materia de Sacramento Pœnitentiæ; sicut solet similiter vnus homo remitte-

tere alteri extrinsecè offensam: sed tunc esset in homine peccatum præteritum, & priuatio gratiæ, & non daretur peccatum habituale, utpote ablatum tali remissione: ergo potest esse peccatum præteritum, & priuatio gratiæ, quin detur peccatum habituale.

296 Obijcies primò. Priuatio gratiæ est priuatio præcipui nitentis, & pulchritudinis animæ: ergo non potest non maculare animam: ergo illa erit macula, quam tribuit formalitèr peccatum habituale. Respondeo, distinguens primum consequens, non potest non maculare animam physicè, sicut maculat corpus priuatio pulchritudinis corporalis, concedo; moralitèr in esse culpe, nego; priuatio enim gratiæ non est culpa, sed effectus, & quasi pœna eius. Vnde nego vltimam consequentiam, nam macula, quam tribuit formalitèr peccatum habituale, est macula moralis culpe.

297 Obijcies secundò. Peccatum originale consistit in priuatione gratiæ: ergo idem erit de quolibet peccato habituali. Respondeo, negans antecedens, ut ostendo disp. sequente.

298 Obijcies tertio. Priuatio gratiæ non est pœna peccati: ergo est culpa formalitèr. Antecedens probatur. Vna pœna non punitur alia pœna; sed ob priuationem gratiæ homo punitur priuatione gloriæ: ergo priuatio gratiæ non est pœna peccati. Hæc obiectio similiter probaret, priuationem gratiæ non esse pœnam peccati actualis, sed constitutiuam eius quia etiam in instanti, quo quis actualitèr peccat, punitur priuatione gloriæ, quia priuatur gratia. Respondeo igitur, priuationem gloriæ esse pœnam peccati simul cum priuatione gratiæ, non esse autè pœnam respectu priuationis gratiæ, sed effectum ex ipsa sequutum; quod patet ex eo, quod si Deus auferret ab homine gratiam sine eius culpa, priuaret etiam illum consequentèr gloria, quo casu priuatio gloriæ non posset esse pœna priuationis gratiæ inculpabilis, sed effectus ex ipsa necessario sequutus: contingit enim sepe, quod ex vna pœna, delinquenti illata, sequantur alij effectus, sic qui ob delicta priuatur Episcopatu, incurrit etiam consequentèr priuationem sedis, & honoris Episcopalis debiti, tanquam effectum sequutum ex illa priuatione Episcopatus.

Cen-

299 Censeo quintò. Falsa est quinta opinio putans, peccatum habituale ut sic consistere in priuatione conformitatis habitualis ad legem. Probatur. Nam non potest declarari, quid sit conformitas ista habitualis ad legem, cuius priuatio dicitur constituere peccatum habituale ut sic: ergo &c.

300 Dices, hanc conformitatem habitualement ad legem esse priuationem peccati habitualis, seu transgressionis habitualis legis; dum enim voluntas non est in peccato habituali, aut transgressionem habituali legis, censetur esse habitualitèr conformis illi; sicque consistere peccatum habituale in priuatione priuationis peccati habitualis. Contra. Quia licet admittatur priuatio priuationis, tamen priuatio primo, & per se non tollitur per priuationem talis priuationis, sed semper per formam, ad quam sequitur priuatio talis priuationis; sic cæcitas priuans visu, tollitur primo, & per se per formam visus, & non per priuationem cæcitatis, consequentem visum: ergo similiter in nostro casu priuatio peccati, & transgressionis habitualis tollitur primo, & per se, non per priuationem talis priuationis, sed per formam aliquam, ad quam sequatur priuatio talis priuationis: ergo per hanc formam constituetur primario peccatum, & transgressio habitualis legis, & non per priuationem talis priuationis, consequentem illam. Declarandum ergo est ab aduersarijs, quid sit forma illa in peccato habituali, ad quam sequitur priuatio talis priuationis.

301 Censeo sextò. Falsa est sexta opinio censens, peccatum habituale ut sic esse ens morale positiuum, medium inter ens reale physicum, & ens rationis, relictum ex peccato actuali præterito, & hominem maculans, & inficiens. Probatur primò. Quia iudico chimerica hæc entia moralia, distincta ab entibus realibus physicis, & entibus rationis. Etenim huiusmodi entia vel sunt entia diuina, & à se, vel creata, & ab alio. Non primum; alias essent identificata cum Deo, quod est absurdum. Si secundum: ergo sunt producta per aliquam actionem physicam, & realem: ergo erunt entia physica, & realia. Vnde consequentèr fit, peccatum habituale ut sic debere identificari cum aliquo ente physico; dicitur verò habere esse morale, quia peccatum ipsum præteritum, quod includit, non existit

Q

sit

stet physicè, sed solum moralitèr, & æquivalentèr, tribuendò eandem denominationem maculati, quam tribueret, si physicè existeret.

302 Probatur secundò. Peccatum actuale relinquit in homine carentiam gratiæ, & carentiam rectitudinis, quibus quodammodo maculatur homo, sicut dicitur relinquere maculam illam moralem: cur ergo consistet potiùs peccatum habituale in hac macula morali relicta, & non in dictis carentijs? Probatur tertio. Si actus peccaminosus relinqueret hanc entitatem moralem insufficientem, actus virtuosus relinqueret aliam oppositam perfectam: ergo exercitio actuum virtuosorum destrueretur illa entitas moralis insufficientis: sed non destrueretur peccatum habituale, ut liquet: ergo hoc non stat in tali entitate morali insufficiente.

303 Probatur quartò. Peccatum puræ omissionis nullam maculam positivam producere potest, carentia enim non potest aliquid positivum producere: & tamen manet habitualitèr, denominando hominem peccatorem, & maculatum: ergo permanentia habitualis peccati non provenit ab aliqua macula morali producta. Probatur quintò. Quamvis diuinitus impediretur productio huius maculæ morali, si tamen Deus nollet remittere peccatum, adhuc homo esset peccator, & maculatus: ergo adhuc esset peccatum habituale: ergo hoc est independens à productione talis maculæ morali.

304 Censeo septimò. Falsa est septima opinio existimans, peccatum habituale esse peccatum præteritum, non retractatum ab homine, nec à Deo condonatum, vel potiùs esse peccatum præteritum cum duabus carentijs, scilicèt retractationis, & condonationis diuinæ, inter se essentialitèr connexis, eo quod non possit Deus adhuc de potentia absoluta condonare peccatum, nisi hoc priùs retractetur à peccatore. Et imprimis Deum non posse adhuc de potentia absoluta condonare, & remittere peccatum sine actu peccatoris, retractante illud, impugnavi iam fusè tract. de Pœnitentia. Unde ex ibi dictis sic brevitèr idem impugno in præsentis, destruendo aduersariorum fundamentum. Si peccatum non posset à Deo remitti sine pœnitentia, & retractatione peccatoris, maximè quia cum peccatum habi-

habituale sit essentialitèr voluntarium, debet moralitèr perseverare, dum non retractatur à peccatore: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Tum quia inter homines offensa est voluntaria offendenti; & tamen desinit moralitèr perseverare sine retractatione offendenti per solam remissionem extrinsecam personæ offensa. Tum quia votum v.g. Religionis emissum, est voluntarium vouenti, & tamen potest Deus, vel Pontifex nomine Dei auferre eius moralem perseverantiam per extrinsecam remissionem sine retractatione vouentis. Tum quia etiam peccatum originale fuit omnibus posteris quodammodo voluntarium in Adamo: & tamen remittitur paruulis in Baptismo, desinitque moralitèr perseverare absque vlla paruulorum retractatione: ergo similiter licèt peccatum habituale personale sit voluntarium peccatori, poterit à Deo remitti, sicque tolli eius moralis perseverantia sine retractatione peccatoris. Nec refert, quod asserat S. Thomas, peccatum non posse sine pœnitentia remitti: loquitur enim de potentia ordinaria, & non de absoluta.

305 Dein de carentiam retractationis non esse de ratione peccati habitualis, nec ut prædicatum essentialiale, nec ut conditionem essentialiam. Probatur primò. Ablata carentia retractationis peccati per retractationem ipsam, positam à peccatore, potest adhuc esse peccatum habituale: ergo ad hoc non pertinet essentialitèr carentia retractationis. Antecedens probatur. Posita quavis retractatione peccati etiam per contritionem, gratis Deus remittit peccatum, potens illud non remittere: ergo posita quavis retractatione peccati, potest adhuc esse peccatum habituale.

306 Probatur secundò. Si ad peccatum habituale ut sic esset necessaria carentia retractationis, posita retractatione peccatoris, siue per contritionem, siue per attritionem solam, imò & per detestationem naturalem, tolleretur peccatum habituale: sed, posita retractatione per solam attritionem, aut per detestationem naturalem, non statim tollitur peccatum habituale, ut patet: ergo ad peccatum habituale non est necessaria carentia retractationis. Maior probatur. Ad peccatum habituale solum dicitur ab aduersarijs necessaria carentia retractationis.

Q:

nis.

nis, quatenus illud est voluntarium, dum non retractatur per contrariam voluntatem: sed peccato habituali, quatenus est hoc modo voluntarium, contrariatur quælibet ex his retractationibus: ergo, posita qualibet ex his retractationibus, tolleretur ratio voluntarij peccati habitualis: ergo & tolleretur peccatum habituale, quod iuxta aduersarios essentialiter dicit hanc rationem voluntarij.

307 Obijcies primò. Peccatum habituale vt sic est voluntarium, & in tantum manet in ratione peccati habitualis, in quantum manet in ratione voluntarij: sed manet in ratione voluntarij, dum non retractatur: ergo & in ratione peccati habitualis; atque adeo non retractatio requiritur essentialiter ad peccatum habituale. Minor probatur. Primò. Quia peccatum habituale fit inuoluntarium per retractationem: ergo manet voluntarium, dum non retractatur. Secundò. Quia sola condonatio Dei non potest facere, quod homini sit inuoluntarium peccatum, quod semel placuit, & nunquam postea displicuit per retractationem: ergo manet voluntarium, dum non retractatur. Tertiò. Quia, Decretum, semel habitum, consecrandi, censetur tamdiu habitualiter manere voluntarium, quamdiu non retractatur: ergo idem erit de peccato habituali. Quartò. Quia peccatum habituale in ratione voluntarij dicit conuersionem inordinatam ad creaturam: ergo solum poterit tolli per auersionem ab ipsa, inclusam in retractatione peccatoris.

308 Ad solutionem noto, peccatum habituale dupliciter manere voluntarium. Primò formaliter, intrinsecè, & simpliciter, dum non remittitur à Deo, aut pro eo non exhibetur condigna satisfactio. Secundò obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid, dum non retractatur à peccatore; quia dum peccator non retractat peccatum commissum, præsumitur approbaturus illud, si de eo rogaretur. Ex hac duplici ratione voluntarij, prima est essentialis peccato habituali, secunda verò est illi contingens, & accidentalis: vnde si peccator retractet peccatum, & hoc à Deo non remittatur, fit peccatum inuoluntarium obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid, & manet voluntarium formaliter, intrinsecè, & simpliciter, si verò à Deo remitteretur peccatum, nondum retractatum à peccatore, cessat

faret eius voluntarium formale, intrinsecum, & simpliciter, & maneret voluntarium eius obiectiuum, extrinsecum, & secundum quid, quia dum peccator non retractat illud, præsumitur approbaturus ipsum, si de eo rogaretur. Declarari hoc potest exemplo voti religionis v. g. quod si postea retractetur à vouente, fit inuoluntarium obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid, & manet voluntarium formaliter, intrinsecè, & simpliciter in ordine ad obligandum, dum non impletur, aut à Deo non relaxatur: Si verò relaxetur à Deo, antequam retractetur à vouente, cessat voluntarium voti formale, intrinsecum, & simpliciter, solumque manet voluntarium voti obiectiuum, extrinsecum, & secundum quid, ratione cuius præsumitur homo approbaturus votum, si de illo rogaretur.

309 His notatis, Respondeo, distinguens maiorem, in tantum manet in ratione peccati habitualis, in quantum manet in ratione voluntarij formaliter, intrinsecè, & simpliciter, concedo; in quantum manet in ratione voluntarij obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid, nego. Deinde distinguo minorem, dum non retractatur, manet in ratione voluntarij obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid, concedo; manet in ratione voluntarij formaliter, intrinsecè, & simpliciter, nego; in hac enim ratione voluntarij manet, dum à Deo non remittitur, aut non compensatur satisfactio condigna, siue retractatum sit, siue non.

310 Ad primam probationem dico, peccatum habituale per retractationem fieri inuoluntarium obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid, quatenus est obiectum talis retractationis, manere tamen voluntarium formaliter, intrinsecè, & simpliciter, si à Deo non remittatur, & hanc rationem voluntarij habet independentè omnino à non retractatione, vt patet ex dictis. Ad secundam probationem dico, quod licet per condonationem Dei non fieret inuoluntarium peccatum, quod semel placuit, & nunquam postea displicuit per retractationem, fieret tamen non voluntarium formaliter, intrinsecè, & simpliciter, quia per condonationem Dei cessaret moralis perseverantia huius voluntarij peccati in ordine ad rationabilem Dei indignationem, & auersionem: vnde dum peccatum, à Deo iam con-

condonatum, non retractatur, solum manet voluntarium obiectiuè, extrinsecè, & secundum quid.

§11 Ad tertiam probationem, concessio antecedente, nego consequentiam. Nam cum Decretum consecrandi nullum ius det alteri contra decernentem, solum censetur manere habitualitèr voluntarium, dum non retractatur: at peccatum habituale dat ius Deo ad rationabilem indignationem, & auersionem à peccatore; & sic non manet in sola potestate peccatoris tollere habituales perseverantiam, & permanentiam voluntarij eius per solam retractationem, nisi Deus per condonationem cedat iuri illi suo, adquisito ex peccato. Ad quartam probationem assero, conuersionem inordinatam peccati habitualis ad creaturam tolli posse per auersionem negatiuam ab ipsa, id est, per carentiam conuersionis habitualis, inductam à Deo remittente, non verò per auersionem positiuam, inclusam in retractatione.

§12 Instabis. Conuersio hominis in Deum non potest tolli à Deo, sed à solo homine, illam retractante: ergo idem erit de conuersione in creaturam. Respondeo, negans consequentiã. Nam conuersio hominis in Deum nullum ius dat Deo, cui Deus cedere debeat, vt tollatur talis conuersio, imo homo per illam acquirit ius ad præmium cõtra Deum: at conuersio peccaminosa in creaturam dat ius Deo ad indignationem, & auersionem ab homine, & sic potest tolli à Deo, cedente tali iuri per condonationem. Vnde si sit aliqua conuersio hominis in Deum, dans Deo aliquod ius contra hominem, ea posset tolli à Deo, cedente tali iuri.

§13 Obijcies secundò. Peccatum præteritum, moralitèr perseverans, præstat eundem effectum maculandi, quem præstaret, si physicè existeret: sed dum non retractatur, moralitèr perseverat: ergo dum non retractatur, maculat hominem. Respondeo, distinguens maiorem, si sit moralitèr perseverans intrinsecè, & simpliciter, concedo; si sit solum moralitèr perseverans extrinsecè, & secundum quid, eo quod non sit retractatum, nego. Et distinguo minorem, dum non retractatur, moralitèr perseverat extrinsecè, & secundum quid ratione non retractationis, concedo; intrinsecè, & simpliciter, si iam à Deo remis-

missum sit independentèr à retractatione, nego; & nego consequentiam, si tale peccatum sit à Deo remissam independentèr à retractatione.

§14

PUNCTVM III.

Tres ultima opiniones labefactatæ.

§15 Censeo octauò. Falsa est octaua opinio, constituens peccatum habituale vt sic in peccato præterito, & obligatione peccatoris satisfaciendi per se Deo pro illo. Probatum primò. Hæc obligatio peccatoris per se satisfaciendi Deo, in qua Ouiedo partialitèr constituit peccatum habituale vt sic, vel est obligatio reddendi per se satisfactionem congruam pro peccato, vel satisfactionem condignam, vt innuit Ouiedo. Non primum. Nam quamuis peccator pro peccato commisso exhiberet Deo omnem satisfactionem congruam sibi possibilem, sicque extingueret omnino obligationem satisfaciendi de congruo, adhuc maneret peccatum habituale, maculans hominem; satisfactio enim congrua non delet, nec extinguit offensam, sed allicit solum offensum, vt velit liberalitèr remittere illam: ergo peccatum habituale vt sic non stat in obligatione satisfaciendi de congruo.

§16 Neque secundum. Nam in peccatore post commissum peccatum nulla est obligatio exhibendi per se satisfactionem condignam: ergo peccatum habituale, existens tunc in peccatore, non consistit in ea obligatione. Antecedens probatur. Ad exercendam actionem impossibilem nulla potest esse in homine obligatio, iuxta commune Theologorum dictum, *Ad impossibile nemo tenetur*: sed peccatori est per se impossibilis satisfactio condigna pro peccato, vt constat: ergo in peccatore nulla potest esse obligatio exhibendi per se satisfactionem condignam pro peccato. Confirmatur primò. Nam alias etiam posset constitui in homine obligatio satisfaciendi per se per actus,

actus, elicitos sine gratia Dei, quamuis hoc sit impossibile; quod est absurdum. Confirmatur secundo. Nam quaelibet obligatio agendi oritur ex aliqua lege præcipiente, siue naturali, siue positiva: sed nulla lex potest præcipere actionem impossibilem: ergo nulla potest esse in homine obligatio ad actionem impossibilem. Quod si dicatur, in peccatore non esse obligationem formalem per se satisfaciendi condigne pro peccato, sed obligationem solum radicalem, quatenus peccatum est tale ex se, quod induceret obligationem formalem per se satisfaciendi condigne, si talis satisfactio esset possibilis. Verum dicunt, sed hæc obligatio radicalis erunt prædicata ipsa peccati habitualis, quæ ex se inducere possent obligationem formalem per se satisfaciendi condigne, si hæc satisfactio non esset impossibilis; vnde explicanda sunt hæc prædicata, ut innotescat constitutum peccati habitualis ut sic, hoc enim inuestigamus in præfenti.

317 Probatur secundo. Debitum, & obligatio satisfaciendi Deo pro culpa supponit hominem maculatum, & offensorem Dei: ergo & supponit peccatum habituale, constituens illum maculatum, & offensorem Dei. Antecedens probatur. Homo non ideo est habitualiter maculatus, & offensor Dei, quia est obligatus satisfacere Deo pro culpa, sed è conuerso ideo est obligatus satisfacere Deo pro culpa, quia est habitualiter maculatus, & offensor Dei: ergo debitum, & obligatio satisfaciendi Deo pro culpa supponit hominem maculatum, & offensorem Dei. Confirmatur primo à paritate. Debitum, & obligatio satisfaciendi pro culpa, supponit hominem habitualiter maculatum, & offensorem Dei, ut patet ex punct. 1. à nu. 273: ergo idem erit de debito, & obligatione satisfaciendi pro culpa. Confirmatur secundo. Peccator contrahit obligationem satisfaciendi tam pro reatu culpæ, quam pro reatu pœnæ: sed obligatio satisfaciendi pro reatu pœnæ supponit in peccatore reatum pœnæ: ergo obligatio satisfaciendi pro reatu culpæ supponit in illo reatum culpæ; si enim reatus pœnæ non consistit in obligatione satisfaciendi pro pœna, cur reatus culpæ dicetur consistere in obligatione satisfaciendi pro culpa?

318 Proe

318 Probatur tertiò. Culpa habitualis, & obligatio satisfaciendi pro illa sunt inter se moraliter diuersæ, & separabiles saltem diuinitus: ergo culpa habitualis ut sic non stat in obligatione satisfaciendi pro illa. Antecedens probatur. Primò. Quia Christus Dominus suscepit obligationem satisfaciendi Deo pro peccatis hominum, & tamen non suscepit culpas habituales eorum: ergo culpa habitualis, & obligatio satisfaciendi sunt inter se moraliter diuersæ, & separabiles. Secundo. Quia culpa habitualis de facto in tantum permanet, in quantum permanet in Deo ius ad displicentiam, & auersionem à peccatore, & obligatio satisfaciendi in tantum permanet, in quantum permanet in Deo ius ad exigendam satisfactionem à peccatore: sed hæc duo iura sunt inter se moraliter diuersa, & separabilia saltem diuinitus: ergo & culpa habitualis, & obligatio satisfaciendi pro illa. Minor probatur. Hæc duo iura sunt ad actus moraliter diuersos, & independentes, vnum scilicet ad displicentiam, & auersionem à peccatore, & aliud ad exigendam satisfactionem pro culpa: ergo poterit Deus pro libito cedere iuri ad exigendam satisfactionem, sicque tollere obligationem satisfaciendi, & nolle cedere iuri ad displicentiam, & auersionem à peccatore, sicque non tollere culpam: ergo hæc duo iura sunt inter se moraliter diuersa, & separabilia.

319 Quod verò affectus displicentiæ, & auersionis à peccatore, & affectus exigens satisfactionem sint actus moraliter diuersi, & independentes, patet. Nam primus affectus dicit displicentiam, non in sola culpa, sed etiam in persona propter culpam, eius confortium nolendo, seque ab ipsa auertendo, ut patet ex punct. 1. nu. 280: affectus verò exigens satisfactionem non dicit displicentiam in persona, nec auersionem ab ipsa, sed ad summum in culpa præterita, ut constat in Deo exigente à Christo satisfactionem pro peccatis hominum, qui tamen non habebat displicentiam circa personam Christi, imo nec circa personas multorum ex hominibus, pro quorum culpis, etiam si iam remissis, exigebat à Christo satisfactionem: ergo dicti affectus sunt actus moraliter diuersi, & independentes. Confirmatur. Nam ob hanc rationem diximus punct. 1. in impugnatione tertiæ opinionis esse inter se moraliter diuersa in Deo

R

ius

ius ad displicentiam, & auersionem à peccatore, & ius ad infligendam poenam pro culpa, & consequenter etiam in homine debitum culpæ, & debitum poenæ: ergo idem erit in nostro casu.

320 Vbi aduerté, posse etiam Deum tollere culpam, manente obligatione satisfaciendi, eo quod cedens iuri ad displicentiam, & auersionem à peccatore, nolit cedere iuri ad exigendam satisfactionem, vt erudite docet Ripalda to. 2. de ente supernaturali disp. 96. sect. 6. nu. 59. Nec refert, obligationem satisfaciendi non posse esse pro culpa iam remissa, & non existente iam. Hoc enim falsum est. Tum quia si obligatio satisfaciendi pro culpa potest esse pro culpa iam remissa, cur idem non erit de obligatione satisfaciendi pro illa? cum non possit esse potior ratio vnius, quam alterius. Tum quia Christus habebat obligationem satisfaciendi etiam pro culpis iam remissis antiquorum Patrum: ergo &c.

321 Obijcies primò ex Quiédo. Peccatum in Scriptura, & Patribus significatur nomine reatus, debiti, obligationis, & dignitatis, vt liquet ex testimonijs allegatis punct. 1. obiect. 1. nu. 283: sed id non intelligitur de reatu, debito, obligatione, & dignitate poenæ: ergo satisfactionis. Respondeo ex dictis loco citato nu. 284. ea testimonia intelligi, vel de reatu, debito, obligatione, & dignitate ad displicentiam, & auersionem diuinam à peccatore modo ibi dicto, vel de reatu, debito, obligatione, & dignitate radicali poenæ, vel satisfactionis, quæ est culpa ipsa formalissimè.

322 Obijcies secundò. Lex, votum, & contractus manent habitualiter in obligatione, ex ipsis orta: ergo idem erit de peccato habituali. Respondeo, concedens consequentiam: Nam peccatum, & culpa præterita censetur iam habitualiter permanere in aliqua obligatione, orta ex ipsa, scilicet in obligatione subeundi displicentiam, & auersionem diuinam, vel potius in dignitate ad ipsam, ex cuius permanentia morali pendet moralis permanentia culpæ habitualis, non verò in alia obligatione, orta ex illa. Aduerte tamen, culpam præteritam primario non permanere habitualiter in obligatione, & dignitate dicta ad displicentiam, & auersionem diuinam, sed secundario

ario solum: primario autem permanere habitualiter in effectu formali peccatoris, maculati, & offensoris Dei, quem essentialiter, & inseparabiliter consequitur dicta obligatio, & dignitas ad displicentiam, & auersionem diuinam, iuxta inferius dicenda cap. sequente. Hoc autem non militat in lege, voto, & contractu, quæ primario permanent habitualiter in obligatione, ex ipsis orta, quia ante talem obligationem nullus alius est effectus formalis, in quo illa permanere habitualiter possint, vt liquet.

323 Instabis. Offensa vnius hominis erga alium constituitur habitualiter existens per obligationem satisfaciendi pro illa: ergo & offensa hominis erga Deum. Respondeo, negans antecedens. Nam nec offensa vnius hominis erga alium constituitur per obligationem satisfaciendi, sed per obligationem, & dignitatem radicalem ad displicentiam, & auersionem offensi ab offendente, id est, per illum conceptum, quem essentialiter, & inseparabiliter consequitur obligatio, & dignitas dicta ad displicentiam, & auersionem offensi ab offendente.

324 Censeo nono. Falsa est nona opinio, iudicans, peccatum habituale vt sic esse solum peccatum præteritum, carentias verò satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ esse condiciones requisitas, & non partes constituentes intrinsecè illud. Probatur. Posita Dei condonatione, adhuc est peccatum præteritum, seu præteritio eius; & tamen non est peccatum habituale: ergo solum peccatum præteritum non est totum esse peccati habitualis, sed præter illud debet aliquid aliud intrinsecè includi in peccato habituali; alias, posita condonatione Dei, adhuc maneret totum esse peccati habitualis, & consequenter peccatum etiam ipsum habituale. Vnde etiam inferri posset, carentiam condonationis diuinæ non posse esse conditionem, requisitam ad peccatum habituale. Nam carentia condonationis non est conditio requisita, vt sit peccatum præteritum, cum, ablata tali carentia per condonationem diuinam, adhuc detur præteritio peccati: ergo si peccatum habituale sit solum peccatum præteritum, carentia condonationis non poterit esse conditio, ad peccatum habituale requisita: cum iuxta aduersariorum doctrinam ad nihil eius requiratur.

325. Confirmo primò. Peccatum habituale tollitur, & destruitur per condonationem diuinam: ergo includit intrinsecè aliquid, quod per condonationem diuinam tollatur, & destruat: sed peccatum præteritum non potest tolli, & destrui per condonationem diuinam: ergo peccatum habituale vt sic non est solum peccatum præteritum, sed includit aliquid aliud, quod tollatur, & destruat per condonationem diuinam.

326. Confirmo secundò. Nullum aliud potest esse discrimen inter partem, intrinsecè constitutiua effectus formalis, & conditionem, requisitam ad illum, nisi quod sine parte intrinsecè constituyente, etsi ponantur omnia alia, intrinsecè constituenta, non datur effectus formalis; sine conditione verò requisita, si per possibile, vel impossibile dentur omnia alia, intrinsecè constituenta, datur effectus formalis, quia iste non includit intrinsecè illam; vnde conditio requisita, non aliter requiritur ad effectum formalem, nisi quia requiritur ad aliquid, intrinsecè constitutiuum illius, quod sine illa esse non potest, si verò non requireretur ad aliquid, intrinsecè constituens effectum formalem, nec ad istum requireretur: sic intellectio est conditio requisita ad volendum, quia sine intellectu non potest dari volitio, constituens voluntatem volentem, si verò esset volitio sine intellectu, daretur etiam effectus formalis volentis sine intellectu: sed sine carentia condonationis non est peccatum habituale, nec effectus formalis maculati, quamuis sit peccatum præteritum: ergo carentia condonationis non erit conditio, requisita ad peccatum habituale, & ad effectum formalem maculati, sed intrinsecè constitutiua illius simul cum peccato præterito.

327. Dices primò, ablata carentia condonationis, non esse peccatum habituale quoad denominationem, esse tamen quoad entitatem, quia, cum sit peccatum præteritum, est tota entitas peccati habitualis, licet non denominet iam peccatorē, & maculatum; sicut dici solet de Decreto libero Dei v. g. alterius mundi, quod defacto est in Deo quoad entitatē, & non quoad denominationem. Contra primò. Quia exemplum de Decreto libero Dei est mysterium altissimum, magisque imperceptibile, quam mysterium Trinitatis, quodque in Deo admittimus,

mus, sola fide coacti: vt quid ergo tantum mysterium ponemus in rebus creatis? alias posset etiam poni in creatis aliud mysterium Trinitatis. Contra secundò. Quia non manere peccatum habituale quoad denominationem, ablata carentia condonationis, vel est non manere idem nomen peccati habitualis, licet in re maneat totum esse eius, vel est non manere totum esse, à quo prouenit denominatio peccati habitualis. Primum sine errore dici non potest: nam alias, posita condonatione peccati, concedendum esset, manere in re peccatum habituale, licet non haberet nomen, & appellationem peccati, quod saperet hæresim asserentium, peccatum per remissionem non tolli in re, sed tegi, & occultari. Si secundum: ergo est verè ablatum aliquid illius esse peccati habitualis: sed non est ablatum peccatum præteritum, sed sola carentia condonationis: ergo carentia condonationis est aliquid illius esse peccati habitualis simul cum peccato præterito.

328. Dices secundò, ablata carentia condonationis, non manere peccatum habituale, quia licet maneat peccatum præteritum, in quo solo consistit formalitèr illud, non tamen manet vt virtualitèr, & æquivalentèr existens in ordine ad dandum effectum formalem peccatoris, & maculati, quia hunc effectum non potest communicare subiecto, deficiente conditione requisita carentiæ condonationis diuinæ; peccatum autem habituale non est peccatum præteritum præcisè, sed vt virtualitèr, & æquivalentèr existens in ordine ad dandum dictum effectum formalem. Contra. Quia si, ablata carentia condonationis, non manet peccatum vt virtualitèr, & æquivalentèr existens in ordine ad dandum effectum formalem peccatoris, & maculati: ergo est verè ablatum aliquid, constituens illud in esse virtualitèr, & æquivalentèr existens in ordine ad dandum dictum effectum formalem: sed non est ablatum peccatum præteritum, sed sola carentia condonationis: ergo carentia etiam condonationis constituit peccatum, vt virtualitèr, & æquivalentèr existens in ordine ad dandum dictum effectum. Confirmò. Peccatum vt virtualitèr, & æquivalentèr existens in ordine ad dandum dictum effectum formalem, non dicit solum peccatum præteritum, cum hoc per condonationem diuinam

nam maneat sine illa virtuali, & æquivalente existentia: ergo dicit aliquid aliud præter peccatum præteritum; quod non potest esse nisi carentia condonationis diuinæ.

329 Dices, illam virtualem, & æquivalentem existentiam esse solum virtualiter distinctam, & separabilem à peccato præterito, & sic non posse includere carentiam condonationis, quæ realiter formaliter distinguitur à peccato præterito. Contra. Quia peccatum præteritum, posita condonatione diuina, est realiter formaliter sine illa existentia virtuali, & æquivalente: ergo habet negationem realem formalem talis existentiae: ergo realiter formaliter distinguitur, & separatur ab ipsa. Obiectiones, quæ contra nostram hanc doctrinam fieri possent, commodius soluentur infra post explicationem nostræ opinionis.

330 Censeo decimò. Falsa est decima opinio, tenens, peccatum habituale consistere adæquatè in peccato actuali præterito, & carentiis satisfactionis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ. Probat. Si Petrus, post commissum peccatum, annihilaretur à Deo, ita ut nec anima eius maneret existens, peccatum illud Petri non esset habitualiter existens: at nihilominus essent peccatum præteritum, & carentiæ satisfactionis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ, ut patet, cum non esset condignè satisfactum pro illo, nec illud esset à Deo remissum: ergo in his tribus solum non consistit adæquatè habitualis existentia peccati. Maior constat. Peccatum habituale existens, est peccatum præteritum, perinde se habens in tribuendo suum effectum formalem maculati, infecti, & digni displicentia diuina, ac si physicè existeret, & ideo dicitur æquivalere in hoc sibi ipsi physicè existenti: ergo non potest esse habitualiter existens, nisi tribuat alicui effectum formalem maculati, infecti, & digni displicentia diuina: sed si Petrus non existat saltem quoad animam, peccatum, ab ipso commissum, non posset illi tribuere effectum formalem maculati, infecti, & digni displicentia diuina; nam quod non est, non potest esse maculatum, infectum, & dignum displicentia diuina: ergo si Petrus non existeret saltem quoad animam, peccatum, ab ipso commissum, non esset habitualiter existens.

331 Confirmò primò. Peccatum habituale est operatio libera inho-

inhonesta, habens esse solum moraliter, & æquivalenter, quatenus æquualet sibi ipsi physicè existenti: ergo non potest in se moraliter, & æquivalenter habere plus, quam habeat physicè existens: sed operatio libera inhonesta, physicè existens, non potest maculare, & inficere nisi Petrum actu existentem saltem quoad animam: ergo neque ut moraliter, & æquivalenter existens, poterit illum maculare, & inficere, nisi ita actu existentem: ergo si non esset ita actu existens, non posset illum talis operatio maculare, & inficere; atque adeo ea non esset habitualiter existens. Confirmò secundò. Peccatum habituale non est tale, nisi ut actu moraliter denominans maculatum, sicut peccatum actuale non est tale, nisi ut actu physicè denominans maculatum: ergo requirit subiectum capax talis denominationis: sed si Petrus non existeret saltem quoad animam, non esset capax denominationis actu maculati: ergo peccatum habituale requirit Petrum ita actu existentem: ergo si non ita existat actu, non poterit esse peccatum habituale.

332 Nec refert, peccatum actuale requirere hominem existentem, & tamen non includere intrinsecè existentiam eius; sicque similiter discurrendum esse de peccato habituali. Ratio enim discriminis est: nam existentia hominis peccantis non requiritur ad peccatum actuale immediatè, & per se, sed mediatè ratione alicuius partis, intrinsecè constituentis illud, quia scilicet requiritur ad actionem actualem peccaminosam, constitutiuam peccati actualis, & ideo, non existente homine, non possunt esse omnia alia, intrinsecè constituentia peccatum actuale: at ad peccatum habituale non requiritur mediatè ratione alicuius partis, intrinsecè constituentis illud, ad quam talis existentia hominis requiratur, cum, non existente homine etiam quoad animam, adhuc essent omnia alia, intrinsecè constituentia peccatum habituale, scilicet actio, & operatio inhonesta præterita, & carentiæ dictæ satisfactionis, & condonationis; sed requiritur ad illud immediatè, & per se, atque adeo tanquam constitutum intrinsecum eius, quia, ablata tali existentia hominis etiam quoad animam, quamuis dentur omnia alia, ipsum intrinsecè constituentia, non daretur peccatum habituale.

333 Ad:

333 Addo, nec posse consistere adæquatè peccatum habituale in peccato actuali præterito, carentijs condignæ satisfactionis sufficientis, & condonationis diuinæ, & actuali existentia delinquentis. Ad probationem suppono primò, peccatum, commissum in instanti A. existere habitualitèr in instanti B. & condonari à Deo in instanti C. Suppono secundò, carentiam condonationis diuinæ, constituentem peccatum vt habitualitèr existens in instanti B. non esse carentiam condonationis diuinæ absolutè, & simpliciter pro omni instanti, cum ab æterno existat iam condonatio diuina peccati pro instanti C. sed esse solum carentiam diuinæ condonationis peccati pro instanti B. in quo habitualitèr existit, quia scilicèt Deus non habet voluntatem, condonantem peccatum pro instanti B. sed solum pro instanti C.

334 Hinc facilè probatur assumptum. In instanti C. pro quo Deus condonat peccatum, hoc non est iam habitualitèr existens: at nihilominus in instanti C. verificatur, esse peccatum præteritum, existere delinquentem, dari carentiam condignæ satisfactionis sufficientis, & simul carentiam diuinæ condonationis peccati pro instanti B. per quam constituebatur habitualitèr existens peccatum in instanti B. vt dictum est suppositione secunda: ergo nec in his quatuor consistit adæquatè habitualis existentia peccati. Minoris tres priores partes patent, Quarta pars declaratur. Nam licèt in instanti C. sit condonatio diuina, qua Deus condonat peccatum pro tali instanti C. in eo tamen non est condonatio diuina peccati pro instanti B. qua scilicèt Deus illud condonet, aut condonauerit pro instanti B: ergo est, & durat adhuc in instanti C. carentia condonationis diuinæ peccati pro instanti B. quæ constituebat illud habitualitèr existens in instanti B. Vnde habitualis existentia peccati in instanti B. præter quatuor dicta, aliquid aliud dicere debet in tali instanti B. quod non existit iam in instanti C.

335 Nec dicas, carentiam condonationis diuinæ peccati pro instanti B. existentem in instanti C. non esse eandem carentiam condonationis diuinæ pro instanti B. quæ erat in instanti B. quæque in eo constituebat habitualem existentiam peccati.

cati. Tum quia carentia, existens in vtroque instanti B. & C. negat eandem omnino condonationem diuinam, scilicèt condonationem peccati pro instanti B: ergo est eadem omnino carentia in vtroque instanti. Tum quia si condonatio diuina peccati non est affixa instanti, pro quo illud condonat, sed persistit etiam in instantibus sequentibus, cur non idem dicitur de carentia condonationis, scilicèt non esse affixam instanti, pro quo negat condonationem peccati, sed persistere etiam in instantibus sequentibus.

336

CAPVT III.

Quid sentiendum sit in tam graui difficultate.

337

PUNCTVM I.

Propria sententia.

338 Censeo primò. Peccatum habituale vt sic est peccatum ipsum actuale physicè præteritum, & moralitèr existens, primario quidem in ordine ad reddendum hominem maculatum, & peccatorem, secundario verò in ordine ad reddendum illum dignum displicentia, & auersione diuina. Probatur. Peccatum physicè præteritum perinde se habet in ordine ad subiectum, ac si physicè existeret, & ideo dicitur æquivalere sibi ipsi physicè existenti, in tribuendo suum effectum formalem: ergo moralitèr, & æquivalentèr existit in ordine ad tribuendum eundem effectum formalem, quem tribuebat physicè existens: sed physicè existens, reddebat primario hominem maculatum, & peccatorem, & secundario dignum displicentia, & auersione diuina; non enim ideo est actu maculatus, &

peccator homo, quia est dignus displicentia, & auersione diuina, sed è conuerso ideo est dignus displicentia, & auersione diuina, quia est maculatus, & peccator: ergo postea moralitèr, & habitualitèr existit in ordine ad reddendum primario hominem maculatum, & peccatorem, & secundario dignum displicentia, & auersione diuina: ergo peccatum habituale erit peccatum ipsum actuale physice præteritum, & moralitèr existens in ordine ad dictos effectus formales, primarium, & secundarium.

339 Vbi aduertè, quod licèt dignitas ad displicentiam, & auersionem diuinam non sit effectus formalis primarius, sed secundarius culpæ habituales, tamen est effectus secundarius, essentialitèr consequens culpam habituales, eiusque effectum formalem primarium, eique ita inseparabilitèr annexus, vt nec diuinitus possit esse culpa habituales, maculàs hominem, quin simul reddat illum dignum displicentia, & auersione diuina. Vnde hæc dignitas ad displicentiam, & auersionem diuinam solet dici reatus culpæ, nō quia talis dignitas, & reatus sit ipsa culpa formalitèr, sed quia est reatus maximè proprius culpæ, eam essentialitèr consequens cum omnimoda inseparabilitate; quod non habent dignitas pœnæ, & obligatio satisfaciendi, quæ sunt separabiles à culpa, iuxta superiùs dicta cap. præcedente, & ideo non dicuntur reatus culpæ, sed reatus pœnæ, & reatus satisfactionis. Ex quo fit, culpam habituales omnino auferri, & extingui ex eo præcise, quod Deus auferat reatum, & dignitatem dictam ad displicentiam, & auersionem à peccatore, cedendo iuri, quod habet, ad illam; imo permanentiam moralem culpæ pendere vnice ex permanentia moralitèr talis reatus, & dignitatis ad displicentiam, & auersionem diuinam, & sic per permanentiam huius reatus rectè declarari à posteriori permanentiam moralem, & habituales culpæ.

340 Censeo secundò. Culpam habituales vt sic quinque includit intrinsecè, scilicèt hominem deliquisse, eum existere saltem quoad animam, non esse sufficientèr satisfactum condigne pro culpa, Deum illam nō condonasse, & existere instans, pro quo non est condonata: & sic adæquatè intrinsecè constitur ex culpa actuali præterita, actuali existentia delinquentis

sal:

saltem quoad animam, carentia satisfactionis condignæ sufficientis per se ad formalitèr extinguendam culpam, carentia condonationis diuinæ, & actuali existentia instantis, pro quo hæc carentia negat condonationem, quodque respicit ex parte obiecti condonatio, quam negat dicta carentia. Probat. Ea omnia constituunt intrinsecè culpam habituales vt sic, quibus instantibus, datur culpa habituales, & quorum aliquo sublato, etsi omnia alia existant, non datur culpa habituales: sed instantibus culpa actuali præterita, actuali existentia delinquentis, carentijs satisfactionis condignæ sufficientis dictæ, & condonationis diuinæ, & existentia instantis, pro quo negat condonationem carentia condonationis, datur culpa habituales, & quolibet ex eis sublato, etsi omnia alia existant, non datur culpa habituales: ergo hæc omnia constituunt intrinsecè culpam habituales.

341 Minoris prima pars certa est. Secunda pars probatur. Et in primis de culpa actuali præterita. Primò. Quia in statu naturæ puræ daretur existentia hominis, vt patet, carentia satisfactionis condignæ sufficientis, cum nulla talis in eo statu exhibita esset satisfactio, carentia condonationis diuinæ, cum Deus nullam homini culpam remisisset in eo statu, & instans, pro quo hæc carentia negat condonationem: & tamen non esset in homine tunc culpa habituales, reddens ipsum maculatum, & peccatorem, ex eo quod nullam commisisset culpam actualem: ergo, ablata culpa actuali præterita, etsi omnia alia existant, non datur culpa habituales. Secundò. Quia culpa vt sic est actus prauus, immediatè ortus à voluntate, sed, non stante culpa actuali præterita, etsi omnia alia existant, nullus est actus prauus, immediatè ortus à voluntate; cum nec existentia delinquentis nec carentiæ satisfactionis, & condonationis, nec instans, pro quo negat condonationem carentia condonationis, sint actus prauis, orti à voluntate: ergo nec esset culpa habituales.

342 Deinde de actuali existentia delinquentis constat ex cap. 2. superiori, punct. 3. concl. 10. nu. 330. 331. & 332. in casu ibi proposito, quo Petrus, post commissum peccatum, destrueretur à Deo etiam quoad animam: Tunc enim, quamuis essent

S 2

culpa

culpa præterita, carentiæ satisfactionis condignæ sufficientis, & condonationis, & instans, pro quo negat condonationem carentia condonationis, non esset culpa illa habitualiter existens ob defectum solum existentia delinquentis, ut ibi ostensum est: ergo, ablata existentia delinquentis, etsi omnia alia existant, non datur culpa habitualis.

343 Rursus de carentia satisfactionis condignæ sufficientis dictæ. Probatur. Si per possibile, vel impossibile auferretur carentia dicta per satisfactionem condignam sufficientem exhibitam, quamvis aliunde darentur culpa præterita, existentia delinquentis, carentia condonationis diuinæ, & instans, pro quo hæc carentia negat condonationem, esset per talem satisfactionem omnino extinctum debitum culpæ, Deoque plenissime satisfactum, & solutum: ergo non daretur iam culpa habitualis, ob defectum solum carentiæ satisfactionis.

344 Præterea de carentia condonationis diuinæ, Probatur similiter. Deus per condonationem peccati renunciat iuri, ex culpa actuali acquisito, ad displicentiam, & auersionem à persona peccatoris, sicque delet omnino culpam habitualem, eiusque permanentiam moralem in ordine ad talem displicentiam, & auersionem: ergo, ablata carentia dicta per condonationem diuinam, quamvis aliunde darentur culpa præterita, existentia delinquentis, carentia satisfactionis condignæ sufficientis, & existentia instantis, pro quo negatur condonatio, non datur culpa habitualis.

345 Tandem de actuali existentia instantis, pro quo carentia condonationis negat condonationem. Probatur. Transacto instanti B. pro quo Deus non condonat culpam, & adueniente instanti C. pro quo Deus illam condonat, iam non est culpa habitualiter existens: & nihilominus in tali instanti C. dantur culpa præterita, existentia delinquentis, carentia satisfactionis condignæ sufficientis, & carentia condonationis diuinæ pro instanti B. ut probatum est cap. 2. præcedente puncto 3. nu. 334: ergo, non existente instanti B. pro quo negat condonationem carentia condonationis, quamvis alia quatuor adsint, non est culpa habitualiter existens, præcisè ob defectum existentia dicti instantis B: ergo quatuor illa sine existens

stantia instantis B. non constituunt sufficienter culpam habitualiter existentem. Confirmatur primò. Si culpa habitualiter existit in instanti B. & non in instanti C. sequente: ergo aliquid est in instanti B. constituens illam habitualiter existentem, quod non est in instanti C. & ob cuius solius defectum non est habitualiter existens in instanti C: sed quod non est in instanti C. est solum instans B: ergo existentia instantis B. constituit etiam illam habitualiter existentem in ipso. Confirmatur secundò. Culpam esse habitualiter existentem, nihil aliud est, quam eam, transacto instanti commissionis, moraliter permanere, & durare in instanti sequente in ordine ad reddendum hominem maculatum, & peccatorem, & dignum displicentia, & auersione diuina: sed permanentia, & duratio, præter rem permanentem, & durantem, includit etiam existentiam instantis, in quo permanet, & durat, ut ostendi in Logica: ergo eandem includit culpa ut habitualiter existens.

346 Confirmatur conclusio. Offensa, & iniustitia unius hominis erga alium, habitualiter existens, dicit intrinsecè actum præteritum offensa, & iniustitiæ, existentiam delinquentis, non esse condigne satisfactum pro illa, eam non condonasse offensum, & existere instans, pro quo non condonat ipsam: item votum, habitualiter existens, dicit intrinsecè actum voti præteritum, existentiam vouentis, hunc non adimpleuisse illud, Deum illud non remisisse, & existere instans, pro quo non remisit ipsum: qualibet etiam promissio, habitualiter permanens, dicit intrinsecè promissionem præteritam, existentiam promittentis, non adimpleuisse illam, promissarium eam non remisisse, & existere instans, pro quo non remisit ipsam: ergo similiter culpa habitualis dicit intrinsecè culpam præteritam, existentiam delinquentis, non esse pro illa condigne satisfactum sufficienter, Deum eam non condonasse, & existere instans, pro quo non condonauit.

347 Censeo tertio. Culpa habitualis ut sic solam culpam præteritam dicit in recto, existentiam verò delinquentis, carentias satisfactionis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ, & existentiam sæpè dicti instantis in obliquo. Probatur. Cul-

pa habitualis vt sic solum debet dicere in recto id, quod habet directè rationem culpæ, mali, & imputabilis: at quod directè est culpa, malum, & imputabile, est culpa præterita, non verò existentia delinquentis, carentiæ dictæ, aut existentia sæpè dicti instantis, vt patet: ergo culpa habitualis vt sic solum dicit in recto culpam præteritam, existentiam verò delinquentis, carentiæ dictas, & existentiam sæpè dicti instantis in obliquo. Confirmó. Culpa habitualis vt sic solum potest dicere directè, & in recto, quod est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, & ratio formalis motiua, ob quam persona delinquentis odio habetur à Deo, ipsique displicet: sed sola culpa præterita est obiectum odij, & displicentiæ diuinæ, & ratio formalis motiua, ob quam persona delinquentis odio habetur à Deo, ipsique displicet, non verò existentia delinquentis, carentiæ dictæ, aut existentia sæpè dicti instantis: ergo &c.

348 Haftenus dicta vera sunt de culpa habituali non solum mortali, sed etiam veniali. Nam etiam culpa habitualis venialis est ipsa culpa physicè præterita, & moralitèr existens, primario quidem in ordine ad reddendum hominem, leuitèr maculatum, & peccatorem, & secundario in ordine ad reddendum illum dignum displicentiæ, & auersione leui Dei. Et vt sic dicit etiam intrinsecè culpam venialem præteritam, existentiam delinquentis, carentiæ satisfationis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ, & existentiam instantis, pro quo negat condonationem carentiæ condonationis; illam in recto, & istas in obliquo.

349 Hinc facile intelligitur, in quo consistant debitum peccatoris subeundi displicentiæ, & indignationem diuinam, debitum subeundi pœnam condignam, & debitum satisfaciendi saltem de congruo. Et in primis debitum subeundi displicentiæ, & indignationem diuinam, vel potiùs dignitas ad illam est realitèr identificata cum culpa, licèt per rationem distinguatur, & consequatur ipsam: vnde dignitas actualis ad illam identificatur realitèr cum culpa actuali, & consistit in eisdem, in quibus consistit culpa actuali; & dignitas habitualis ad illam identificatur realitèr cum culpa habituali, & consistit in eisdem, in quibus consistit culpa habituali, scilicèt in culpa

culpa præterita, existentia delinquentis, carentiæ satisfationis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ, & existentia supradicti instantis. Deinde debitum subeundi pœnam condignam, vel potiùs dignitas ad illam dicit culpam commissam, existentiam delinquentis, carentiæ satisfationis pœnæ debitæ, satisfationis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ, & existentiam sæpè dicti instantis; cum hac autem proportione, quod si debitum pœnæ sit actuale, dicit culpam præsentem, si verò sit habituale, dicit culpam præteritam. Tandem debitum, & obligatio satisfaciendi de congruo dicit culpam commissam, præsentem quidem, si sit debitum actuale, & præteritam, si sit debitum habituale, existentiam delinquentis, carentiæ satisfationis congruæ, & condonationis diuinæ eius, & existentiam sæpè dicti instantis, & vlteriùs possibilitatem talis satisfationis: Quod dicat etiam possibilitatem satisfationis congruæ, patet ex cap. 2. precedente punct. 3. nu. 916; nam si non esset possibilis talis satisfactio, non esset debitum, & obligatio ad illam, sicut quia est impossibilis peccatori per se satisfactio condigna pro culpa, non est in ipso debitum, & obligatio per se exhibendi illam.

350 Nec obstat, quod debitum, & obligatio subeundi displicentiæ diuinam, & pœnam condignam pro culpa commissa, non requirat ex se possibilitatem talis displicentiæ diuinæ, & pœnæ condignæ. Hoc enim ideo est, quia debita displicentiæ diuinæ, & pœnæ condignæ sunt solum debita passiuæ, vel potiùs dignitates ad talem displicentiæ, & pœnam subeundam, ac proinde sunt valde improprie debita, & obligationes, & sic non requirunt ex se possibilitatem displicentiæ diuinæ, & pœnæ condignæ: at debitum satisfaciendi est debitum actiuum, & consequenter est proprie debitum, & obligatio; debitum autem, & obligatio actiuæ, & propria non potest esse ad impossibile, iuxta commune Theologorum dictum,

Ad impossibile (scilicèt agendum)

nemo tenetur.

§§§

(O)

PUNCTUM II.

Opposita argumenta.

352 **O**bjicies primò. Peccatum præteritum, dux illæ carentiæ satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ, & existentia sæpè dicti instantis sunt homini extrinseca: sed peccatum habituale est quid intrinsecum homini, intrinsecè illum denominans peccatorem, & maculatum, vt colligitur ex Trident. sess. 5. vbi cum de peccato originali, quod habituale est, asserat, inesse hominibus, idem à fortiori dicendum erit de peccato habituali personali: ergo quatuor illa non constituunt peccatum habituale personale. Respondeo, distinguens maiorem, sunt homini extrinseca physicè, concedo; moralitèr, & æquivalentèr, nego: cum enim peccatum physicè præteritum, instantibus existentia delinquentis, præfatis carentijs, & instanti dicto, sit moralitèr, & æquivalentèr existens, perinde se habet respectu hominis, ac si physicè existeret: cum ergo, si physicè existeret, esset intrinsecum homini, consequens est, vt modo sit ei moralitèr, & æquivalentèr intrinsecum, quatenus ita hominem maculat, ac si intrinsecè inhaereret. Vnde similiter distinguo minorem, peccatum habituale est quid intrinsecum homini physicè, nego; moralitèr, & æquivalentèr, concedo: & nego consequentiam.

353 **O**bjicies secundò. Peccatum habituale est effectus peccati actualis; ideo namque homo est habitualitèr maculatus, quia actualitèr peccauit, & non è conuerso: ergo peccatum habituale distinguitur ab actuali, tanquam effectus à causa: ergo non est ipsum peccatum actuale præteritum, moralitèr existens. Respondeo, peccatum habituale posse dici effectum peccati actualis, sicut totum compositum dicitur effectus suæ partis; peccatum enim habituale componitur intrinsecè ex peccato actuali præterito, existentia delinquentis, carentijs satisfactionis, & condonationis, & existentia dicti instantis tanquam

quam ex partibus. Si autem renuas concedere, totum esse effectum suæ partis, poteris negare antecedens: etenim ad veritatem illius propositionis illatiuæ non requiritur, quod peccatum habituale sit effectus peccati actualis, sed sufficit includere illud tanquam partem componentem; & ob hanc rationem dicimus, ideo dari hominem, quia datur anima, & non è conuerso.

354 **O**bjicies tertio. Satisfactio condigna pro peccato est peccatori impossibilis, & chimerica: ergo negatio illius non potest constituere peccatum habituale magis, quam negatio cuiuslibet alterius chimeræ. Confirmatur. Eo ipso quod sit omnino impossibilis satisfactio condigna pro peccato, non potest magis auferri peccatum habituale per illam, quam possit per cucurbitam, Lunam, aut aliud simile: ergo sicut negatio cucurbitæ, Lunæ &c. non constituit peccatum habituale, ita nec negatio satisfactionis condignæ. Respondeo, in primis, non esse omnino impossibilem satisfactionem condignam pro peccato. Tum quia si ea natura humana peccatoris fuisset antea Verbo Diuino hypostaticè unita, potuisset tunc elicere satisfactionem condignam pro peccato, postea committendo ab eadem natura humana, dimissa à Verbo Diuino, vt suo loco ostendi. Tum quia licèt satisfactio condigna pro peccato sit impossibilis peccatori per se ipsum, est tamen possibilis ipsi per alium, condigne satisficientem loco ipsius tanquam fideiussorem, scilicèt per Christum. Vnde neganda est consequentia; quia satisfactio condigna pro peccato saltem per alium est absolute possibilis: negatio autem satisfactionis condignæ, constituens peccatum habituale, est negatio satisfactionis condignæ, siue exhibitæ à peccatore per se ipsum, siue per alium loco ipsius, ex quo patet ad confirmationem.

355 **D**einde, permissio antecedente, nego consequentiam. Nam licèt negatio satisfactionis condignæ, sit negatio satisfactionis impossibilis, & chimericæ, est tamen negatio cuiusdam satisfactionis, quæ, si esset possibilis, extingueret omnino debitum culpæ; quod non præstaret vlla alia chimera, etiam si fieret possibilis: & sic negatio possibilitatis, & existentia satisfactionis condignæ requiritur ad constituendum peccatum habi-

tuale, non vero negatio alterius chimere. Hinc ad confirmationem dico, antecedens verum esse de facto, & absolute de satisfactione condigna, non autem ex suppositione, quod illa esset possibilis, nam tunc per illam auferretur peccatum habituale magis, quam per cucurbitam, Lunam &c. & sic negatio satisfactionis condignæ constituet peccatum habituale, & non negatio cucurbitæ, Lune, &c.

356 Obijcies quartò. In primo instanti, in quo committitur peccatum, datur peccatum actuale, existentia delinquentis, carentiæ satisfactionis condignæ, & condonationis divinæ, & existentia instantis, pro quo negatur condonatio; & tamen in eo instanti non est peccatum habituale, sed actuale: ergo peccatum habituale non consistit in peccato actuali, existentia delinquentis, carentiæ dictis, & existentia instantis. Respondeo, distinguens consequens, non consistit in peccato actuali, physicè existente actu, & rebus alijs dictis, concedo; in peccato actuali physicè præterito iam, & alijs rebus dictis, nego: in primo autem instanti non est peccatum actuale physicè præteritum, & ideo non datur tunc peccatum habituale.

357 Obijcies quintò. Si negatio condonationis esset constitutiva peccati habitualis, Deus nolens condonare peccatum, vellet existere peccatum habituale, & maculationem moralem hominis: ergo esset causa per se existentie peccati habitualis, & maculationis morales hominis: sed hoc est absurdum: ergo &c. Confirmatur primò. Deus est causa per se destructiva peccati habitualis, quatenus per se destruit negationem condonationis, constitutivam eius: ergo erit causa per se causativa eiusdem, quatenus per se causat talem negationem condonationis. Confirmatur secundò. Illi tribuitur causatio alicuius compositi, qui ponit rationem ultimam, constitutivam eius, ut patet ex dictis disp. 1. cap. 4. punct. 2. in solutione undecimæ objectionis: sed iuxta nostram sententiam negatio condonationis esset ratio ultima, constitutiva peccati habitualis: ergo Deo, ponenti per se talem negationem, tribueretur per se causatio peccati habitualis.

358 Ante solutionem adverte, hanc objectionem etiam militare contra asserentes, negationem condonationis esse conditionem

essentialem ad existentiam peccati habitualis, & maculationem moralem hominis. Nam causans per se aliquam conditionem essentialem, ex cuius positione sequitur necessario aliquis effectus, est per se causa talis effectus: sed in sententia aduersariorum negatio condonationis est conditio essentialis, ex cuius positione sequitur necessario peccatum habituale, & effectus maculati: ergo Deus, causans per se talem conditionem, erit per se causa peccati habitualis, & effectus maculati, sicut destruens illam, est causa destructiva istius.

359 Respondeo ergo in primis, negans consequentiam. Nam Deus, causans per se carentiam condonationis, constitutivam peccati habitualis, non causat id, quod dicit in recto peccatum habituale, quodque est ratio ultima constitutiva ipsius, quo posito, datur statim peccatum habituale, & ex cuius positione pendet esse, vel non esse ipsius: Nam carentia condonationis non est id, quod dicit in recto peccatum habituale, ut dictum est superiori puncto concl. 3. nu. 347. neque est ratio ultima constitutiva ipsius, qua posita, datur statim peccatum habituale, & ex cuius positione pendeat esse ipsius: etenim carentia condonationis erat iam ante commissionem peccati, cum tunc non esset condonatio eius, tunc autem non erat peccatum habituale; adueniente verò commissione peccati, hocque physicè transacto, statim datur peccatum habituale, constitutum ex carentia dicta præcedente, & peccato commisso, physicè transacto cum cæteris alijs; & sic causatio peccati habitualis non potest tribui Deo, causanti talem carentiam condonationis, sed soli voluntati creatæ, causanti actum peccaminosum, quem illud dicit in recto, quique est ratio ultima, constitutiva illius, qua posita, statim datur peccatum habituale: causatio enim peccati solum tribuitur causanti per se id, quod dicit in recto peccatum, quodque est ratio ultima, constitutiva eius, qua posita, statim datur peccatum; sic causatio peccati actualis v.g. comedendi carnes die veneris, non tribuitur Deo, causanti specialitèr prohibitionem, advertentiam, & libertatem, constituentes tale peccatum, sed soli voluntati creatæ, producenti specialitèr affectum comedendi, quem dicit in recto tale peccatum, quique est ratio ultima, constitutiva eius, quo posito,

statim datur tale peccatum, ut constat ex dictis disp. I. cap. 4. punct. 2. in solut. undecimę obiectionis à nu. 207.

360 Nec dicas, carentiam condonationis, existentem ante commissionem peccati, esse diuersam à carentia condonationis, existente post eius commissionem; nam hæc carentia est priuatio, illa verò erat negatio, quia tunc erat homo incapax condonationis ob defectum peccati condonabilis. Hoc enim falsum est: Nam licet homo tunc esset extrinsecè incapax condonationis ob defectum peccati, erat tamen intrinsecè capax illius, quatenus erat capax peccati, & consequenter condonationis eius, quæ capacitas sufficit sine dubio ad priuationem. Si verò contendas tenaciter, carentiam condonationis, antecedentem peccatum, esse negationem, adhuc dici posset, eam non esse distinctam à carentia condonationis, existente post peccatum, sed eandem illam carentiam transire postea in priuationem: & iuxta hanc doctrinam dicendum est, non omnem negationem distingui essentialiter à priuatione, præsertim quando esse negationis prouenit ex incapacitate extrinseca subiecti ad formam, sed eam solum negationem, quæ respicit incapacitatem intrinsecam subiecti ad formam.

361 Deinde, dato, quod carentia condonationis, constitutiuam peccati habitualis, non antecedit, sed subsequatur peccatum, & consequenter quod sit ratio vltima, constitutiuam illius, adhuc Deus causans, & volens illam, non erit per se causa peccati habitualis. Nam Deus causans, & volens talem carentiam, & consequenter volens existentiam peccati habitualis, & maculationem moralem hominis, non id vult absolutè ex proprio motiuo, sed occasionaliter solum ex suppositione peccati præcedentis, merentis, & exigentis, ne condonetur à Deo, & ob exigentiam, & meritum eius: vnde existentia talis carentiæ, & peccati habitualis non tam tribuetur Deo, quam voluntati creatæ, ponenti actum peccaminosum, merentem, & exigentem carentiam illam condonationis diuinæ, & consequenter permanentiam moralem peccati; sicut ob eandem rationem damnatio, & mors spiritualis hominis non tribuitur Deo, inducenti priuationem vitæ spiritualis gratiæ, & pœnam æternam, sed soli homini, ponenti peccatum, merens, & exigens talem

talem mortem, & damnationem, quia Deus non vult inducere illas absolute ex proprio motiuo, sed occasionaliter solum ex suppositione peccati, eas exigentis, & merentis, & ob exigentiam, & meritum eius.

362 Ad primam confirmationem nego consequentiam. Primo iuxta primam solutionem. Quia destructio totius tribuitur destruenti quamlibet partem eius, quia, qualibet parte destructa, iam non est totum, & sic Deo, destruenti negationem condonationis, constitutiuam peccati habitualis, tribuitur huius destructio: at causatio totius non tribuitur causanti quamlibet eius partem, sed causanti partem, quam dicit in recto, vel quæ est ratio vltima, constitutiuam eius, qua posita, statim ponitur totum; Deus autem, inducens negationem condonationis, non causat partem, quam in recto dicit peccatum habituale, quæ ve sit ratio vltima, constitutiuam eius, cuius positione statim ponatur illud, ut dictum est, & sic Deo, inducenti talem negationem, non tribuitur causatio peccati habitualis. Secundo iuxta secundam solutionem. Quia Deus, destruens negationem condonationis, non destruit ipsam occasionaliter ex suppositione destructionis alterius, & ad exigentiam eius, sed absolutè; & sic Deo, destruenti talem negationem, tribuitur destructio peccati habitualis: at Deus, causans, & volens talem negationem, non vult eam absolutè, sed occasionaliter ex suppositione peccati, merentis, & exigentis illam, & ob exigentiam, & meritum eius; & sic causatio talis negationis, & peccati habitualis, non tribuitur Deo, sed voluntati creatæ, causanti peccatum, merens, & exigens talem negationem, & permanentiam moralem peccati.

363 Ad secundam confirmationem, iuxta primam solutionem neganda est minor, ut patet ex superius dictis nu. 359. Iuxta secundam verò solutionem distinguenda est maior, illi tribuitur causatio alicuius compositi, qui ponit rationem vltimam, constitutiuam eius, absolutè, concedo; qui ponit illam occasionaliter solum ex suppositione alterius partis, exigentis illam, & ad exigentiam ipsius, ut contingit in nostro casu, nego. Et sic, concessa minore, neganda est consequentia.

364 Obijcies sexto, Peccatum habituale ut sic est moraliter

malum, & obiectum odij diuini: sed carentia condonationis non est mala, nec obiectum odij diuini, imo est à Deo volita, & intenta, saltem ex suppositione peccati: ergo non constituit intrinsicè peccatum habituale; alias malitia eius constitueretur ex aliqua parte in se bona. Simili obiectioni responsum est iam disp. 1. cap. 4. punct. 2. in solut. 10. & 11. obiectionis à no. 203. Et iuxta ibi dicta, dicendum est in præsentia, primò, posse peccatum habituale vt malum constitui ex aliqua, vel aliquibus partibus non malis, sed in se bonis, vt declaratum est loco citato. Secundò, peccatum habituale vt sic esse obiectum odij diuini, non quia odium diuinum terminetur ad omnia, & singula, quæ includuntur in peccato habituali vt sic, ipsamque constituunt, sed quia terminatur ad actum peccaminosum, quem dicit in recto peccatum habituale, quique vel est ratio vltima, constitutiva illius, ad cuius positionem sequitur statim existentia talis peccati, iuxta primam solutionem superioris obiectionis, vel saltem est exigens, & merens, sicque moralitèr inducens positionem rationis vltimæ, constitutivæ illius, scilicèt carentiæ condonationis, iuxta secundam solutionem dictæ obiectionis. Videantur fusè dicta loco supra citato.

365 Obijcies septimò. Deus odit hominem propter peccatum præteritum, non vtcunque, sed vt habitualitèr, & moralitèr existens: ergo odit id, per quod illud constituitur habitualitèr existens; ergo si non odit carentiam condonationis, signum est, per eam non constitui habitualitèr, & moralitèr existens. Antecedens probatur. Primò. Quia Deus odit hominem nunc, quia in eo adhuc manet, & existit moralitèr peccatum præteritum: ergo odit illum propter peccatum præteritum, vt habitualitèr, & moralitèr existens adhuc. Antecedens probatur. Si peccatum præteritum adhuc non maneret, & existeret moralitèr, Deus non odisset hominem propter illud, vt patet in homine iustificato à peccato, quem non odit Deus iam propter peccatum præteritum, quia hoc non manet, nec existit iam moralitèr: ergo odit Deus hominem nunc, quia in eo adhuc manet, & existit moralitèr peccatum præteritum. Secundò. Quia si Deus odisset hominem propter peccatum præ-

teritum præcisè, & non propter permanentiam, & existentiam moralem eius, solumque peccatum præteritum esset ratio formalis motiua talis odij, certè cum peccatum præteritum maneat etiam post condonationem, maneret tunc tota ratio formalis motiua sufficiens ad odium talis hominis: ergo tunc adhuc posset Deus odisse hominem propter peccatum commissum: sed hoc est falsum: ergo &c.

366 Respondeo, negans antecedens. Nam ratio formalis motiua, ob quam Deus odit hominem peccatorem, est peccatum præteritum præcisè, habitualis verò, & moralis existentia eius, qua parte includit negationem condonationis, est solum conditio requisita ad tale odium, ad quam istud non terminatur: vnde, ablata tali existentia habituali, & morali per condonationem diuinam, Deus iam non odit hominem propter peccatum præteritum, non quia desit ratio formalis motiua talis odij, sed quia desit conditio, ad illud requisita: ratio ergo formalis motiua talis odij, est peccatum habituale materialitèr, id est, peccatum præteritum, quod habitualitèr existit, non vero peccatum habituale formalitèr, id est, vt habitualitèr existens. Nec hoc est speciale in hoc odio Dei; passim enim inuenies, requiri aliquas condiciones, & circumstantias ex parte obiecti ad affectus voluntatis, ad quas isti non terminantur, nec tanquam ad obiectum formale, nec tanquam ad materiale: sic vt desideretur, aut speretur aliquod bonum, requiritur huius absentia, & tamen non desideratur, aut speratur absentia; item vt quis velit dare eleemosinam indigenti, requiritur in isto indigentia cognita, & tamen non vult talem indigentiam, sed ea potiùs displicet; similiter ad complacendum licitè in Petro propter ipsius bonitatem, requiritur, ne detur prohibitio talis complacentiæ, & tamen carentia prohibitionis non est motiuum, nec obiectum, ad quod terminetur complacentia, sed conditio requisita tantum.

367 Ad primam antecedentis probationem falsum est antecedens, si ly quia denotet rationem formalem motiuam odij; verum tamen, si denotet partim rationem formalem motiuam odij, quatenus permanentia, & existentia illa moralis dicit peccatum præteritum, & partim conditionem requisitam,

quatenus dicit negationem condonationis; sic quando dicimus, ignem comburere quia approximatum, *ly quia* non denotat, approximationem esse virtutem, & rationem formalem comburendi, sed conditionem requisitam; nec amplius conuincit probatio huius antecedentis. Ad secundam probationem nego consequentiam: nam licet post condonationem diuinam peccati maneret adhuc tota ratio formalis motiua, sufficiens ad odium diuinum hominis, scilicet peccatum præteritum, non tamen maneret conditio requisita ad tale odium, scilicet negatio condonationis; & sic non posset Deus odisse hominem tunc propter peccatum præteritum, non quidem ob defectum rationis formalis motiue, sed ob defectum conditionis; Deus enim per condonationem, quasi per legem, sibi impositam, quasi prohibet sibi, atque impedit, odisse talem hominem. Et quamuis negatio condonationis sit conditio requisita ad illud odium, est tamen pars intrinsecè constitutiua peccati habitualis.

368 Obijcies octauo. Peccatum habituale est ipsum peccatum actuale præteritum, moraliter perseverans in ordine ad redendum hominem dignum odio Dei: sed totum hoc non includit carentias illas vt partes, sed requirit solum ipsas vt conditiones; ergo &c. Minor probatur. Carentia condonationis est conditio, vt Deus rationabiliter odio habeat hominem: ergo est etiam conditio, vt homo per peccatum præteritum sit dignus rationabili odio Dei. Patet consequentia. Primò. Quia sicut, ablata hac carentia, Deus non potest rationabiliter odio habere hominem, ita nec homo est dignus rationabili odio Dei: ergo si carentia illa est solum conditio, vt Deus possit rationabiliter odio habere, solum etiam erit conditio, vt homo possit rationabiliter odio haberi: ergo etiam vt sit dignus rationabili odio Dei. Secundò. Quia ex eo, ablata carentia condonationis, non potest Deus rationabiliter odio habere, quia posita condonatione, tollitur Deo ius odio habendi: ergo tollitur etiam homini reatus, & dignitas ad tale odium: ergo sicut est conditio, vt Deus possit rationabiliter odio habere, ita etiam, vt homo sit rationabiliter odio dignus. Tertiò. Quia solum motiuum odij est malitia peccati habitualis, red-
dens

dens hominem malum, infectum, & odio dignum: sed carentia dicta non est motiuum odij, sed conditio, se tenens ex parte motiui: ergo nec est constitutiua talis malitiæ, reddentis malum, infectum, & odio dignum.

369 Ad solutionem noto, Deum rationabiliter odio habere hominem propter peccatum præteritum, duo dicere, scilicet denominationem odio habentis hominem, & rationabilitatem odij; quæ rationabilitas ex parte Dei dicit ius, & titulum ad habendum odium, & ex parte hominis dignitatem subeundi illud; in tantum enim Deus rationabiliter habet odio hominem, in quantum habet ius, & titulum ad odium, & in homine est dignitas ad illud. Carentia autem condonationis, licet sit conditio requisita, vt Deus denominetur odio habens hominem, & hic odio habitus à Deo, est tamen pars, intrinsecè constituens rationabilitatem odij, nempe ius Dei, & dignitatem hominis ad illud: Ratio autem disparitatis desumenda est ex differentia, assignata cap. 2. punct. 3. nu. 326. inter conditionem, & partem intrinsecam; nam, sublata tali carentia, et si ponantur omnia alia, intrinsecè constituentia ius Dei, & dignitatem hominis ad odium, nec in Deo datur ius, nec in homine dignitas ad odium; at si, sublata tali carentia, daretur in Deo per impossibile actus odij, verè Deus denominaretur odio habens hominem, & hic odio habitus à Deo, & sic licet talis carentia sit conditio ad hanc denominationem, est pars intrinsecè constituens dictum ius Dei, & dignitatem hominis ad odium. Adde, carentiam condonationis esse etiam conditionem requisitam, vt Deus possit odio habere hominem, & hic possit odio haberi à Deo, si posse odio habere sumatur, non pro iure, & titulo Dei ad odium, sed pro denominatione extrinseca, desumpta ab actu odij, potente denominare Deum odio habentem; & posse hominem odio haberi, seu esse odibilem, sumatur, non pro dignitate hominis ad odium, sed pro denominatione extrinseca, desumpta ab actu odij, potente denominare hominem odio habitum: nam conditio requisita, vt odium denominet actu Deum, odio habentem, & hominem odio habitum, qualis est carentia condonationis, debet etiam esse conditio requisita, vt idem illud
odium

odium possit ita Deum, & hominem denominare.

370 Hoc notato, Respondeo, permittens, maiorem de peccato habituali quantum ad effectum secundarium iuxta dicta puncto præcedente concl. 1. & negans minorem, ut patet ex dictis. Ad probationem nego antecedens; nam cum Deum rationaliter odio habere peccatorem, duo dicat, scilicet denominationem odio habentis, & rationalitatem odij, carentia condonationis non est solum conditio requisita, ut Deus rationaliter odio habeat hominem, sed partim conditio requisita in ordine ad denominationem odio habentis, & partim constitutum essentiali in ordine ad rationalitatem odij, ut dictum est in notatione. Unde neganda est consequentia. Ad cuius primam probationem, concesso antecedente, nego primam consequentiam quoad utramque partem: nam carentia illa condonationis est saltem constitutum essentiali in ordine ad rationalitatem odij, licet sit conditio requisita in ordine ad posse odio habere, & posse odio haberi præcisè, si posse odio habere, & posse odio haberi, sumatur pro denominatione extrinseca ab actu odij, ut dictum est in notatione. Ex quo à fortiori neganda est secunda consequentia.

371 Ad secundam probationem, concesso antecedente, & prima consequentia, nego secundam quoad utramque partem: Carentia enim condonationis non est solum conditio, ut Deus possit rationaliter odio habere, cum sit constitutum essentiali saltem in ordine ad rationalitatem odij, & multo minus erit conditio, ut homo sit rationaliter odio dignus, iuxta superius dicta. Ad tertiam probationem nego maiorem: nam malitia peccati habitualis, reddens hominem malum, infectum, & odio dignum, non est solum motiuum odij, scilicet peccatum præteritum, sed aggregatum ex motiuo odij, & ex conditionibus requisitis ad illud, scilicet ex carentijs condonationis, & satisfactionis condignæ, quamvis carentiæ istæ malæ non sint, sed bonæ, ut dictum est in solutione sextæ objectionis. Unde tam peccatum præteritum, quam carentiæ dictæ reddunt hominem odio dignum, illud quidem ut motiuum odij, istæ verò ut conditiones requisitæ ad odium; solum ergo debet esse in se malum, quod reddit hominem odio dignum,

causam

tanquam motiuum odij, non verò quod reddit illum odio dignum, tanquam conditio requisita ad odium.

372 Obijcies nonò. Sicut Deus, quantum est ex se, habet ius conditionatum ad indignationem contra peccatorem, si peccatum sit positum, & dentur carentiæ condonationis, & satisfactionis, ita peccatum dat homini reatum conditionatum ad indignationem diuinam, si dentur carentiæ dictæ: sed positio peccati, & carentiæ dictæ non sunt partes, intrinsecè constituentes ius illud Dei, sed conditiones, quibus positis, ius, quod Deus habebat conditionatum, transit in absolutum: ergo neque erunt carentiæ dictæ partes, intrinsecè constituentes reatum illum peccati ad indignationem diuinam. Confirmatur. Voluntas conditionata, posita conditione, transit per se ipsam virtualiter in absolutam, id est, obligat ad actum, huncque inducit per se ipsam, ac si esset voluntas formalis absoluta, ita ut conditio non sit pars dictæ voluntatis, nec obligationis inductæ, sed pura conditio ad illam: sed vis peccati, inducens reatum, & obligationem subeundi indignationem diuinam, est conditionata, dependens scilicet tanquam à conditione à carentia condonationis: ergo, posita hac carentia, transibit per se ipsam virtualiter in absolutam, per se ipsam reddendo hominem reum, & obligatum ad subeundam indignationem diuinam, sicque talis carentia non erit pars dicti reatus, & obligationis, sed pura conditio.

373 Respondeo, omnes propositiones syllogismi obiecti esse falsas. Et imprimis in maiori falsum est, Deum ante positionem peccati, & non stantibus carentijs dictis, habere ius conditionatum ad indignationem, sub conditione positionis peccati, & carentiarum; solum enim habet ius absolutum extrinsecum ad indignationem, posito peccato, & carentijs dictis, & ex peccato adquisitum: Unde falsum est etiam, peccatum dare homini reatum conditionatum ad indignationem diuinam, si dentur carentiæ dictæ, sed dat solum reatum absolutum ad talem indignationem, positis dictis carentijs, & ex ipsis resultans. Et ratio est: Quia si, non stantibus dictis carentijs, esset in Deo ius conditionatum ad indignationem, & in homine reatus conditionatus ad ipsam ratione peccati præteriti, peccata per re-

V2

miss.

misionem, & iustificationem non manerent omnino extincta, & abolita, sed quasi mortificata, & sopita solum; sicut merita iusti per peccatum subsequens non manent omnino extincta, & abolita, sed mortificata, & sopita solum, quia manet semper in illis ius conditionatum ad pristinam sanctitatem, & gloriam obtinendam sub conditione positionis poenitentiae, ut arguebā disp. 7. de Virtute Poenitentiae cap. 2. sed hoc est falsum, & cōtra omnes Theologos: ergo &c. Deinde in minori falsum est, positionem peccati, & carentias dictas non esse partes, constituentes ius, quod habet Deus, adquisitum post peccatum commissum, ad odium, & indignationem, ut dictum est. Vnde consequenter etiam apparet falsitas consequentis.

374 Ad confirmationem falsa est maior. Tum quia, ut fuse ostendi disp. 4. de Prædestinatione cap. 3. dub. 4. voluntas conditionata, posita conditione, non transit in absolutam virtualiter, per se ipsam inducendo actum volitum, sed inducendo aliam voluntatem absolutam talis actus. Tum quia nec per se ipsam solum obligat voluntas conditionata, posita conditione, imo talis obligatio constituitur intrinsece ex voluntate conditionata, & conditione simul, quia, non stante conditione, licet sit voluntas conditionata, non datur obligatio; est itaque conditio, non respectu obligationis, sed respectu actus voliti, & voluntatis absolutæ, quam, posita conditione, inducit voluntas conditionata. Deinde falsa est etiam minor: nam, ut dictum est, peccatum non inducit conditionatè reatum, & obligationem subeundi indignationem diuinam, sed absolutè solum, positis iam dictis carentijs. Vnde neganda est consequentia.

375 Obijcies decimò. Si per impossibile non esset Deus, & nihilominus committeretur peccatum ex cognitione erronea malitiæ, & inhonestatis eius, iuxta dicta in materia de Peccatis disp. 2. cap. 5. tale peccatum, physicè iam præteritum, habitualiter existeret: sed de tali peccato, ut habitualiter existente, non posset verificari doctrina præcedentis puncti: ergo falsa est ea doctrina. Minor probatur. Nam in primis tale peccatum, ut habitualiter existens, non posset adhuc secundario esse dignum displicentia, & indignatione diuina contra peccatorem.

torum, cum sit impossibilis talis displicentia, & indignatio, imo & ius diuinum ad illam, quo non stante, non potest esse dignitas ad eam. Deinde habitualis existentia talis peccati non posset consistere in carentia condonationis diuinæ, cum hæc tunc esset omnino impossibilis.

376 Respondeo, negans minorem. Ad probationem nego antecedens quoad utramque partem. Nam in primis, licet ratione suppositionis factæ esset tunc impossibilis displicentia, & indignatio diuina contra peccatorem, imo & ius diuinum ad illam, tamen peccatum illud, ut habitualiter existens, esset dignum, quantum est ex se, displicentia, & indignatione diuina, quam ratione suæ malitiæ, & dignitatis necessario excitaret, si esset Deus; sicut, iuxta probabilem multorum doctrinam, licet præmium gloriæ esset impossibile, adhuc tamen meritum iusti esset dignum, quantum est ex se, præmiari illo. Et quamuis, non stante iure diuino defacto ad displicentiam, & indignationem, non possit esse dignitas peccati ad illam, hoc tamen ideo est, quia defacto ius illud diuinum tollitur per condonationem Dei, qua tollitur vna ex carentijs, constituentibus talem dignitatem: quod non ita esset in casu illo impossibili supposito, in quo essent nihilominus carentiæ, constituentibus talem dignitatem, & ideo in illo manere posset dignitas illa, non stante iure diuino dicto. Deinde dico, in casu illo impossibili posse habitualement existentiam peccati consistere in carentia condonationis diuinæ, licet hæc esset impossibilis; sicut defacto consistit in carentia satisfactionis condignæ, licet hæc ponatur impossibilis: imo multo magis existeret tunc habitualiter peccatum, eo quod tunc nec daretur, nec dari posset condonatio diuina, tollens habitualement eius existentiam, ob quod tunc existeret irremissibiliter peccatum habituale.

377 Obijcies vndecimò. Culpa habitualis ut sic includit existentiam instantis: ergo quando culpa habitualis existit per plura instantia, variato instanti, variabitur eius partiale constitutum: ergo culpa habitualis in instanti sequente, erit diuersa à culpa habituali in instanti antecedente. Respondeo, negans secundam consequentiam. Nam licet, variato instanti, varietur partiale constitutum culpæ habitualis, sicque dici

posset quasi physicè diuersa culpa habitualis, tamen moralitèr in prudentum æstimatione reputatur semper eadem culpa habitualis, præsertim quia quod dicit in recto culpa habitualis, est semper idem, nempe culpa præterita: Sicut etiam, variato instanti, variatur carentia condonationis diuinæ, constitutiua culpæ habitualis vt sic, nam in instanti antecedenti constituitur culpa habitualis per carentiam condonationis diuinæ pro tali instanti antecedente, & in instanti sequente constituitur per aliam carentiam condonationis diuinæ pro tali instanti sequente, quæ distincta est, & separabilis ab illa, quia si Deus condonasset peccatum pro instanti sequente, esset adhuc tunc prior illa carentia condonationis diuinæ, & non posterior carentia; cum tamen eadem esset culpa habitualis in utroque instanti. Nec est hoc singulare in culpa habituali; nam etiam animal constituitur per materiam, formam, & vnionem, & quamuis decursu temporis varietur saltem materia per nutritionem, tamen semper est idem animal in existimatione hominum.

378 **Obijcies vltimò.** Si peccatum habituale consisteret in peccato præterito, existentia delinquentis, existentia instantis, pro quo negat condonationem carentia condonationis, & carentiis satisfactionis condignæ sufficientis, & condonationis diuinæ, non posset assignari obiectum diuinæ voluntatis, condonantis extrinsecæ peccatum quam possibilem esse suppono ex materia de Iustificatione: sed hoc est falsum: ergo &c. Maior probatur. Talis voluntas condonans vellet tollere peccatum habituale, huiusque ablationem haberet pro obiecto: vnde si peccatum habituale consistat in peccato præterito, existentia delinquentis, existentia instantis dicti, & carentiis satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ, talis voluntas condonans, aut vellet tollere peccatum præteritum, aut existentiam delinquentis, aut existentiam dicti instantis, aut carentiam satisfactionis condignæ, aut carentiam condonationis diuinæ: sed nihil ex his vult tollere: ergo non potest assignari obiectum talis voluntatis condonantis. Minor probatur. Non primum: Quia impossibile est, non fuisse peccatum præteritum. Non secundum: Quia peccatum habituale tolli-

tollitur ab homine existente, manente existentia eius. Non tertium: Nam existentia dicti instantis non tollitur per condonationem, sed ipsamet per se cito desinit esse, adueniente alio instanti. Non quartum: Nam carentia satisfactionis condignæ non potest tolli, nisi per satisfactionem condignam exhibitam: sed satisfactio condigna pro peccato est peccatori per se impossibilis: ergo impossibile est, tolli talem carentiam; atque adeo voluntas diuina condonans non vult tollere talem carentiam. Non denique quintum: Nam, voluntatem condonantem velle tollere carentiam condonationis diuinæ, esset, velle tollere carentiam sui ipsius; quod idem esset, ac velle ponere se ipsam: ergo talis voluntas condonans haberet se ipsam pro obiecto voluto, & imperato, quod est absurdum.

379 Hæc obiectio continet grauissimum dubium, à iunioribus Theologis in Scholas inductum, circa obiectum diuinæ voluntatis, extrinsecè condonantis peccatum, quodnam scilicet sit obiectum eius: quod dubium pro sua grauitate, & dignitate postulat, vt ex professo pertractetur, & decidatur capite sequente.

380

CAPVT IV.

Quid sit obiectum diuinæ voluntatis, extrinsecè condonantis peccatum.

381 **Q**uamuis hæc difficultas præcipuè procedat de voluntate diuina extrinsecè condonante peccatum, tamen non solum habet locum in sententia, asserente, posse à Deo extrinsecè condonari peccatum sine infusione gratiæ sanctificantis, sed etiam in sententia, existimante, condonationem diuinam peccati debere fieri media infusione gratiæ sanctificantis, si peccatum habituale non constituatur in priuatione gratiæ sanctificantis. Nam expulsio, & destructio peccati habitualis non est ipsa infusio gratiæ sanctificantis, sed quid distinctum ab ipsa, licet essentialitèr eam consequens; vnde vt Deus re-

mittat peccatum habituale, habere debet non solum voluntatem infundendi gratiam sanctificantem, sed voluntatem etiam expulsiuam, & destructiuam peccati, vel directè, vel indirectè, imo gratia infusa non aliter expellit peccatum, nisi exigendo, quod Deus habeat voluntatem destructiuam eius: ergo assignandum est huic voluntati diuinæ, vt inductiuæ expulsionis, & destructionis peccati, obiectum distinctum ab infusione gratiæ sanctificantis.

383

PUNCTVM I.

Varij discurrendi modi minus veri.

383 **P**rima opinio ait, voluntatem diuinam, condonantem peccatum habituale, habere duplex obiectum, vnum directè volitum, & aliud volitum indirectè: Nam talis voluntas vult directè, quod peccatum præteritum non denominet iam hominem peccatorem; indirectè verò vult, ponere se ipsam tanquam necessariam, vt peccatum præteritum de cætero non denominet hominem peccatorem. Nec esse inconueniens, quod voluntas diuina condonans habeat se ipsam pro obiecto partiali, indirectè volito, vt patet in amore necessario Dei, qui, amando perfectiones diuinas, partialitèr amat se ipsum. Ita nonnulli Recētiore apud Cardinalem Lugo de Pœnitentiâ disp. 7. sect. 9. nu. 131.

384 Censeo primò. Falla est hæc opinio. Probatur primò. Deus per dictam voluntatem volens directè, quod peccatum præteritum non denominet hominem peccatorem, vel vult solum, quod homo non habeat nomen peccatoris, etiamsi sit in re peccator, & maculatus in se, vel vult, quod homo non habeat in re esse peccatoris, & maculati. Non primum: alias Deus per voluntatem condonantem non tam vellet tollere peccatum, quam nomen peccati, sicque illud tegere, & occultare, quod sapit hæresim. Si secundum: ergo vult Deus directè, tollere aliquid, pertinens ad esse peccatoris, & maculati: sed non

non vult tollere præteritionem peccati, existentiam delinquentis, aut instantis sæpè dicti, aut negationem satisfactionis condignæ, vt rectè probat obiectio: ergo vult solum directè tollere negationem condonationis. Patet consequentia. Nam esse peccatoris, & maculati, præter illa quatuor, solum dicit negationem condonationis: ergo si Deus volens directè tollere esse peccatoris, & maculati, non vult tollere aliquid ex illis quatuor, solum vult directè tollere negationem condonationis: ergo vult directè, esse condonationem; velle enim non esse negationem condonationis, est velle, esse condonationem, sicut velle, non esse tenebras, est velle, esse lucem.

385 Nec refert, negationem condonationis non includi in denominatione peccatoris, sed esse solum conditionem requisitam ad illam. Hoc enim falsum esse, patet iam ex cap. 2. punct. 3. conclus. 9. à nu. 324. vsque ad 329. & cap. 3. punct. 2. à nu. 369. vsque ad 374. Et quamuis verum esset, adhuc voluntas condonans vellet directè se ipsam: Nam hæc voluntas vult directè tollere denominationem peccatoris: sed hæc denominatio non potest directè tolli à Deo, nisi tollendo negationem condonationis, seu, quod idem est, ponendo ipsam condonationem: ergo hæc voluntas condonans, vult directè tollere negationem condonationis, seu, quod idem est, ponere ipsam condonationem.

386 Probatur secundò. Voluntas condonans, volens se ipsam indirectè, aut vellet se ipsam affectu gaudij, aut prosecutionis efficacis, quasi imperantis, & volentis efficacitèr, esse talem condonationem. Non primum. Tum quia si esset affectus gaudij sui ipsius vt existentis, Deus per talem affectum non tam vellet condonare, quam gauderet, se condonasse, quod non est verè condonare. Tum quia si esset gaudium sui ipsius vt existentis, deberet præsupponere ex parte principij cognitionem sui ipsius vt existentis, sicut quodlibet aliud gaudium dirigitur à cognitione præsupposita sui obiecti vt existentis: sed non præsupponit ex parte principij cognitionem sui ipsius vt existentis: ergo talis voluntas non est gaudium sui ipsius vt existentis. Minor probatur. Si voluntas condonans præsupponeret ex parte principij cognitionem sui ipsius vt existentis,

ris, non esset voluntas libera: sed hoc est absurdum: ergo non ita præsupponit illam. Maior probatur. Voluntas libera habere debet omnia principia indifferentia, & compossibilia cum sui carentia: sed cognitio ipsius voluntatis condonantis ut existentis, non esset principium indifferens, sed determinatum ad talem voluntatem, & omnino incompossibile cum ipsius carentia: ergo si voluntas condonans præsupponeret ex parte principij cognitionem sui ipsius ut existentis, non esset voluntas libera. Non secundum. Nam voluntas efficax debet habere aliquem influxum, vel quasi influxum in obiectum, efficaciter volitum, quem influxum nullo modo potest voluntas condonans habere in se ipsam.

387 Ex quo intelligitur iam discrimen inter voluntatem condonantem, & illam voluntatem, qua Deus amat necessario suas perfectiones. Nam voluntas hæc necessaria non amat perfectiones omnes diuinas affectu prosecutionis efficacis, sed affectu gaudij, quo potest se ipsam amare: at voluntas condonans deberet tendere in se ipsam affectu prosecutionis efficacis, quo affectu non potest tendere in se ipsam, ut ostensum est.

388 Secunda opinio dicit, voluntatem, condonantem peccatum, esse vel volitionem carentiæ displicentiæ, & indignationis contra peccatorem, qua Deus velit non amplius displicere, & indignari contra peccatorem ob peccatum præteritum, vel volitionem talis displicentiæ, & indignationis: Nam eo ipso, quod nolit Deus amplius displicere, & indignari contra peccatorem, censetur peccatum condonare; quia sic reddit sibi illicitam, & impossibilem indignationem, atque adeo cedit iuri, quod habebat ad illam; nec peccator potest amplius censeri dignus displicentiæ, & indignatione diuina ob peccatum præteritum ut pote illicita, & impossibili. Ita Ripalda lib. 6. disp. ult. sect. 23. à nu. 329. & quidam Recentiores apud Lugocitatum nu. 138.

389 Cetero secundò. Falsa est hæc opinio, sic præcisè proposita. Probatur. Condonatio peccati tollit ab homine reatum, & debitum subeundi indignationem diuinam, & à Deo ius habendi illam; sicut inter homines condonatio debiti tollit à debi-

debitore obligationem soluendi pecuniam debitam, & à creditore ius exigendi illam: sed voluntas præcisè non indignandi ulterius contra peccatorem, non tolleretur ab homine debitum indignationis diuinæ, nec Deo ius ad illam, licet tolleretur actualem indignationem: ergo hæc voluntas non esset condonatio peccati. Minor probatur. Nam aliud est, nolle actum sibi debitum, ad quem ius habet, & aliud condonare, & tollere debitum illius, & cedere iuri ad ipsum exigendum; imo potest quis nolle actum sibi debitum, ad quem ius habet, quin velit eius debitum condonare, & tollere, aut cedere iuri ad illum: sic potest quis nolle exigere, aut accipere pecuniam à debitore, nolens tamen ipsi tollere debitum, & obligationem soluendi illam; item contrahentes matrimonium cum voto, aut animo seruandi castitatem, volunt nunquam exigere, aut exequi copulam, licet simul velint esse obligati ad illam, & talem obligationem nunquam dissoluere; similiter superior potest habere animum nunquam exequendi poenam, sua lege statutam, nolens tamen, esse liberum subditum ab obligatione subeundi illam, nec cedere iuri suo puniendi illum: ergo posset etiam Deus nolle vnquam indignari contra peccatorem, quia velit tollere à peccatore debitum suæ indignationis, & à se ipso ius ad illam: ergo voluntas præcisè non indignandi ulterius contra peccatorem, non tolleretur ab homine debitum indignationis diuinæ, nec à Deo ius ad illam.

390 Et quamuis per voluntatem diuinam non indignandi ulterius contra peccatorem, fiat illicita talis indignatio diuina, non ideo censetur Deus per illam voluntatem cedere iuri, quod habet ad illam, nec debitum eius tollere, & remittere, ut declarant varia exempla: Nam primò, licet per votum castitatis, emissum à coniugibus, fiat illicita petitio copulæ, tamen coniuges ex matrimonio contracto adhuc retinent ius ad copulam, & debitum illius, quod non tollitur per votum emissum: Secundò, si creditor voueret, non petere à debitore pecuniam debitam, nec illam accipere, si offeratur, licet tali voto fieret illicita pecuniæ petitio, & acceptio, non ideo censetur debitum remittere, nec iuri suo cedere; unde si postea pecuniam debitam peteret, aut acciperet, non peccaret contra

institiam, sed contra religionem tantum ratione voti: & idem est in alijs exemplis passim occurrentibus. Ad condonationem igitur non sufficit, fieri illicitam utcumque executionem iuris, sed debet fieri illicita in eodem illo genere, in quo erat antea licita ratione iuris, scilicet ex eo, quod deficiat tale ius: in casu autem, quo Deus nollet ultra indignari, fieret illicita talis indignatio ratione huius abolitionis, non tamen fieret illicita ob defectum tituli, & iuris ad illam.

391 Deinde nec censetur Deus tali voluntate non indignandi remittere culpæ debitum ad indignationem, aut cedere iuri ad illam, ex eo quod per illam voluntatem facta sit impossibilis indignatio. Nam licet indignatio sit tunc impossibilis ex suppositione talis voluntatis non indignandi ulterius, tamen ex se est possibilis absolute, & simpliciter, quæ possibilitas sufficit sine dubio, ut Deus retineat ius ad indignationem, & in peccatore sit debitum eius. Quod hoc exemplo declaro; si Christus vouisset, non petere pecuniam sibi ab alio debitam, petitio talis pecuniæ esset Christo impossibilis ratione impeccabilitatis, nec tamen amisisset ius petendi pecuniam, nec debitor esset liber ab obligatione soluendi illam, quia talis petitio erat solum impossibilis ex suppositione voti, non verò absolute, & simpliciter. Et ex his constat solutio rationis oppositæ.

392 Dixi in conclusione, falsam esse eam opinionem, sic præcisè propositam: Nam si ea aliter proponatur, & declaretur, vera esse poterit, iuxta inferius dicenda punct. sequente.

393 Tertia opinio docet, condonationem diuinam esse affectum velleitatis efficacem, absolute existentem in Deo, quo Deus efficaciter vult, quantum est ex se, quod peccatum non esset commissum, aut saltem quod non esset amplius motiuum, titulus, & fundamentum ad rationabilem displicentiam, & indignationem diuinam, sicque quod restituatur peccator ad statum antiquæ indemnitate; ad eum modum, quo peccator per contritionem vult efficaciter, quantum est ex se, quod non esset commissum peccatum. Hic autem affectus velleitatis dicitur efficax, non quidem in effectu respectu sui obiecti, quia eius obiectum est absolute impossibile, scilicet peccatum non esse

esse commissum, aut non esse motiuum, titulum, & fundamentum ad rationabilem displicentiam, & indignationem diuinam, sed in affectu solum, quia talis est affectus ex se, quod induceret à parte rei obiectum volitum, nisi hoc esset impossibile; hoc enim modo dici solet etiam efficacæ contritio respectu sui obiecti, scilicet in affectu tantum. Et quamuis talis affectus non sit efficax in effectu respectu sui obiecti voliti, est tamen in effectu efficax in ordine ad alia, quæ non sunt obiectum eius volitum, scilicet in ordine ad tollendum Deo ius ad indignationem, & eiusdem debitum peccatori, & moralem peccati perseverantiam; quæ omnia præstat dictus affectus in genere causæ formalis, tollendo formaliter negationem condonationis, eorum constitutiuam: sicut licet contritio non sit efficax in effectu respectu sui obiecti, est tamen in effectu efficax in ordine ad vitanda peccata futura. Ita paucis mutatis, videntur sentire Lugo citatus à nu. 148. & Ripalda citatus à nu. 319. vsque ad 328.

394 Censeo tertio. Falsa est hæc opinio, sic proposita. Probatum primò. Affectus hic efficax velleitatis potest optimè componi cum rationabili displicentia, & indignatione diuina, & iure ad illam: ergo & cum permanentia habituali peccati: ergo talis affectus non est condonatio peccati; hæc enim est omnino impossibilis cum rationabili displicentia, & indignatione diuina, atque adeo & cum permanentia habituali peccati. Antecedens probatur. Nam quando Deus dicit, *vellem, quantum est ex me, quod peccatum non esset commissum, aut saltem quod non esset amplius motiuum, titulus, & fundamentum ad rationabilem displicentiam, & indignationem meam*, addere potest, *sed quoniam peccatum est iam commissum, & sufficiens motiuum, & fundamentum ad displicentiam, & indignationem meam, volo idcirco displicere, & indignari contra peccatorem propter peccatum commissum, nec cedere volo iuri ad habendam talem displicentiam, & indignationem*; quæ enim repugnantia in his actibus cogitari poterit? ergo affectus dictus potest optimè componi cum rationabili displicentia, & indignatione diuina, & iure ad illam.

395 Probatum secundo. Homo offensus non condonat offensam per velleitatem efficacem, qua, quantum est ex se, vult, quod

quod offensa præterita non esset motiuum, & fundamentum ad suam rationabilem indignationem contra offendentem: ergo nec Deus. Antecedens patet. Potest homo offensus in instanti, in quo condonat offensam, habere hunc actum, *Gaudere de eo, quod offensa præterita sit motiuum, & fundamentum ad rationabilem indignationem meam, ut meum generosum animum ostentem, condonando offensam, & cedendo iuri ad talem indignationem;* nulla enim assignari potest repugnantia in hoc actu in illo instanti: si autem homo offensus condonaret offensam per velleitatem efficacem dictam, non posset condonatio cum tali gaudio coniungi in eodem instanti: ergo non condonat offensam per velleitatem efficacem dictam.

396 Probatur tertiò. Peccatum præteritum constituitur fundamentum indignationis diuinæ per negationem condonationis; nam, stante hac negatione, est fundamentum indignationis diuinæ, & ea sublata, non est iam fundamentum eius: ergo si condonatio diuina vult, quod peccatum præteritum non esset fundamentum indignationis diuinæ, vult tollere negationem condonationis, seu, quod idem est, ponere ipsam condonationem; atque adeo vult ponere se ipsam.

397 Dices, peccatum præteritum per negationem condonationis constitui fundamentum proximum, & formale indignationis diuinæ, absque illa tamen esse fundamentum primum, & radicale ipsius, quatenus ex ipso peccato actuali præterito secundum se mouetur Deus ad indignationem, & ad non condonandum: Deum autem per dictam velleitatem efficacem solum velle, quod peccatum præteritum non esset fundamentum radicale indignationis, si id esset possibile, & sic non velle ipsam condonationem. Contra. Quia Deum per dictam velleitatem velle, quod peccatum præteritum non esset fundamentum radicale indignationis, vel esset velle, quod peccatum præteritum non posset mouere ad negationem condonationis, ut inuere videtur solutio, vel quod non posset coniungi cum tali negatione condonationis ad fundandam proximè indignationem: sed neutrum potest velle, nisi volendo aliquo modo ipsam condonationem: ergo &c. Minor probatur. Et imprimis Deus per dictam velleitatem volens, quod peccatum

NON

non posset mouere ad negationem condonationis, vellet eo ipso, quod peccatum non posset impedire condonationem: ergo vellet eo ipso ipsam condonationem, vel saltem quod posset illud condonari. Deinde etiam Deus volens per dictam velleitatem, quod peccatum non posset coniungi cum negatione condonationis ad fundandam proximè indignationem, vellet eo ipso, quod illud posset coniungi cum condonatione: ergo vellet eo ipso ipsam condonationem, aut saltem possibilitatem eius.

398 Quarta opinio asserit, condonationem diuinam peccati esse, vel voluntatem Dei, misericorditèr nolentem pro peccato satisfactionem vllam etiam condignam, & debitum peccati omnino extinguentem, quamque oblatam teneretur Deus acceptare, vel voluntatem Dei, volentem carentiam talis satisfactionis. Et quamuis peccatori sit impossibilis huiusmodi satisfactio, adhuc voluntas diuina condonans habet illam pro obiecto nolito, nolendo scilicet exhiberi talem satisfactionem, quamuis posset exhiberi. Ita quidam Recentiores.

399 Censeo quartò. Falsa est hæc opinio. Probatur primò. Nolito satisfactiois solum potest ad summum auferre directè obligationem, & debitum satisfaciendi: sed ablatio obligationis, & debiti satisfaciendi, non est ablatio, & condonatio culpæ habitualis, neque ipsam infert essentialitèr: ergo nolito satisfactiois non est condonatio culpæ habitualis. Minor patet ex cap. 2. punct. 3. in impugnatione octauæ opinionis à nu. 315. vsque ad 323. vbi ostensum est, posse Deum tollere debitum, & obligationem satisfaciendi, manente culpa habituali, casu quo cedens iuri ad exigendam satisfactionem, nollet cedere iuri ad displicentiam, & auersionem à peccatore. Videantur ibi fusè dicta.

400 Probatur secundò. Nolito satisfactiois præcisè adhuc non auferret ab homine debitum satisfaciendi, nec à Deo ius exigendi satisfactionem, sed impediret solum Deo actualem exigentiam satisfactiois, ad quam ius habet: ergo talis nolito non esset ablatio, & condonatio peccati. Antecedens probatur ex dictis supra contra secundam opinionem, præsertim nu. 389. Nam aliud est, nolle exigere satisfactionem, sibi de-

bi.

bitam, ad quam ius habet, & aliud auferre debitum illius, & cedere iuri exigendi ipsam; imo potest quis nolle exigere satisfactionem sibi debitam, ad quam ius habet, quin velit eius debitum condonare, & auferre, aut cedere iuri ad illam exigendam. Quod declarari potest exemplis superius positis: nam potest creditor nolle exigere, aut accipere pecuniam à debitorre, nolens tamen ipsi debitum soluendi condonare, aut cedere iuri exigendi, & acceptandi illam; item potest quis nolle petere copulam à suo coniuge, & ad id voto se obligare, nolens tamen renunciare iuri petendi, aut coniugem ab obligatione soluendi liberare; Princeps etiam potest nolle infligere statutam pœnam subdito delinquenti, quin velit ipsum liberare à debito tubuendi illam, aut cedere iuri ad eam infligendam: ergo posset etiam Deus nolle vnquam exigere satisfactionem à peccatore, quin velit condonare, & tollere ab ipso debitum satisfactionis, & à se ius ad illam: ergo nolitio præcisè satisfactionis non auferret à peccatore debitum satisfaciendi, nec Deo ius exigendi satisfactionem, licet impediret Deo actua-lem exigentiam eius.

401. Confirmo ex doctrina ipsa aduersariorum. Nam, vt ipsi nobiscum admittunt, nolle indignari Deum contra peccatorem, non est condonare, & tollere à peccatore debitum indignationis, nec à se ius ad illam, sed suspendere solum executionem talis iuris; & propterea ipsi nobiscum asserunt, condonationem diuinam non esse nolitioem indignationis præcisè: item nolle Deum infligere pœnam peccati debitam, non est condonare, & tollere ab homine debitum pœnæ, nec à Deo ius infligendi illam, sed suspendere solum executionem talis iuris: ergo similiter in nostro casu nolle Deum exigere satisfactionem sibi debitam, non erit condonare, & tollere à peccatore debitum satisfactionis, nec à se ius ad illam, sed suspendere solum executionem talis iuris. Et ex his facile solui possunt aduersariorum argumenta.

402. Quinta opinio tenet, condonationem diuinam culpæ habitualis esse, vel nolitioem satisfactionis debitæ, vel volitioem carentiæ satisfactionis, respicientem obiectum, non vt-cunque, sed speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter ex-

tin-

tinguitur debitum, & obligatio satisfaciendi pro culpa, & consequenter culpa ipsa habitualis. Ita Quiedo in 1. 2. tract. 8. de Iustificatione controu. 4. punct. 5. §. 4. qui in hoc discurret consequenter ad sua principia de constitutio culpæ habitualis, quam ipse constituerat ex culpa præterita, & obligatione satisfaciendi Deo, vt vidimus cap. 1. nu. 266. & sic, ablata hac obligatione, censet consequenter, auferri culpam habitua-lem. Et iuxta hanc doctrinam facile declarat Quiedo, in quo consistant, quodque obiectum habeant, votum, lex, promissio, & contractus, formaliter obligantes; item abrogatio, derogatio, & dispensatio legis, & relaxatio voti, vt videbimus in declaratione nostræ opinionis punct. sequenti, in quo declarando est eadem prorsus difficultas, ac in declaranda condonatione diuina, eiusque obiecto, vt notarunt Cardinalis Lugo de Incarnatione disp. 3. sect. 5. & Quiedo citatus.

403. Censeo quintò. Falsa est hæc opinio. Probat. Licet dicta nolitio, aut volitio Dei formaliter tollat obligationem satisfaciendi, non ideo tollit culpam habitua-lem: ergo non erit condonatio culpæ habitualis, sed solius debiti, & obligationis satisfaciendi. Antecedens probatur. Obligatio satisfaciendi non constituit intrinsecè culpam habitua-lem, neque est essentialiter requisita ad illam, in o potest Deus tollere obligationem satisfaciendi, manente culpa habituali, vt constat ex cap. 2. punct. 3. in impugnat. 8. opinionis: ergo licet dicta nolitio, aut volitio Dei formaliter tollat obligationem satisfaciendi, non ideo tollit culpam habitua-lem.

404. Confirmo. Affectus Dei, nolentis infligere pœnam pro culpa commissa, aut volentis carentiam inflictionis eius, ex proprio modo tendendi in obiectum formaliter extinguens debitum pœnæ, non esset condonatio culpæ habitualis, sed solius debiti pœnæ, illam consequentis separabiliter: ergo etiam affectus Dei, nolentis satisfactionem, aut volentis carentiam satisfactionis, ex suo proprio modo tendendi in obiectum formaliter extinguens debitum satisfaciendi, non erit condonatio culpæ habitualis, sed solius debiti satisfaciendi, illam separabiliter consequentis; non enim est maior ratio vnius, quam alterius.

Y

PVN.

*Deciditur dubium, & detegitur obiectio-
nis infirmitas.*

406 **Q**uamvis superiori puncto quintam opinionem Ouiedo impugnaverim, ex eius tamen doctrina decidendum est dubium in presenti, ex cuius decisione facile inferri poterit ad alias materias, quid sit obiectum voti, legis, promissionis, & contractus, item quid sit obiectum abrogationis, derogationis, & dispensationis legis, & relaxationis voti: in quo declarando non parum sudant Doctores in varijs materijs.

407 Censeo igitur, Obiectum condonationis diuinæ est, tum displicentia, & indignatio diuina contra peccatorem ob culpam commissam, tum carentia talis displicentiae, & indignationis, iuxta duplicem modum condonationis culpæ in Deo existentis, quarum vna fit per affectum fugæ, habetque pro obiecto nolito displicentiam, & indignationem diuinam, & alia per affectum prosecutionis, habetque pro obiecto voluto carentiam talis displicentiae, & indignationis. Quod manifestum erit, declarato hoc duplici modo condonationis diuinæ. Condonatio itaque, facta per affectum fugæ, est affectus diuinus, nolens, Deum ultra indignari contra peccatorem ob culpam commissam speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter deletur in homine culpa habitualis, & debitum indignationis diuinæ, & in Deo ius ad illam: condonatio etiam, facta per affectum prosecutionis, est affectus diuinus, volens carentiam talis indignationis diuinæ speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter deletur in homine culpa habitualis, & debitum indignationis diuinæ, & in Deo ius ad illam. Ita Arriaga in 1.2. to. 2. disp. 2. sect. 6. præsertim nu. 38. 39. & 40.

408 Si verò inquiras, in quo differant huiusmodi duo affectus condonatiui culpæ ab alijs duobus affectibus non condonatiuis, attingentibus eadem omnino obiecta, quorum vnus per
me

modum fugæ nolit indignationem diuinam, & alius per modum prosecutionis velit carentiam talis indignationis, quos, superiori puncto in impugnatione secundæ opinionis à num. 389. vsque ad 391. diximus, non esse condonationes culpæ habitualis, nec tollere ab homine debitum indignationis diuinæ, nec à Deo ius ad illam, sed impedire solum, & suspendere actualem indignationem. Respondeo, non differre ab illis ex parte obiecti, sed ex parte modi attingendi illud: habent enim hi affectus condonatiui specialem quendam modum attingendi dicta obiecta, ratione cuius tollunt formaliter ab homine debitam indignationis diuinæ, tam formale, quam radicale, identificatum cum ipsa culpa habituali, & à Deo ius ad illam; quem modum attingendi non habent illi alij affectus non condonatiui.

409 Quod si vltius inquiras, quid sit hic specialis modus attingendi obiectum in affectibus condonatiuis, per quem hi differunt ab affectibus non condonatiuis, attingentibus idem obiectum. Respondeo, hoc esse fere inexplicabile in hac vita, in qua non habemus intuitionem actuum interiorum etiam nostrorum. Ceterum affectus condonatiuos habere specialem aliquem modum nolendi indignationem diuinam, vel volendi carentiam eius, ratione cuius sunt condonatiui, & distinguuntur à non condonatiuis, deducitur aliquo modo ex condonatione humana, in qua id quasi dignoscimus experientia, adiuncto discursu: nam imprimis quando offensam ex corde condonamus, experimur in nobis animum deponendi omnem indignationem, displicentiam, & quærelam contra offensorem; & nunquam habendi illam, cum proposito ita nos gerendi in posterum cum illo, ac si nullam nobis offensam intulisset. Deinde experimur in nobis diuersum affectum erga offensorem, quando, condonantes offensam, nolumus ultra habere vllam indignationem, displicentiam, & quærelam contra illum, ac quando nolumus illam habere præcisè sine condonatione offensæ, & cum voluntate retinendi ius ad habendam illam: vnde prius affectus, condonatiuus offensæ, non dicit præcisè nolitionem talis indignationis, aut volitionem carentiæ eius, cum hoc reperiat etiam in altero affectu non con-

donatiuo; & sic per discursum inferimus, primum illum affectum condonatiuum, præter nolitionem talis indignationis, aut volitionem carentiæ eius, dicere specialem aliquem modum nolendi, aut volendi, per quem constituitur in esse condonatiui, & formaliter tollentis ab offensore totum debitum indignationis, & ab offenso ius ad habendam illam; in quo distinguitur ab altero affectu non condonatiuo.

410 Nec quærenda est maior huius rei explicatio: hoc enim non est singulare in his affectibus, cum idem passim reperiatur in pluribus alijs actibus intellectus, & voluntatis, qui maioris explanationis capaces non sunt, ut patet in apprehensione, & iudicio eiusdem omnino veritatis, in desiderio efficaci, & inefficaci eiusdem boni, in desiderio, & gaudio eiusdem possessionis boni, qui non differunt inter se ex parte obiecti, sed ex diuerso modo attingendi idem obiectum; quid autem sit hic diuersus modo attingendi obiectum, distinguens dictos actus inter se, non potest exactè explicari in hac vita, sed experientia solum, & à posteriori dignoscimus, eos esse in nobis diuersos: sæpius enim contingit, non posse declarari differentias earum rerum, quas facilius experimur, esse inter se diuersas; sic oculis videmus differentiam albedinis, & nigredinis, olfactu percipimus diuersum odorem in rosa, & in ruta, gustu distinguimus dulcedinem, & amaritudinem, & tactu sentimus diuersitatem caloris, & frigoris; quorum tamen differentias declarare non possumus.

411 Hæc sententia, eiusque veritas constat. Primò, ex impugnatione aliarum opinionum, ex qua manifestè deducitur, in nullo alio posse consistere condonationem diuinam, nec posse assignari aliud obiectum eius. Secundò, ex ipsa sententiæ declaratione, & experientia condonationis humanæ, superius posita. Tertio. Quia nulla potest assignari repugnantia in eo, quod detur aliquis affectus, nolens indignationem contra offensorem, aut volens carentiam eius, qui ex suo speciali modo nolendi indignationem, aut volendi carentiam eius, tollat formaliter ab offensore totum debitum indignationis, formale, & radicale, & ab offenso ius ad illam, sicque sit formalis condonatio offensa: cur ergo in eiusmodi affectu non constitue-

tur

tur defacto cōdonatio diuina culpæ habitualis. Quarto. Quia in hac sententia rectè intelligitur, condonationem diuinam non habere se ipsam pro obiecto, sed solam indignationem diuinam, & carentiam eius; & aliundè contra ipsam nulla potest fieri obiectio alicuius momenti: ergo &c.

412 Hinc ad obiectionem, propositam cap. 3. punct. 2. nu. 378. facile respondetur, negando maiorem, & ad probationem, negando etiam maiorem: nam voluntas diuina condonans peccatum habituale, non vellet destruere tale peccatum, nec haberet pro obiecto ablationem ipsius, alias vellet ponere se ipsam, ut conuincit obiectione; sed vellet solum tollere indignationem diuinam, speciali illo modo supradicto, quæ non est constitutiuam habitualis peccati: ex quo etiam fit, condonationem diuinam non posse esse voluntatem, qua Deus nolit habere ius ad talem indignationem, aut velit carentiam talis iuris: nam tale ius constituitur etiam intrinsecè ex carentia condonationis diuinæ, & sic affectus Dei, volens tollere tale ius, vellet sine dubio tollere carentiam condonationis, atque adeo vellet ponere condonationem ipsam; vnde si dictus affectus esset condonatio, vellet ponere se ipsum, quod est absurdum.

413 Et iuxta hanc doctrinam rectè intelligitur primò, quomodo per affectum condonatiuum supra explicatum tollatur, & destruat formaliter peccatum habituale; quia scilicet per positionem dicti affectus condonatiui tollitur formaliter negatio condonationis, vel potiùs negatio sui ipsius, intrinsecè constituens peccatum habituale. Intelligitur secundò, condonationem diuinam non esse voluntatem remittendi, aut destruendi peccatum habituale, sed voluntatem formaliter remittentem, & destruentem illud quasi in genere causæ formalis, modo supra declarato: voluntas autem remittendi, aut destruendi peccatum habituale erit voluntas reflexa supra affectum dictum condonatiuum, & formaliter destructiuum peccati habitualis, eum reflexe imperans.

414 Ex dictis facile deducitur primò. Quid sit condonatio diuina reatus, & debiti poenæ, & obligationis satisfaciendi pro culpa commissa, quodque obiectum eius. Nam condonatio diuina reatus poenæ est affectus diuinus, nolens infligi poenam debi-

debi-

debitam, aut volens carentiam inflictionis eius, speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter tollitur debitum poenae, & ius Dei ad illam infligendam, & obiectum eius erit, vel inflictio poenae nolita, vel eius carentia volita. Condonatio etiam diuina obligationis, & debiti satisfaciendi est affectus diuinus, nolens satisfactionem pro culpa, aut volens carentiam eius, speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter tollitur talis obligatio, & ius Dei ad exigendam satisfactionem; & sic obiectum eius erit, vel satisfactio nolita, vel eius carentia volita.

415 Deducitur secundò. Quid sit lex, promissio, votum, & contractus, quodque ipsorum obiectum. Et ratio dubitandi est. Nam lex in primis non potest esse voluntas obligandi subditos ad actionem præceptam; cum enim obligatio subditorum sit ipsam t lex, & voluntas præcipiens superioris, vel saltem eam includat, non potest lex velle obligationem subditorum, alias vellet ponere se ipsam à parte rei: Deinde nec potest esse voluntas, volens, fieri à subditis actionem præceptam; etenim potest superior lege sua præcipere subditis actionem, & ad eam obligare, nolens tamen talem actionem fieri, sic Deus præcepit Abrahæ occidere filium, & tamen volebat executionem talis occisionis. Similiter promissio non potest esse voluntas obligandi promittentem ad actionem promissam, aliàs vellet ponere se ipsam, cum talis obligatio sit ipsamet promissio, vel eam includat: nec potest esse voluntas, volens, fieri actionem promissam; potest enim quis promittere aliquid, & ad id exequendum se obligare cum animo, & voluntate efficaci, aut inefficaci id non exequendi. Idem argumentum militat in voto, quod solum est quædam species promissionis, facte Deo, de meliori bono; & in contractu, qui est mutua duorum promissio alicuius actionis.

416 Primam partem rationis dubitandi existimo veram, & secundam falsam. Vnde dicendum est, quamlibet voluntatem ex dictis, obligantem ad aliquam actionem, siue præcipiendo, siue promittendo illam, esse voluntatem inefficacem talis actionis cum speciali quodam modo volendi illam, ex vi cuius obligat formaliter ad eam exercendam. Et hoc dictum sit de

de voluntate, obligante ad agendum: ex quo consequenter discurrendum est de voluntate, obligante ad non agendum, siue præcipiendo, siue promittendo, scilicet esse nolitionem inefficacem actionis cum speciali quodam modo volendi illam, ex vi cuius obligat formaliter ad eam non exercendam. Nec obstat, quod quælibet voluntas, obligans ad actionem, possit coniungi cum voluntate efficaci, & inefficaci non exequendi illam, vt constat ex ratione dubitandi: Hoc enim ideo est, quia voluntas obligans, non est voluntas efficax actionis, sed inefficax solum, quæ compossibilis est cum voluntate efficaci, & inefficaci oppositi, vt est solenne inter Doctores. Sed de his fusius suo loco.

417 Deducitur tertio. Quid sit abrogatio, derogatio, & dispensatio legis, quodque ipsarum obiectum. In his enim discurrendum est eodem modo, quo in condonatione culpæ habitualis: nam istæ sunt quasi quædam remissiones obligationis legis, liberantes hominem ab obligatione obseruandi illam, licet cum aliqua inter eas differentia, quam tradidi in tract. de legibus disp. 3. cap. 4. Vnde iuxta superius dicta asserendum est, abrogationem, derogationem, & dispensationem legis dicere affectum superioris, nolentem, poni actionem, aut omissionem præceptam speciali quodam modo, ex vi cuius subditi liberantur formaliter ab obligatione legis; qui affectus, si sit pro omnibus, quibus lex erat imposita, eos omnino liberando in perpetuum à tali obligatione, est abrogatio; si pro aliqua solum ex communitatibus, quibus imposita erat lex, eam solum in perpetuum liberando, est derogatio; si pro aliqua, vel aliquibus personis, vel pro communitate ad tempus, est dispensatio, iuxta dicta citato loco de legibus. Similiter declaranda est remissio, aut dispensatio voti, & cuiuslibet alterius promissionis: votum enim, & quælibet promissio est veluti lex particularis, quam vouens, & promittens sibi imponit in ordine ad aliquid agendum, vel omittendum. Sed de his fusius suo loco; nunc enim, ea breuiter attingisse, sufficiat, vt appareat, quam consequens sit nostra doctrina, supra tradita de condonatione diuina, in his omnibus materijs aliàs obscurissimis, & difficillimis, quæque vix possunt

sunt à Doctoribus explicari.

418 Alio etiam modo posset declarari condonatio diuina culpæ habitualis, eiusque obiectum, asserendo, condonationem diuinam esse nolitionem Dei, quantum est ex se efficacem, existentiae præteritæ peccati, qua Deus efficaciter, quantum est ex se, nolit, extitisse peccatum, & quod illud non esset commissum, speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter deleatur in homine culpa habitualis cum debito indignationis diuinæ, & in Deo ius ad illam: quæ condonatio haberet pro obiecto nolito præteritam peccati existentiam præcisè. Hic modus, constituendi condonationem diuinam culpæ habitualis, eiusque obiectum, declarandus est eodem modo, quo superior modus. Nec enim potest assignari repugnantia in hac nolitione diuina, quantum est ex se efficaci, existentiae præteritæ peccati, quæ ex suo speciali modo nolendi illam deleat formaliter in homine culpam habitualem cum debito indignationis diuinæ, & in Deo ius ad illam; aliundè etiam contra hunc modum non militant argumenta, proposita punct. præcedente contra 3. opinionem à nu. 394. vsque ad 397: ergo huic modo non est neganda sua probabilitas.

419

DISPUTATIO III.

De peccato originali.

420

CAPVT I.

De existentia peccati originalis.

421 **E**Xistere in posteris Adæ originale peccatum, ab illo naturali generatione deriuatum, negauit Pelagius, cui adhererunt Armeni, Albanenses, & Anabatistæ, citantes pro suo errore Basilium, Ambrosium, & Chrysostomum, quos ab hac nota vindicat Augustinus, existimans, eos locutos fuisse de pec-

peccato personali, propria voluntate contracto, Ex Catholicis nonnulli existimauerunt, peccatum originale in posteris Adæ non esse verè, & proprie peccatum, & culpam: ita videntur sentire Durandus, Richardus, & alij.

422 Communissima verò Catholicorum sententia docet, in posteris Adæ, Beata Virgine excepta, esse peccatum originale, ab illo naturali generatione transfusum, habens veram, & propriam rationem peccati, & culpæ, eos maculantis, & reddentis peccatores, & inimicos Dei. Dubium tamen est inter Catholicos, an sit de fide, omnes Adæ posteros, Beata Virgine excepta, contrahere peccatum originale. Belarminus lib. 4. de amissione gratiæ cap. 5. Salas in 1. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 5. nu. 68. & Tannerus disp. 4. de Peccatis q. 7. dub. 2. aiunt, id non esse de fide, nec excipientem alium, præter Beatam Virginem, ab hac regula vniuersali, fore hæreticum, sed temerarium, & de hæresi suspectum. Contrarium tenent Valentia q. 11. punct. 2. Salmeron ad Rom. 5. disp. 50. ad 1. Azor p. 1. lib. 4. cap. 34. q. 3. quibus fauet S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 3.

423 Censeo primò. De fide est, dari peccatum originale, ab Adamo transfusum in posteros. Probatur primò ex Scriptura Sacra, præsertim Job 14. *Quis potest facere mundum de mundo conceptum semine? Et cap. 15. Numquid iustificari potest homo, comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? P sal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Osee 7. Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi præuaricati sunt in me. Ad Rom. 5. v. 12. sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et v. 18. sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam, iusti constituentur multi. 2. Ad Corint. 5. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Quibus testimonijs vtitur Augustinus contra Iulianum, Pelagium, & sequaces.*

424 Probatur secundò. Hæc veritas est expressè definita in varijs Concilijs, Mileuitano cap. 2. Africano cap. 7. Arauciano 2. can. 2. Toletano 6. can. 1. Iliberitano can. 25. Ephesino 10. 3. cap. 5. & can. 3. Florentino sess. vlt. in Decreto vniuersalis, &

tandem in Tridentino sess. 5. can. 5. sic loquente, *Si quis per Iesum Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti, negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, anathema sit.* Eandem veritatem tradant ut fidei dogma innumerati Patres apud Belarminum lib. 4. de statu peccati cap. 6. & Valentiam de peccato originali q. 11. punct. 1.

425 Probatur tertio. Si non transfunderetur peccatum originale in posteros Adæ, ad quid pro mundandis infantibus à peccato, esset instituta Circuncisio in lege scripta, & Baptismus in lege noua? & ad quid iste tanta sollicitudine procuraretur cõferri infantibus moribundis? cum in ea ætate non possint habere peccatum actuale, ad quod expiandum deseruire debeat Baptismus: ergo instituta sunt hæc remedia pro originali expiando. Vnde Tridentinum citata sess. 5. can. 4. ait: *fieri consequens, ut in parvulis forma Baptismatis in remissionem peccatorum vera intelligatur.* Et propterea sæpè in Scriptura Sacra, & Tridentino Baptismus appellatur lauacrum renouationis, & regenerationis, quo scilicet abluitur homo, & mundatur ab originali macula.

426 Censeo secundo. Peccatum originale in posteris Adæ est verè, & propriè peccatum. Est communissimum inter Doctores, quorum aliqui oppositum vocant temerarium, erraneum, & errori proximum. Probatur primo. Scriptura Sacra, Concilia, & Patres, superius citata, illud absolutè appellant peccatum, nec est, cur eiusmodi locutio accipienda sit in significatione metaphorica; imò Tridentinum citatum can. 5. clarissimè innuit, originale habere veram, & propriam rationem peccati, ut patet ex eius verbis citatis. Idem antea dixerat Araucianum citatum his verbis, *Si quis dixerit, soli Adæ præuersionem suam, non etiam eius propagationem nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna est peccati, non autem peccatum, quod est mors animæ, per hunc hominem in omne genus humanum transfuisse, restatur, iniustissimè Deo dabit &c.* Secundo. Quia originali nihil deest ex his, quæ ad verum, & proprium peccatum requiruntur, ut ex dicendis constabit: ergo &c.

427 Hinc liquet, peccatum originale vniocè conuenire cum
pecc

peccato actuali in ratione peccati, ut docet Ouledo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 1. nu. 6. Nam ratio peccati verè, & propriè conuenit vtrique peccato; & aliudè nihil assignari potest, quod oblit vniocationi: Quia, quod originale sit minus perfectè voluntarium, quam actuale, non potest obesse vniocationi; cum Brutam etiam sit animal minus perfectum, quam homo, & nihilominus vniocè conueniant in ratione animalis.

428 Censeo tertio. De fide est, omnes Adæ Posteriores, Beata Virgine excepta, contrahere peccatum originale. Probatur. Quodlibet singulare, contentum in propositione aliqua vniuersali reuelata, & de fide, est etiam reuelatum, & de fide, præsertim quando non est graue fundamentum ad aliquod excipiendum; propositio namque vniuersalis significat immediate omnia singularia, contenta sub illa, ut constat ex materia de fide, defacto enim censetur reuelatum, & de fide, Petrum v. g. esse à Christo redemptum propter propositionem illam vniuersalem reuelatam, & de fide. *Omnis homo est à Christo, redemptus*; item Paulum, in gratia, decedentem, esse beandum, propter propositionem illam vniuersalem reuelatam, *Omnis homo, in gratia decedens, est beandus*: sed quilibet, ab Adamo descendens, præter Beatam Virginem, continetur in illa, propositione vniuersali reuelata, & de fide, afferente, *Omnis posterus Adæ contrahere peccatum originale*, nec est graue fundamentum ad aliquem excipiendum, præter Beatam Virginem: ergo est reuelatum, & de fide, quemlibet, descendentem ab Adamo, præter Beatam Virginem, contrahere peccatum originale, ita ut oppositum sit hæresis contra fidem.

429 Obijcies primo. Araucianum, & Tridentinum originale non appellant peccatum absolutè, sed mortem animæ, quæ non est peccatum, sed effectus peccati: ergo originale non est propriè peccatum. Respondeo, negans antecedens: nam hæc Concilia etiam appellant illud peccatum absolutè, ut vidimus in testimonijs citatis. Quod autem illud aliquando appellant mortem animæ, nihil obest, nam etiam peccatum actuale appellari solet mors animæ, & tamen est propriè peccatum: appellant verò illud mortem animæ, tum formalitèr, quatenus
red-

reddat animam odibilem, & odio Dei dignam, tum causalitèr, quia causat mortem animæ, hanc priuando vita gratiæ; imo vtiatur hoc modo loquendi, vt significant, esse peccatum propriè, sine quo mors animæ esse non potest.

430 Obijcies secundò. Aristoteles 3. Ethic. cap. 5. ait, neminem per ea, quæ à natura insunt, mereri laudem, aut vituperium: ergo neque per illud, quod ab Adamo naturalitèr inest, quale est originale: ergo hoc non est propriè peccatum. Respondeo, Aristotelem loqui de effectibus merè naturalibus: originale autem non est effectus merè naturalis, sed moralis, proueniens à defectu libero, & morali Adæ, & ideo meritorius pœnæ damni saltem. Vnde neganda est vtraque consequentia.

431 Obijcies tertio. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest, iuxta Augustinum 3. de libero arbitrio cap. 18: sed posteri Adæ non possunt vitare defectum originale: ergo non peccant originalitèr. Respondeo, permissa maiore, distinguens minorem, posteri Adæ non possunt vitare defectum originale physicè in se, concedo; moralitèr in Adamo tanquam in capite, nego: hoc enim sufficit ad peccandum saltem peccato originali.

432 Obijcies quartò. Peccatum originale est peccatum habituale in posteris: ergo non permanet iam nunc in posteris. Patet consequentia. Nam peccatum habituale non permanet, remisso actuali: sed peccatum actuale, commissum in Adamo, est iam remissum: ergo tale peccatum non permanet iam habitualitèr in posteris. Respondeo, negans consequentiam. Et ad probationem distinguo minorem, peccatum actuale, commissum in Adamo, est iam remissum, quatenus erat peccatum personale Adami, concedo; quatenus est originale proprium posterorum, nego. Et nego consequentiam.

433 Obijcies quintò. Inde fieret, Adamum ratione gratiæ, post peccatum recuperatæ per pœnitentiam, generasse filios in gratia; vel saltem ratione gratiæ Christi concipiendos homines in gratia, cum plus nobis sua gratia profuerit Christus, quam suo peccato nocuerit Adamus: sed hæc sunt absurda: ergo &c. Respondeo, negans vtramque sequelam: Primam quidem, quia gratia, ab Adamo post peccatum recuperata, eiusque pœ-

nitentia fuit solum personalis, & ideo non potuit transfundi in posteros: Secundam etiam, quia, vt peccatum Adæ transfundatur in posteros solum requirit pro conditione generationem naturalem ex institutione diuina; at, vt gratia Christi communicetur hominibus, requirit ex institutione diuina, non generationem solum naturalem, sed regenerationem supernaturalem, factam per Baptismum in lege gratiæ.

434 Obijcies sextò. Ex nostra doctrina sequitur, esse illicitas nuptias, quia Pater generatione esset causa peccati originalis, quod contrahit anima pueri, statim atque puer generatur: Deus etiam esset causa peccati originalis, cum hoc contrahat anima, à solo Deo creata: sed hæc dici non possunt: ergo &c. Respondeo, negans etiam vtramque sequelam: Primam quidem, quia anima pueri non contrahit peccatum originale ex vi generationis præcisè, sed ex eo quod in Adamo peccauerit; pater verò generatione pueri permittit solum transfusionem peccati, quam potest licitè permittere ob maius bonum, quod inde sequitur, nempe ob propagationem vniuersi: Secundam etiam, quia anima pueri non contrahit originale ex vi suæ creationis, vt patet, sed posita vnione ad corpus, ex eo quod in Adamo peccauerit.

435 Obijcies septimò. Nullus defectus potest esse culpabilis personæ, nisi sit ipsi voluntarius: sed defectus originalis non fuit voluntarius posteris Adæ: ergo nec culpabilis. Respondeo, negans minorem: nam defectus originalis fuit sufficientèr voluntarius posteris Adæ, vt statim declaro.

436

CAPVT II.

Quomodo peccatum originale fuerit voluntarium posteris Adæ.

437 Peccatum originale esse posteris Adæ voluntarium, duobus modis præcipuè declarari solet. Primò, asserendo, peccatum originale nec physicè, nec moralitèr esse voluntarium

rium posteris ipsis immediate, & proximè, sed tantum quasi mediatè, & remotè in capite, eo quod fuerit voluntarium soli Adæ, quatenus iste fuit posterorum caput, non solum physicum in ordine ad naturalem propagationem, sed etiam morale, ex ordinatione diuina de danda, vel neganda ipsis gratia dependentè à libertate Adæ, obseruantis, vel transgredientis præceptum Dei: Iuxta hunc modum peccatum originale solum potest dici voluntarium posteris quasi mediatè, & remotè, quia fuit voluntarium Adæ ut capiti morali constituto, licèt ipsis immediate non fuerit voluntarium. Ita Vasquez in 1. 2. disp. 131. cap. 1. Turrianus opusc. 11. disp. 3. dub. 1. Salazar de Concept. B. Virginis cap. 1. §. 6. Peñalosa disp. 1. cap. 2. §. 9. & cap. 3. cum alijs apud Quiedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 4. nu. 28.

438 Secundo, dicendo, peccatum originale esse posteris moralitèr voluntarium immediate, & proximè, quatenus Deus, ut supremus omnium dominus, constituit Adamum caput morale posterorum, ponendo horum voluntates in voluntate illius in ordine ad obseruationem, vel transgressionem præcepti impositi, sicque faciendo, quod voluntas Adæ esset moralitèr voluntas ipsa posterorum, ut, quod Adamus in ordine ad id physicè vellet, censerentur posterii moralitèr velle immediate, & proximè: & sic peccatum ab Adamo physicè elicatum, ipsique physicè voluntarium, censeretur moralitèr elicatum immediate, & proximè à posteris, ipsisque moralitèr voluntarium immediate, & proximè, & non mediatè, & remotè tantum in capite. Ita Toletus in epist. ad Roman. cap. 5. annotat. 16. Cornelius à Lap. ibidem v. 12. à nu. 289. Belarminus to. 3. controu. 2. lib. 5. in prima propos. Suares de peccatis disp. 9. sect. 2. n. 28. Salmeron ad Roman. 5. disp. 46. Granado de peccatis controu. 6. tract. 8. disp. 2. sect. 3. Ripalda de ente supernaturali disp. 16. à nu. 42. Aegidius de Præsentatione tract. de Concept. Virginis lib. 2. q. 1. art. 6. Didacus Paiua lib. 5. defensionis Tridentini solution. 305. pagin. 2. Ruardus Tapper. in articulis Louanienfibus art. 1. de peccato originali §. Quia ut diximus, Curiel 1. 2. q. 81. art. 2. dub. 2. §. 4. Hieronymus de la Rúa controu. 2. Scholastica secundum priorem editionem.

tionem Romanam, & secundum posteriorem Matritensem controu. 5. Scholastica dub. 3. à v. item secundo, Basilius Legionensis in suis controuersis relect. 3. quos refert, & sequitur Quiedo 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 4. Idem tenent Arriaga 1. 2. disp. 51. sect. 5. subsect. 2. Aldrete de Incarnat. to. 1. disp. 22. sect. 1. & alij.

439

PUNCTVM I.

Peccatum originale fuit posteris voluntarium secundo modo.

440 **P**robatur primò ex Scriptura Sacra. Osee 6. *Ipsi autem, scilicèt posterii, sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi prevaricati sunt in me.* Ad Roman. 5. *In quo omnes peccauerunt.* Quæ verba declarant, posteros simul cum Adamo transgressos fuisse præceptum Dei, & cum ipso peccasse; quod fieri non potuit, nisi transgressio illa, & peccatum dicatur ipsis immediate, & proximè voluntarium, ex eo quod sint in eo constitutæ ipsorum voluntates, ob quod istæ censeantur moralitèr commisisse immediate, & proximè transgressionem, & peccatum, quod physicè commisit Adamus.

441 **P**robatur secundo ex Patribus, præsertim ex Augustino lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 10. dicente, *manifestum est, alia esse cuique propria peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quando omnes illi vnus homo fuerunt.* Et lib. 3. de peccatorum meritis cap. 7. *In Ad im omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa inlita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Et lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 4. *Restat, vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in eo fuerunt omnes, quando ille peccauit.* Idemque asserit alijs in locis. Hinc sic arguo. Posterii dicuntur peccasse in Adamo, & quia omnes in eo erant, & quia vnus cum illo erant, non quidem physicè, sed moralitèr: hæc autem vnitas moralis poste-

rorum cum Adamo, non potest esse nisi voluntatum, ex eo quod voluntates posterorum collocatæ sint à Deo in voluntate Adami, ut quod iste in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti physicè vellet immediatè, & proximè, censerentur illi moralitèr velle immediatè, & proximè: ergo &c. Quod si posteros peccasse in Adamo, solum esset, peccasse Adamum, & suo peccato nobis nocuisse, non fuisset necessaria hæc vnitas moralis posterorum cum Adamo; nam ut quis suo peccato alteri noceat, necesse non est, ut sint moralitèr vnum. Et ideo dixit Nazianzenus orat. de Christi Natiuitate à n. 10. *Mea enim fuit primæ sui parentis transgressio.* Similitèr etiam loquuntur aliqui Patres apud Ouiedo citatum nu. 30. Eandem doctrinam illustrent nonnulli Patres, obseruantes eundem modum loquendi Scripturæ Sacræ, Anselmus lib. 10. de Concept. Virginis cap. 7. *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit.* Basiliius hom. 1. de laudibus ieiunij. *Quia non ieiunauimus, exulamus.* Bernardus serm. in Cœna Domini, *In casu primæ hominis cecidimus omnes.*

442 Dices cum Valquez, dici posteros peccasse in Adamo, non quia ipsi peccauerint immediatè, & proximè, sed quia, cum ei commissa fuerit gratia omnium posterorum, quam ipse suo peccato perdidit illis, omnes posteri ratione peccati illius contrahunt priuationem gratiæ debitæ, in qua consistit formalitèr peccatum. Contra primò. Quia peccatum originale non consistit in priuatione gratiæ debitæ, ut infra ostendo. Contra secundò. Quia licet Adamus perdidit gratiam debitam posteris, hoc tamen non esset sufficiens, ut posteri dicantur peccasse in Adamo, sed solum ut dicatur peccasse Adamus, & tali peccato nocuisse posteris: ergo &c. Antecedens probatur. Ex eo quod posteri peccato Adæ carerent gratia, non dicerentur carere gratia, ad quam habendam ipsi essent obligati, sed ad quam transfundendam erat Adam obligatus; licet enim gratia esset extitura in posteris, obligatio tamen ponendi illam in posteris non erat penes ipsos, sed penes Adamum: ergo carentia illa gratiæ debitæ non esset peccaminosa, & culpabilis posteris, sed soli Adamo, qui solus tenebatur ponere gratiam in posteris: ergo ratione dictæ carentiæ non dicerentur

tur peccasse posteri, sed solus Adam.

443 Confirmatur. Gratia tantum potuit esse debita ex parte Adami, & posterorum, quatenus debita erat obseruatio præcepti, cui annexa erat talis gratia: ergo si solus Adamus, & non posteri, erat obligatus, & potens obseruare præceptum, solus Adamus, & non posteri, habuit debitum ponendi talem gratiam, tam in se, quam in posteris: ergo etiam si priuatio gratiæ sit in posteris, in illis tantum erit priuatio gratiæ, quam Adamus debebat in ipsis ponere, non verò ad quam ponendam ipsi essent obligati: ergo priuatio talis gratiæ ad summum esset peccaminosa, & culpabilis Adamo, & non posteris; non enim potest esse peccatum meum carere gratia, quam ego non teneor habere sed alius debebat in me ponere, proprium namque peccatum est transgressio propriæ obligationis.

444 Contra tertio. Promissio diuina gratiæ, quæ poterat reddere gratiam debitam posteris, fuit solum de danda gratia posteris, si Adam obseruaret præceptum: ergo non poterat esse debita posteris gratia, nisi Adam obseruaret præceptum: ergo cum defacto Adam non obseruauerit præceptum, nunquam defacto fuit posteris debita gratia: ergo Adam suo peccato non perdidit posteris gratiam, ipsis debitam, nec posteri contrahunt priuationem gratiæ debitæ, in qua consistere possit peccatum originale.

445 Probatur tertio. Possibile fuit Deo, collocare voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, ut quod Adam in ordine ad id physicè vellet, censerentur posteri moralitèr velle: ergo possibile fuit, quod peccatum originale esset posteris ipsis moralitèr voluntarium immediatè, & proximè, iuxta secundum modum: sed, posita hac possibilitate, modus iste voluntarij est defacto magis aptus ad facilius intelligendam doctrinam fidei de peccato originali posterorum: ergo dicendum est, ita defacto contigisse; doctrina enim fidei declaranda est modo aptiori ad faciliorem intelligentiam eius. Antecedens illud declaratur. Nos ob dominium, quod habemus nostræ voluntatis, possumus, constituendo alterum procuratorem nostrum, nostram voluntatem collocare in voluntate illius in ordine

dine ad aliquod negotium, vel contractum perficiendum, vñ quod alter in ordine ad id physicè velit, censeamur nos moralitèr velle; imò Respublica ratione sui dominij, & potestatis publicæ constituit voluntates Minorum, absque expresso ipsorum consensu, in voluntate Tutorum in ordine ad rectam administrationem bonorum, vt quod Tutores in ordine ad id physicè velint, censeantur moralitèr velle Minores, vt constat ex l. cum plures ff. de administratione Tutorum: idem contingit in substitutione pupillari, vbi leges ponunt voluntates filiorum impuberum, absque expresso ipsorum consensu, in voluntate Patris in ordine ad hæredem instituendum, vt testamentum, conditum à Patre pro Filio impubere, censeatur moralitèr conditum ab ipso Filio. Cum igitur Deus habeat supremum dominium in nostras voluntates, multo altius, quam nos, & Respublica, poterit in ordine ad quemlibet effectum nostras voluntates collocare in voluntate alteriùs, absque consensu nostro, vt in ordine ad illam censeamur moralitèr velle, quod alter physicè vult: ergo & potuit ratione talis dominij sine nostro consensu collocare nostras voluntates in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, vt censeremur in ordine ad id moralitèr velle, quod Adam physicè vellet; quomodo enim percipi potest, esse in ordine ad id minus efficax tam altum, & supremum Dei dominium in nostras voluntates, quàm sit nostrum earundem dominium, & Respublicæ potestas in Minores, & Pupillos. Confirmatur. Deus ratione illius supremi dominij potest pro libito disponere de nostris voluntatibus, alijsque rebus creatis, eas producendo, destruendo, & in alios vsus conuertendo: ergo etiam poterit ratione eiusdem dominij de illis pro libito disponere, eas in voluntate Adæ collocando modo dicto.

- 446 Probatur quartò. Peccatum hoc originale est ad culpam imputabile posteris: ergo & voluntarium ipsis immediatè, & proximè aliquo modo. Patet consequentia. Nam nihil est absolute ad culpam imputabile, quin sit voluntarium: ergo neque imputabile alicui, quin sit ipsi immediatè voluntarium. Confirmatur. Vt posterius dicantur peccasse in Adamo, non requiritur expressus ipsorum consensus iuxta aduersarios: ergo

nec

nec vt dicantur eorum voluntates collocatæ in voluntate Adami, requireretur expressus ipsorum consensus, cum non sit potior ratio vnius, quam alteriùs.

- 447 Hinc oritur difficultas inter Doctores nostræ sententiæ. An in voluntate Adæ constituti fuerint posterius tunc iam prædefiniti futuri, an verò omnes homines tunc possibles, sub conditione si nascerentur ex semine Adæ. Ioannes de Lugo de Incarnatione disp. 7. sect. 3. num. 28. Ariaga de Incarnatione disp. 16. sect. 4. cum alijs iunioribus tenent, fuisse constitutos in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, omnes homines possibles, sub conditione si nascerentur ex semine Adæ, quamuis pro tunc nulli essent adhuc prædefiniti futuri, sed prædefiniti fuerint postea futuri post absolutè præuisum peccatum Adæ.

- 448 Contrarium tamen supponunt communiter Doctores nostræ sententiæ, præsertim afferentes, voluntates posterorum, in voluntate Adæ constitutas in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti, concurrisse moralitèr cum ipso ad peccatum, inter quos Aldrete to. 1. de Incarnatione disp. 22. sect. 6. nu. 6. Probatur. Si homines possibles præcisè, antequam eorum existentia præfiniretur, fuissent constituti in voluntate Adæ, non potuissent peccare in, & cum Adamo, physicè transgrediente præceptum, nec ad eius peccatum moralitèr concurrere: sed hoc est falsum etiam in sententia aduersariorum: ergo &c. Maior probatur primò. In hominibus, qui peccauerunt in, & cum Adamo, & ad eius peccatum moralitèr concurrerunt, fuit futura aliqualis necessitas existendi, & nascendi postea in peccato originali, excepta saltem B. Virgine: sed hæc necessitas existendi, & nascendi in peccato originali, non potest competere hominibus possibilibus præcisè, sed aliquando futuris: ergo homines possibles præcisè, & nondum prædefiniti futuri, non potuerunt in, & cum Adamo peccare, nec ad peccatum eius moralitèr concurrere.

- 449 Probatur secundò. Quotquot peccauerunt in, & cum Adamo, & ad eius peccatum moralitèr concurrerunt, ingressi sunt pactum de recipienda iustitia originali, si Adam non peccaret, sicque erat illis necessario conferenda iustitia originalis in ta-

Aa 2

11

li casu: sed hæc non erat conferenda hominibus possibilibus præcisè, sed extituris: ergo homines possibiles præcisè non potuerunt in, & cum Adamo peccare, nec ad eius peccatum moralitèr concurrere.

450 Probatur tertio. Si homines possibiles præcisè, ante prædefinitam eorum existentiam, fuissent constituti in voluntate Adæ, sub conditione si nascerentur ex semine Adæ, vel peccassent in, & cum Adamo, ad eius peccatum moralitèr concurrendo, quando peccavit Adamus, vel quando postea eorum existentia ex semine Adæ prædefinita fuit post absolutè præuisum peccatum Adæ: Neutrum dici potest: ergo homines possibiles, sic constituti in voluntate Adæ, non potuissent in, & cum Adamo peccare, ad eius peccatum moralitèr concurrendo.

451 Minor probatur. Non primum. Tum, quia in signo peccati Adæ adhuc intelligebantur homines indifferentes, ut producerentur, vel non producerentur ex semine Adæ, inò & ut producerentur, vel non producerentur absolutè; sicque intelligebantur adhuc indifferentes, ut essent, vel non essent in re inclusi, & constituti in pacto, & voluntate Adæ, cum talis inclusio sit conditionatè dependens ab eorum productione ex semine Adæ: ergo in tali signo nondum intelligebantur, peccasse in Adamo, sed indifferentes adhuc, ut in illo peccarent, vel non peccarent. Tum, quia aliàs, cum, iuxta aduersarios, omnes homines possibiles essent constituti in voluntate Adæ, quando iste peccavit, sub conditione si nascerentur ex semine Adæ, omnes homines possibiles peccassent in, & cum Adamo, & ad eius peccatum moralitèr concurrissent; quod ridiculum est. Tum, quia si homines possibiles essent conditionatè constituti in voluntate Adæ, sub conditione solum si nascerentur ex semine Adæ: ergo non manserunt verè, & in re constituti in voluntate Adæ, quousque prædefiniti sunt nascituri ex semine Adæ, sed erant solum constituendi in illa casu, quo ea conditio poneretur: ergo nec verificatur de illis, quod peccauerunt in, & cum Adamo, ad eius peccatum moralitèr concurrendo, quousque prædefiniti sunt nascituri ex semine Adæ, sed quod peccarent in, & cum Adamo, ad eius pec-

catum moralitèr concurrendo casu, quo ea conditio poneretur: sed quando Adamus peccavit, seu in signo peccati eius, nondum erant prædefiniti nascituri ex semine Adæ, sed postea solum post absolutè præuisum peccatum Adæ: ergo quando Adamus peccavit, homines sic conditionatè constituti in voluntate eius, non peccarunt in, & cum Adamo, ad eius peccatum moralitèr concurrendo. Tum, quia homines peccare in, & cum Adamo, duo dicit, & peccare Adamum, & homines esse in eius voluntate constitutos: ergo ut homines dicantur absolutè peccare in, & cum Adamo, prout defacto peccare dicuntur, requiritur non solum peccatum absolutum Adami, sed etiam constitutio absoluta eorum in voluntate ipsius; nam, ut totum aliquod dicatur esse absolutè, debent esse absolutè omnes, & singulæ partes eius: sed quando peccavit Adamus, non erat constitutio absoluta hominum in illo iuxta aduersarios, sed conditionata præcisè: ergo non peccarunt absolutè tunc homines in, & cum illo.

452 Non secundum. Tum, quia nonnulli Patres expressè asserunt, homines peccasse, quando Adam peccavit, ut patet ex testimonijs Augustini, Anselmi, & Bernardi supracitatis: ergo non peccarunt in, & cum Adamo, ad eius peccatum moralitèr concurrendo, quādo, post absolutè præuisum peccatum Adæ, prædefinita est eorum existentia ex semine Adæ, sed quando Adam peccavit. Tum, quia prædefinitio existentia hominum ex semine Adæ, iuxta aduersarios non antecedit, sed subsequitur peccatum Adæ, fitque ex suppositione præuisionis eius: ergo prædefinitio existentia hominum ex semine Adæ, non posset conducere, ut homines influerent, & concurrerent moralitèr ad peccatum Adæ: ergo non concurrerunt moralitèr ad peccatum Adæ, quando prædefinita est existentia eorum ex semine Adæ; cause enim influentes, & concurrentes ad peccatum Adæ non debent subsequi, sed præcedere productionem eius. Tum, quia homines moralitèr concurrere ad peccatum Adæ cum ipso, nihil aliud est, quam Adamum, constitutum caput morale eorum, ipsorumque voluntates moralitèr continentem, illud physicè committere: ergo tunc solum intelliguntur homines moralitèr concurrere ad peccatum Adæ,

quando intelligitur ipse illud physicè committere: sed Adam non intelligitur physicè committere peccatum, quando prædefinita est hominum existentia ex semine eius, sed antea iuxta aduersarios, asserentes, eam esse prædefinitam post absolutè præuisum peccatum Adæ: ergo nec intelliguntur homines moralitèr tunc ad illud concurrere.

453 Tum, quia homines concurrunt moralitèr ad peccatum Adæ cum potestate moralitèr impediendi illud in Adamo: ergo tunc solum intelliguntur moralitèr concurrere ad illud, quando intelliguntur cum potestate impediendi illud: sed quando prædefinita est existentia eorum ex semine Adæ, non intelliguntur cum potestate impediendi illud: ergo nec intelliguntur tunc moralitèr ad illud concurrere. Antecedens in primis patet. Si homines non concurrerent moralitèr ad peccatum Adæ cum potestate moralitèr impediendi illud in Adamo, tale peccatum non imputaretur illis ad culpam; cum non possit personæ imputari ad culpam, quod ipsa impedire non potest: item tale peccatum non esset liberè elicited moralitèr à posteris, prout necesse est, ut illis dicatur imputabile ad culpam; cum ad libertatem requiratur potestas eliciendi, & non eliciendi, seu impediendi illud. Deinde minor probatur. Prædefinitio existentia hominum ex semine Adæ, supponit existens peccatum Adæ in præuisione diuina, sitque ex suppositione præuisionis eius: ergo quando prædefinita est existentia hominum ex semine Adæ, non intelliguntur homines, posse impedire peccatum Adæ, cum hoc ex tali suppositione sit iam inimpedibile. Præterea si quando prædefinita est existentia hominum ex semine Adæ, possent homines impedire peccatum Adæ, possent etiam tunc impedire, ne esset prædefinitus Christus passibilis, cum Christus passibilis sit prædefinitus ex suppositione peccati Adæ absolutè præuisi: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Prædefinitio existentia hominum ex semine Adæ, est ex meritis Christi prædefiniti passibilis, & effectus eius: ergo homines, ut prædefiniti existentes ex semine Adæ, non possent impedire, ne esset prædefinitus Christus passibilis; effectus enim non potest impedire existentiam causæ, à qua procedit.

454 Respondet Lugo, homines non peccasse de presenti in, & cum Adamo, ad eius peccatum moralitèr concurrente, quando ille peccauit, imò nec quando, post absolutè præuisum peccatum Adæ, prædefinita est existentia hominum ex semine eius; ceterum quando prædefinita est existentia hominum ex semine Adæ, verificari de præterito, illos peccauisse in Adamo, quia cum hæc denominatio non sit physica, sed per æquiualentiam, possunt homines tunc verè dici, peccasse in Adamo, quia ita se habent tunc, ac si in illo peccassent, & ad eius peccatum moralitèr concurrissent, quando ille peccauit. Quod tribus exemplis declarare contendit præcipuè. Primum est in Petro, hodie profitente in Religione cum priuilegio Pontificio antiquitatis decem annorum, qui licet hodie professionem emittat, censetur tamen moralitèr professus fuisse decem annis antea, & quod ratione priuilegij ita se habeat professio eius, ac si decem annis antea esset emissa. Secundum est in Titio auo, qui tempore mortis voluit manere suspensa bona sua, donec Caius nepos habeat filium, quem etsi nondum fortè genitum, ex tunc heredem instituit; posset enim tunc Respublica constituere Sempronium tutorem dicti filij nondum geniti, ut nomine illius bona administraret, & contractus utiles celebret, quos contractus censeretur celebrasse in tutore designato filius Caij postea genitus. Tertium est in Principe, concedente Petro facultatem condendi nouam urbem cum pacto, ut si Petrus rebellis sit, omnes, qui eam urbem inhabitauerint, nobilitatem amittant; certè tunc etiam illi, qui post delictum rebellionis Petri inhabitare inciperent talem urbem, censerentur moralitèr in Petro antea deliquisse, & nobilitatem amisisse.

455 Contra. Veritas propositionis de præterito debet regulari per veritatem propositionis de inesse in aliquo tempore præcedente, sicut veritas propositionis de futuro regulatur per veritatem propositionis de inesse in aliquo tempore subsequente: ergo ut sit vera hæc propositio de præterito, *Posterius peccauerunt in Adamo*, debuit in aliquo tempore, vel signo antecedente esse vera hæc propositio de inesse, *Posterius peccant in Adamo*; quod est impossibile iuxta doctrinam Lugo. Nec ab hac regu-

regula excipi debent propositiones de præterito, quoad æquivalentiam dicte. Nam huiusmodi propositiones æquivalentes affirmant, prædicatum in aliquo tempore conuenisse subiecto: hoc autem falso affirmaretur, nisi fuisset antea aliquod tempus, in quo tale prædicatum actu conueniret subiecto: ergo veritas etiam huiusmodi propositionum de præterito regulanda est per veritatem propositionis de inesse in aliquo tempore præcedente.

456 Confirmo primò. Hęc propositio de præterito, *Petrus peccauit in Adam, & inflavit in culpam eius*, resoluitur in hanc aliam, *tempus præcessit, in quo Petrus peccabat actu in Adam, & influebat in culpam eius*; sicut hęc propositio, *Petrus cucurrit*, æquiualeat huic, *tempus præcessit, in quo Petrus actu cucurrebat*: ergo ut illa propositio sit vera de præterito, debuit aliquando esse antea vera de præsentis hęc alia, *Petrus peccat in Adam, & inflavit in culpam eius*. Confirmo secundo. Antequam peccaret Adam, erat verum dicere de futuro, *Posterius peccabunt in Adam, peccaturo nomine eorum*, & postquam peccauit Adam, est verum dicere de præterito, *Posterius peccauerunt in Adam*: ergo in aliquo tempore, vel signo intermedio debuit esse verum dicere de præsentis, *Posterius peccant in Adam*. Patet consequentia. Tum, quia alias daretur propositio vera de futuro, quę semper sit falsa de præsentis, quod est inauditum, & implicatorium. Tum, quia ex opposito sequeretur, verum aliquod futurum transire immediatè ad præteritum, quin transeat per tempus præsens, quod est absurdum, & imperceptibile; quomodo enim percipi potest, futurum fieri præteritum, si nunquam fuit præsens?

457 Nec refert, quod inter illas duas propositiones de futuro, & de præterito, intercedit iam hęc de præsentis, *Adam peccat nomine posterorum*. Nam vel hęc propositio de præsentis, *Adam peccat nomine posterorum*, æquiualeat huic, *Posterius peccant in Adam*, vel non. Si priuum; iam erit aliquando vera illa propositio de præsentis, *Posterius peccant in Adam*, sicut & alia ei æquiualeat, *Adam peccat nomine posterorum*. Si secundum; nihil interest, mediare illam propositionem de præsentis ad regulandam veritatem illarum propositionum de futuro, & de præterito, illęque immediatè sibi succedent sine intermedia aliqua

pro

propositiones de præsentis, habente idem prædicatum, & subiectum earum, & affirmante de præsentis idem de eodem, quod de futuro, & de præterito illę affirmant.

458 Hinc ad primum exemplum ex tribus superius propositis dico, Petrum, hodie profitentem in religione cum priuilegio Pontificis antiquitatis decem annorum, censerit moralitèr professum decem annorum, non quia de ipso verificari possit moralitèr, emisisse professionem, & vota eius decem annis antea, sed in ordine solum ad honores, qui eam professionem sequuntur, scilicet in ordine ad occupandum meliorem locum, & fruendum priuilegijs professi decem annorum; priuilegium enim Pontificium concedit Petro, ut quamuis hodie profiteatur, gaudeat nihilominus dictis honoribus. Ex quo ad summum inferri posset, potuisse Deum inducere in posteros ratione peccati Adę aliquos effectus peccati originalis, scilicet priuationem gratię, rebellionem appetitus, & mortalitatem, quamuis ipsi in Adam non peccassent, quando ille peccauit; non tamen potuisse efficere Deum, quod posterius dicantur, peccasse in Adam, si reuera in eo non peccauerunt, quando ille peccauit.

459 Ad secundum exemplum dico, Sempronium, constitutum à Republica Tutorem filij Caij, nondum geniti, non celebratum contractus nomine dicti filij, sed nomine Reipublicę in fauorem dicti filij gignendi, quę constituerat ipsum Tutorem, nec filius dictus, postea genitus, censeretur celebrasse in Tutore illos contractus, eo quod tunc nondum esset genitus: quod alitèr contingit in posteris Adę, qui verè dicuntur, peccasse antea in illo. Si autem contendatur, Tutorem celebrare illos contractus nomine dicti filij, nondum geniti, ideo erit, quia Respublica transfudit in voluntatem Tutoris voluntatem dicti filij, quem Deus videt futurum, sub conditione quod à Deo videatur iam tunc futurus: vnde si dictus filius videatur à Deo tunc futurus, potest verè dici tunc ratione futuritionis celebrare illos contractus in Tutore, & quando postea existit, censeretur illos in Tutore celebrasse, sicut posterius futuri dicebantur peccare in Adam, quando ipse peccabat, & quando postea existunt, censentur in illo tunc peccasse.

Bb

460 Ad

460 Ad tertium exemplum dico, eos, qui post delictum rebellionis Petri conditoris urbis inciperent inhabitare urbem, amissuros nobilitatem, non quidem quia in Petro moraliter deliquissent, Princeps enim non habet potestatem transferendi alienas voluntates in tertiam personam in ordine ad delinquendum, sed quia Princeps vult punire delictum conditoris urbis in habitatoribus illius, eos reddendo ignobiles, & infames ob delictum illius; sicut sæpè punit delictum patris in filiis, hos reddendo infames ob delictum Patris, licet ipsi in Patre non deliquerint. Nisi velis, habitatores illius urbis puniri ignobilitate ob proprium delictum, quod committunt, volendo inhabitare urbem illam, quam Princeps fecit infamem ob delictum conditoris eius.

461

PUNCTUM II.

Aduersariorum obiectiones.

462 **O**bjicies primò. Si peccatum originale esset posteris Adæ voluntarium, non distingueretur voluntarium peccati originalis à voluntario peccati personalis: sed hoc est falsum: ergo &c. Respondeo negans maiorem: nam ad peccatum personale requiritur voluntarium physicum, siue positium, vt in peccato commissionis, siue negatiuum, vt in peccato pure omissionis: ad originale autem non requiritur voluntarium physicum, sed purè morale.

463 **O**bjicies secundò ex Peñalosa. Quod est moralitèr, & interpretatiuè voluntarium, & liberum, debet oriri ex aliquo voluntario, & libero physico, siue positio, siue priuatio: sed peccatum Adæ non potuit oriri ex aliquo voluntario, & libero physico posterorum, nec positio, nec priuatio, vt liquet: ergo non fuit posteris adhuc moralitèr, & interpretatiuè voluntarium, & liberum. Confirmatur. Voluntarium liberum est, quod oritur à voluntate, se ipsam determinante, vnde quod ab alterius voluntate, se determinante, oritur, non nobis, sed alter-

alteri liberum est: sed ad voluntarium peccati Adæ non se determinauit voluntas posterorum, sed solius Adæ voluntas: ergo illud non fuit liberum posteris, sed soli Adæ. Respondeo, maiorem esse veram de voluntario, & libero personali, moralitèr, & interpretatiuè tali, quod semper est quasi mixtum ex physico, & morali; falsam verò esse de voluntario, & libero originali, moralitèr, & interpretatiuè tali, quod est purè morale, & interpretatiuum posteris, & non mixtum ex utroque: ad hoc enim non requiritur aliquod voluntarium, & liberum physicum, ex quo oriatur, sed sufficit voluntas Dei, tanquam supremi domini constituentis voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, & transgressionem præcepti, modo supra explicato, sicque suppletis in ordine ad id defectum voluntatis posterorum. Ad confirmationem distinguo maiorem, voluntarium liberum est, quod oritur physicè à voluntate, se ipsam physicè determinante, nego; quod oritur physicè, vel moralitèr à voluntate, se ipsam physicè, vel moralitèr determinante, concedo. Deinde distinguo minorem, ad voluntarium peccati Adæ non se determinauit voluntas posterorum physicè, concedo; moralitèr, & interpretatiuè, nego. Et nego consequentiam in hoc sensu: nam ex eo quod constituerit Deus voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, & transgressionem præcepti, voluntas, & libertas Adæ censebatur moralitèr, & æquiualentèr voluntas, & libertas posterorum, & sic quando voluntas Adæ se ipsam physicè determinauit ad voluntarium peccati, etiam voluntas posterorum se ad illud moralitèr, & æquiualentèr determinauit in illa ratione vnitatis moralis cum ipsa.

464 **O**bjicies tertio ex eodem Peñalosa. Voluntarium est, quod prouenit à principio intrinseco cum cognitione, iuxta Aristotelem 3. ethic. cap. 1. & communem Doctorum sensum: sed peccatum Adæ non potuit prouenire à posteris tanquam à principio intrinseco cum cognitione, quippe qui tunc non erant, nec quidquam cognoscere poterant: ergo peccatum Adæ non fuit voluntariè elicatum à posteris adhuc moralitèr. Respondeo distinguens maiorem, voluntarium est, quod

prouenit physice tantum à principio intrinseco cum cognitione, physice tantum propria volentis. nego; quod prouenit physice, vel moraliter à principio intrinseco cum cognitione, physice, vel moraliter propria volentis, concedo. Deinde distinguo minorem, peccatum Adæ non potuit prouenire physice à posteris tanquam à principio intrinseco cum cognitione physice propria ipsorum, eo quod tunc non essent physice existentes, concedo; non potuit prouenire moraliter à posteris tanquam à principio intrinseco cum cognitione moraliter propria ipsorum, eo quod essent moraliter à Deo constituti in voluntate Adæ, nego. Et nego consequentiam: Nam ex eo quod Deus constituerit posteros in Adamo in ordine ad obseruantiam, & transgressionem præcepti impositi, sicut voluntas Adami censebatur moraliter, & æquivalenter voluntas posterorum, ita ut quod Adamus in ordine ad id physice ageret, censerentur posteri moraliter, & æquivalenter agere; sic cognitio Adami censebatur moraliter, & æquivalenter cognitio posterorum, ita ut quod Adamus in ordine ad id physice cognosceret, censerentur posteri moraliter, & æquivalenter cognoscere, & quod cum illa cognitione Adamus physice vellet, & eliceret, censerentur posteri cum eadem moraliter, & æquivalenter velle, & elicere, quamuis physice non existerent.

465 Obijcies quartò ex eodem Peñalosa. Filij, quos Parentes à Deo precibus impetrarunt, ut Isaac, Samuel, Ioannes Baptista, & alij, non concurrerunt moraliter ad peccatum Adæ, quando iste peccauit: at nihilominus contraxerunt peccatum originale: ergo hoc non fuit posteris voluntarium, quia ipsi concurrerunt moraliter ad peccatum Adæ. Maior probatur. Dicti Filij non erant adhuc decreti absolutè futuri, quando Adam peccauit: ergo non concurrerunt tunc moraliter ad peccatum Adæ, ad hunc enim concursum necessaria erat futuritio posterorum, ut constat ex dictis. Antecedens probatur. Quando Adam peccauit, non erat adhuc decretus Christus absolutè passibilis, cum sit decretus talis post absolutè præuisum peccatum Adæ: sed dicti Filij fuerunt decreti absolutè futuri post decretum Christum absolutè passibilem, & ob merita eius ut sic: ergo fuerunt decreti absolutè futuri post peccatum Adæ.

Adæ; atque adeo non erant adhuc decreti absolutè futuri, quando Adam peccauit. Minor probatur. Dicti Filij fuerunt decreti absolutè futuri ob preces Parentum, procedentes ex gratia, data illis ob merita Christi absolutè passibilis: ergo fuerunt decreti absolutè futuri ob preces Parentum, supponentes decretum iam Christum absolutè passibilem, & merita eius ut sic: ergo fuerunt decreti absolutè futuri post decretum Christum absolutè passibilem.

466 Huius obiectionis solutio facilis est ex dictis in tract. de Incarnatione, & ex inferiùs dicendis disp. 5. cap. 4. punct. 2. ubi ostenditur, omnes posteros Adæ fuisse decretos à Deo ante peccatum Adæ determinatè quoad animas, & disiectiuè, & indeterminatè quoad corpora, & vnionem, decernendo scilicet vnumquemque ex posteris cum hoc, vel illo corpore, & vnione, à se postea determinandis, positis nonnullis circumstantijs, aut conditionibus. Ex quo fit primò, omnes posteros potuisse constitui in voluntate Adæ in ordine ad peccandum cum ipso, & moraliter concurrere ad peccatum eius, cum essent iam prædefiniti futuri determinatè quoad animas, à quibus procedere debebat concursus ille moralis ad peccatum Adæ. Secundò, quod, cum posteri non fuerint tunc decreti à Deo cum determinato corpore, vnione, & generatione, atque adeo nec ex determinatis Parentibus, potuerint postea preces Parentum ex meritis Christi absolutè passibilis impetrare, quod animæ supradictorum filiorum, à Deo decretæ ante peccatum Adæ, vnirentur corpori determinato, formando ex materia, à dictis Parentibus subministranda, & per vnionem determinatam, ab eis, aut eorum semine producendam.

467 Hinc in forma Respondeo, negans maiorem. Ad probationem distinguo antecedens, dicti filij non erant adhuc decreti absolutè futuri, quando Adam peccauit, cum determinata anima, corpore, & vnione, generanda ex semine Adæ, concedo; cum determinata anima, & cum hoc, vel illo corpore, vnione & generatione ex semine Adæ disiectiuè, & indeterminatè, nego; hoc autem sufficiebat, ut dicti filij concurrerent tunc ad peccatum Adæ per concursum moralem, proceden-

dentem ab anima. Ad probationem distinguo minorem, dicti filij fuerunt decreti absolute futuri post decretum Christi absolute passibilem, & ob merita eius ut sic, quoad corpora, unionem, & generationem determinatas, concedo; quoad animas determinatas, & hoc, vel illud corpus, unionem, & generationem disiunctiue, & indeterminate, nego. Et similiter distinguendum est consequens. Ad minoris probationem distinguo antecedens, dicti filij fuerunt decreti absolute futuri ob preces parentum, procedentes ex gratia, data illis ob merita Christi absolute passibilis, quantum ad determinatum corpus, unionem, & generationem, concedo; quantum ad determinatam animam, & hoc, vel illud corpus, unionem, & generationem disiunctiue, & indeterminate, nego: nam quantum ad determinatam animam, & hoc, vel illud corpus, unionem, & generationem disiunctiue iam fuerant decreti absolute futuri ante has preces parentum. Et similiter distinguendum est primum, & secundum consequens.

468 Obijcies quintò. Peccatum originale non est peccatum personæ, sed naturæ: ergo solum debet esse voluntarium Adamo, qui est caput naturæ, & non posteris eius. Confirmatur. Priuatio iustitiæ originalis ex relatione solum ad voluntatem Adæ, est Deo inuisa, & reddit subiectum Dei inimicum: ergo voluntarium, requiritum ad originale, non est proprium posterorum, sed solum Adæ. Respondeo, negans consequentiam: Nam, cum tale peccatum inficiat non solum Adamum, qui est caput naturæ, sed etiam posteros, debet esse voluntarium non solum illi, sed etiam istis. Confirmatio supponit falso, peccatum originale esse priuationem iustitiæ originalis, ut infra ostendo. Eo tamen permisso, distinguo antecedens, est Deo inuisa, & reddit subiectum Dei inimicum in Adamo, & respectu eius, concedo; in posteris, & respectu eorum, nego: hoc enim solum potest habere ex relatione ad voluntates ipsorum, à Deo constitutas in voluntate Adæ modo dicto.

469 Obijcies sextò. Si peccatum Adæ constituisset nos peccatores, etiam poenitentia Adæ constituisset nos poenitentes: sed hoc est falsum: ergo & illud. Respondeo, negans maiorem. Nam nostræ voluntates solum fuerunt à Deo constitutæ in

voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, & transgressio-
nem præcepti impositi, non verò in ordine ad poenitentiam.

470 Obijcies septimò. Videtur durum, & crudele, voluntates posterorum committi voluntati Adæ, ut constituerentur culpabiliter inobedientes per inobedientiam Adæ, quæ ipsorum propria censeretur moraliter: ergo &c. Respondeo, negans antecedens: imo Deus in hoc se satis misericorditer gessit, quia id totum erat in bonum posterorum, quibus inde maxima spes dabatur nascendi in gratia, & iustitia originali, si Adam obseruaret præceptum, cum facile posset in illo felicissimo statu, in quo ad id tot, tantisque erat munitus prædijs.

471 Obijcies octauò. Si posteri possent constitui peccatores per actum peccaminosum, physicè elicitum ab Adamo, & moraliter à posteris, etiam possent constitui iusti, & sancti per actum sanctificantem v. g. contritionis, physicè elicitum ab Adamo, & moraliter à posteris: sed hoc est absurdum: ergo & illud. Respondeo, negans maiorem: Tum, quia fortè nullus actus etiam contritionis est forma sanctificans, de quo alibi: Tum, quia esse iustum, & sanctum, est quid physicum, atque adeo prouenire debet à forma physica, physicè inharènte subiecto denominato; quod non haberet respectu posterorum actus contritionis Adæ, moraliter solum elicitus à posteris: at esse iniustum, & peccatorem habitualiter, est quid morale, atque adeo prouenire potest in posteris ab actu peccaminoso Adæ, moraliter procedente ab ipsis.

472 Instabis primò. Licet actus contritionis Adæ, moraliter elicitus à posteris, non possit hos formaliter iustificare, tamen non erit, cur non possit ipsos iustificare dispositiue, tanquam dispositio vltima, quam iustificans forma consequatur: ergo &c. Respondeo, negans antecedens: Nam actus contritionis solum est dispositio vltima ad iustificationem, quatenus est incompossibilis cum peccato actuali, atque adeo solum potest esse talis in subiecto, in quo est incompossibilis cum peccato actuali; hanc autem incompossibilitatem solum habet in subiecto, cui physicè inest, & à quo physicè elicitur: vnde actus contritionis Adæ, moraliter solum elicitus à posteris, non esset ex se incompossibilis cum peccato actuali posterorum, atque

que adeo nec ultimo disponderet ad eorum iustificationem.

473 Instabis secundò: ergo saltem possent posteri mereri per actum obedientiae Adæ, moraliter elicited ab ipsis, sicut possunt demereri per actum inobedientiae eius. In hac instantia potest esse sermo, vel de merito congruo, vel de merito condigno, & circa hoc meritum condignum possent posteri considerari, vel in pura natura, vel in peccato, vel in statu gratiae.

474 Respondeo ergo primo cum Ripalda to. 1. de ente supernaturali disp. 16. sect. 9. num. 44. & Aegidio de Præsentatione tract. de Concept. lib. 1. q. 1. quos refert, & sequitur Oviedo 1. 2. tract. 9. controu. 2. punct. 2. nu. 14. potuisse posteros congrue mereri aliquid per actum illum obedientiae Adæ. Nam actus ille obedientiae Adæ imputaretur posteris, hique per illum constituerentur obedientes; ergo possent per illum aliquid congrue mereri. Patet consequentia. Tum, quia ratio meriti congrui inest actui superno ratione bonitatis moralis eius, independentè à dignitate personae merentis: ergo si posteris tribuatur bonitas moralis illius actus, eisdem tribui posset aliqua ratio meriti congrui. Tum, quia libertas sufficiens ad peccatum mortale, sufficit etiam ad meritum congruum: sed ad peccatum mortale sufficit libertas in capite, ut patet in peccato originali posterorum: ergo & ad meritum congruum.

475 Respondeo secundò. Si posteri essent in pura natura, non possent condigne mereri gratiam, & gloriam per actum illum obedientiae Adæ. Nam ad meritum condignum gratiae, & gloriae non sufficit bonitas moralis actus, sed requiritur etiam, quod merens sit dignificatus gratia sanctificante: at posteri in pura natura non essent dignificati gratia sanctificante: ergo non possent condigne mereri gratiam, & gloriam per actum illum obedientiae Adæ. Ex quo à fortiori sequitur, non potuisse per talem actum condigne mereri gratiam, & gloriam, si essent in peccato mortali: Nam sic non solum non essent dignificati gratia sanctificante, sed essent potius indigni ratione peccati.

476 Respondeo tertio, probabilius esse, posteros, etiam si existerent in statu gratiae sanctificantis, non posse per actum illum

illum obedientiae Adæ condigne mereri gratiam, & gloriam, quidquid in contrarium sentiant aliqui iuniores. Nam sicut gratia sanctificans non dignificat subiectum nisi physicè, scilicet physicè informando illud, ita nec debet dignificare actum condignè meritorium nisi physicè, scilicet physicè informando ipsum extrinsecè: sed gratia sanctificans posterorum non posset physicè dignificare, & informare adhuc extrinsecè actum obedientiae Adæ, ab ipsis moraliter solum elicited; dignificatio enim actus meritorij est cum proportione ad productionem eius: ergo talis gratia non posset dignificare actum illum obedientiae in posteris ad condigne merendam gratiam, & gloriam.

477

CAPUT III.

In quo consistat peccatum originale.

478

PUNCTUM I.

Varie opiniones circa constitutum peccati originalis.

479 ANTEQUAM Catholicorum opiniones proponantur, percurramus prius aliquos errores. Primus error fuit Manichæorum, suscitatus à Matthia Ilirico, asserente, naturam humanam fuisse substantialitèr corruptam, & originale peccatum esse formam substantialem additam animae, substantialemque imaginem diaboli, excludentem imaginem Dei substantialem. Hunc errorem latè impugnat Doctores, præsertim Belarminus lib. 5. de amissione gratiae à cap. 1. usque ad 4. Salmeron ad Roman. 5. disp. 45. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 10. sect. 2. num. 24. Eundem nos hic brevitèr impugnemus. Primò. Quia hic error admittit aliquam substantiam per se malam, quaeque

Cq

sit

fit ipsa malitia; quod in Manichæis damnatum est ab Augustino, alijsque Patribus. Secundò. Quia vel hæc substantia, quæ dicitur esse ipsum peccatū, est à Deo tanquā à causa, & auctore, vel non. Si primum; ergo Deus est causa, & auctor peccati. Si secundum; ergo est aliqua substantia, cuius non est causa, & auctor Deus, quod est contra fidem. Tertiò. Quia alias Christus non assumpsisset naturam substantialem eiusdem speciei cum nostra, cum non assumpserit formam dictam substantialem, quæ peccatum dicitur; item nec sancti essent resurrecturi cum eadem substantia, qua vixerunt, cum non sint resurrecturi cum forma dicta substantiali per se mala, quæ sunt absurda, & contra fidem. Quartò. Quia Tridentinum sess. 5. in Decreto de peccato originali can. 5. damnat asserentes, per Baptismum non tolli totum id, quod habet veram, & propriam rationem peccati: at per Baptismum nihil tollitur de substantia naturæ humanæ: ergo nulla substantia naturæ humanæ est ipsum peccatum originale.

480 Secundus error est Origenis dicentis, peccatum originale esse aliquid relictum à peccato actuali, quod commisit anima ante vnionem ad corpus. Reijcitur hic error. Primò. Quia existentia animæ ante vnionem ad corpus, est fictitia, & contra fidem. Secundò. Quia alias hoc peccatum non esset originale, sed actuale, & personale, moralitèr perseverans. Tertiò. Quia peccatum originale iuxta Tridentinum est quid ab Adamo deriuatum: sed quod contraheret anima ante vnionem ad corpus, non esset ab Adamo deriuatum: ergo non est peccatum originale. Minor probatur. Quod ab Adamo deriuatur in posteros, deriuatur per generationem vnionis animæ ad corpus: ergo quod contraheret anima ante generatam vnionem ad corpus, non esset ab Adamo deriuatum.

481 Tertius error fuit quorundam Pelagianorum apud Salas 1.2. tract. 13. disp. 11. sect. 2. nu. 18. quos, vt ait Salas citatus, irritidet Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 34. & 35. asserentium, peccatum originale esse peccatum actuale paruuli. Hic error facile impugnatur. Primò. Quia paruuli non habent rationis vsum ex se, nec miraculosè illuminantur à Deo, vt possent libere peccare: ergo peccatum originale non potest

potest esse peccatum actuale paruuli. Secundò. Quia peccatum actuale debet esse liberum, & contingens: vnde ergo oriatur hæc fatalis necessitas in paruulis ad committendum peccatum actuale, in quo originale peccatum, ab omnibus inuitabiliter contractum, consistere volunt aduersarij? Tertiò. Quia alias peccatum originale esset inæqualitèr contractum; aliqui enim grauius peccabunt, alij vnum, alij plura peccata committerent: ad hæc namque omnia posset se extendere libertas paruulorum, si illis inesset libertas peccandi in instanti conceptionis: inesse autem illis hanc libertatem, est contra experientiam manifeste: ergo &c.

482 Quartus error fuit Cornelij Agripæ, existimantis, originale peccatum esse nimium cum vxore concubitum. Refellitur hic error. Primò. Quia alias filij, geniti ex moderato concubitu, non contraherent originale. Secundò. Quia alias originale esset grauius in vno, quam in alio, secundum quod esset vnus concubitus magis immoderatus, quam alius. Tertiò. Quia inter coniugatos, quod concubitus sit immoderatus, per se solum est peccatum veniale, licèt quandoque per accidens ratione damni illati, vel alterius circumstantiæ extrinsecæ lethale esse possit: ergo originale per se solum esset peccatum veniale, nec tolleretur amicitiam cum Deo, quod est absurdum.

483 Quintus error fuit Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum nostri temporis hæreticorum apud Salas citatum tract. 13. disp. 11. sect. 2. nu. 28. contendentium, originale esse concupiscentiam habitualement, permanentem in Baptizatis; vnde aiunt, originale non tolli per Baptismum, sed tantum non imputari. Hic error damnatus est iam in Tridentino sess. 5. in Decreto de peccato originali can. 5. anathematizante asserentes, per Baptismum non tolli totum id, quod habet veram rationem peccati, sed tantum radi, & non imputari: quod sumpsit Concilium ex Augustino lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 13. & alibi. Quod si Paulus ad Rom. 6. & 7. & ad Hebr. 11. concupiscentiam appellat peccatum, non ideo id præstat, quia ea verè peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur, vt explicat Tridentinum ipsum citatum. Nec obstat, dicere Augustinum de Nuptijs cap. 35. dimitti in

Baptismo concupiscentiam carnis, non ut non sit, sed ut non imputetur ad culpam. Et lib. contra Iulianum cap. 3. concupiscentiam esse poenam, & effectum peccati, & causam peccati, & peccatum. Nam in primo testimonio ideo dicit, concupiscentiam post Baptismum non imputari ad culpam, non quia in se peccatum sit, sed quia per Baptismum tollitur peccatum, ratione cuius illa imputabatur ad culpam extrinsecè, & denominatiuè. In secundo testimonio loquitur, non de concupiscentia in actu primo, sed de actu secundo eius malo, qui est effectus, & poena peccati, & causa peccati, & peccatum.

484 Reiectis his erroribus, Prima inter Catholicos opinio vult, originale peccatum consistere in quadam morbida qualitate, ad malum inclinante, à peccato Adæ deriuata in posteros hoc modo, quod ex peccato Adæ redundauit in corpus ipsius hæc qualitas morbida, quæ, coniuncta semini, transiit postea ad posteros per generationem. Ita Gregorius Ariminensis in 2. dist. 3. q. vnic. art. 2. Michael Baius lib. de peccato originali, Holcoth q. de imputabilitate peccati ad 1. principale, Gabriel in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. & art. 2. concl. 6. & in 3. dist. 3. q. 2. art. 1. Henriques quodlib. 1. q. 21. & quodlib. 2. q. 11. & quodlib. 5. q. 13. Altifiodorensis 2. summæ tract. 27. cap. 1. 2. & 3. Driedo 1. de gratia, & libero arbitrio tract. 3. cap. 3. p. 4. consider. 4. Almainus 3. moral. cap. 19. §. alia est opinio, Ocham quodlib. 3. q. 10. & 3. sentent. q. 2. & alij apud Salas 1. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 2. nu. 25. & apud Oniedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 6. num. 31. licet non omnes hi Doctores eodem modo loquantur de hac morbida qualitate.

485 Censeo primò. Falsa est hæc opinio. Primò. Quia peccatum originale est peccatum habituale: sed peccatum habituale non consistit in hac qualitate morbida, ut ostensum est disp. 2. cap. 2. punct. 1. concl. 2. nu. 272: ergo nec originale. Secundo. Quia peccatum Adæ extinctum fuit per ipsius poenitentiam, etiam antequam filios generaret: ergo non mansit in eo aliqua qualitas, quæ peccatum esset: ergo quando postea genuit filios, non potuit, eam ipsis communicare. Tertiò. Quia peccatum Adæ fuisse idem actus peccaminosus, quamuis non fuisse constitutus caput morale posterorum: sed in tali casu
pec-

peccatum Adæ non produxisset in eius corpore hanc morbida qualitate: ergo nec produxit eam defacto. Minor probatur. In tali casu peccatum Adæ esset purè personale: sed peccatum purè personale non producit in corpore peccantis hanc qualitate morbida, ut patet in nostris peccatis personalibus: ergo in tali casu peccatum Adæ non produxisset in eius corpore hanc morbida qualitate. Quartò. Quia hæc qualitas morbida, vel constituitur distincta ab habitu vitioso, & ab appetitu sensitivo, seu concupiscentia, vel indistincta. Non primum: Nam hæc qualitas morbida constituitur, ut inclinet ad malum: sed ad hoc sufficienter inclinant habitus vitiosus, & appetitus sensitivus: ergo hæc qualitas frustra constituitur distincta ab istis. Si secundum? Incidet hæc opinio in quintum errorem, supra impugnatum nu. 483.

486 Secunda opinio ait, peccatum originale consistere in macula quadam morali, à peccato Adæ efficienter transfusa in posteros, hosque maculante, & inficiente, quæ quidem est ens medium inter ens reale physicum, & ens rationis: hanc autem maculam, aiunt, esse denominationem extrinsecam difformitatis subiecti cum natura rationali ut sic. Ita multi Recentiores, quos sequitur Peñalosa in suis vindicijs Deiparæ disp. 1. cap. 2. §. 9.

487 Censes secundò. Falsa est hæc opinio. Hæc conclusio probata manet. Tum ex dictis disp. 1. cap. 3. punct. 1. concl. 4. & nu. 93. ubi ostendimus, peccatum actuale non consistere in denominatione extrinseca difformitatis cum natura rationali ut sic: rationes namque, ibi propositæ pro peccato actuale, militant etiam in peccato originali, ut perpendenti constabit. Tum ex disp. 2. cap. 2. punct. 2. conclus. 6. nu. 301. 302. & 303. ubi similem maculam moralem pro constitutione peccati habitualis impugnauimus, cuius impugnationes possunt facile ad præsens institutum applicari cum proportionem, cum peccatum originale sit peccatum habituale. Nec potest esse verum, quod addit Peñalosa citatus, scilicet, maculam hanc moralem resultare in posteris ex priuatione gratiæ, & sanctitatis ut voluntaria Adæ. Nam si hæc macula moralis constituit hominem maculatum, & peccatorem, non potest oriri ex priuatione

ne gratiæ, & sanctitatis, imo hæc priuatio debet oriri ex macula moraliter enim non ideo homo est originaliter maculatus, & peccator, quia est priuatus gratia, & sanctitate, sed è conuerso ideo est priuatus gratia, & sanctitate, quia est originaliter maculatus, & peccator.

488 Tertia opinio censet, peccatum originale esse reatum pœnæ. Ita Rossensis art. 2. Altiſiodorensis tract. 28. cap. 2. Durandus in 2. dist. 30. q. 2. & 3. Maior in 2. dist. 31. q. 1. art. 1. & alij apud Salas in 1. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 2. nu. 22. Nomine autem reatus ad pœnam intelligunt quidam destinationem, & ordinationem diuinam posterorum ad pœnam, quamdiu non deletur peccatum originale: alij verò intelligunt dignitatem posterorum ad pœnam.

4^o Censeo tertio. Falsa est hæc opinio, quomodocunque intelligatur reatus pœnæ. Hæc conclusio probata manet disp. 22. superiori cap. 2. punct. 1. concl. 3. vbi idem ostendimus in peccato habituali, præsertim tribus ultimis probationibus, quas hic leuiter attingentes, ad præsens institutum applicamus. Primò. Quia destinatio, & dignitas ad pœnam supponit homines peccatores, & maculatos per peccatum originale: nam non ideo homines sunt habitualiter peccatores, & maculati per originale, quia sunt destinati ad pœnam, & ea digni, sed è conuerso ideo sunt destinati ad pœnam, & ea digni, quia sunt habitualiter peccatores, & maculati per originale: ergo & supponit peccatum originale, illos maculans; ergo non constituit peccatum originale.

490 Secundò. Quia, ablata omnino macula originali, & nihil eius remanente per remissionem diuinam in Baptismo, adhuc manet debitum, & dignitas mortalitatis, rebellionis appetitus ad rationem, & aliarum pœnarum peccati originalis: ergo macula originalis non est debitum, & dignitas pœnæ; aliàs, manente partialiter debito, & dignitate pœnæ, maneret etiam partialiter macula originalis.

491 Tertio. Quia culpa, seu macula originalis, & debitum, seu dignitas pœnæ sunt inter se moraliter diuersa, & separabilia: ergo posset diuinitus tolli saltem per condonationem extrinsecam culpa, seu macula originalis, manente debito, & dignitate

tarè pœnæ: ergo culpa, seu macula originalis non stat in hoc debito, & dignitate pœnæ. Antecedens probandum est. Tum ex proximè dictis: Nam, ablata omnino culpa, & macula originali, & nihil eius remanente in Baptismo, adhuc manet debitum, & dignitas partis pœnæ, scilicet mortalitatis, rebellionis appetitus &c: ergo signum est, maculam originalem, & debitum, seu dignitatem pœnæ non esse idem, sed moraliter diuersa, & separabilia. Tum alijs probationibus, fusè propositis loco supracitato, quæ facile ad nostrum hoc institutum applicari possunt, mutato solum nomine culpæ habitualis in nomen culpæ, seu maculæ originalis. Videantur ibi fusè dicta.

492 Quarta opinio inter Doctores communissima apud Salas citatum sect. 3. tenet, peccatum originale consistere in priuatione iustitiæ originalis. Nomine verò iustitiæ originalis, in cuius priuatione constituitur peccatum originale, aliqui in præsentem intelligunt gratiam iustificantem: alij subiectionem appetitus sensitui ad rationem, licet variè declarent, in quo sistat hæc subiectio appetitus ad rationem: Alij aggregatum ex utraque, scilicet ex gratia, & subiectione dicta.

493 Censeo quarto. Falsa est hæc opinio. Et imprimis si nomine iustitiæ originalis intelligatur gratia iustificans nude, non posse peccatum originale consistere in priuatione eius, constat ex disp. 2. superiori cap. 2. punct. 2. concl. 4. à nu. 289. vbi idem ostendimus de peccato habituali personali: rationes autem ibi fusè propositas, hic leuiter attingentes, ad præsens sic applicamus. Peccatum originale nec consistit in sola priuatione gratiæ adæquate, nec in hac, & peccato præterito Adæ, à posteris moraliter commissio, simul: ergo &c. Antecedentis prima pars probatur. Primò Quia peccatum originale est culpa, moraliter perseverans in posteris: sed priuatio gratiæ non est culpa, cum non sit actus prauus, immediatè ortus à voluntate, prout ad culpam requiritur, imo est quasi pœna culpæ commissæ: ergo peccatum originale non est priuatio gratiæ. Nec dicas, priuationem gratiæ in posteris non esse pœnam peccati originalis ipsorum, sed peccati Adæ solum. Nam aliàs Adam, nunc iam Beatus, verè puniretur in posteris tali pœna ob peccatum ab ipso commissum: hoc autem pugnat cum sum-

ma illa felicitate beatitudinis, à qua longe abesse debet omnis miseria, & malum cuiusvis poenae, & punishmentis, etiam alteri infligendae: ergo priuatio gratiae in posteris non est poena peccati Adae, ut erat praecipue peccatum eius, sed ut erat peccatum posterorum, ab illis in illo moraliter commissum.

494 Secundò. Quia si voluntates posterorum essent constitutae in Adamo in ordine ad alias species peccatorum grauiorum, vel minus grauium, tunc, peccante Adamo, posterii contraherent aliud peccatum originale diuersum ab eo, quod contracterunt defacto: sed esset eadem priuatio gratiae, quae modo est, ut patet ex loco citato nu. 291: ergo peccatum originale non stat in sola priuatione gratiae. Tertio. Quia posset esse in posteris priuatio gratiae, ab Adamo deriuata, sine peccato originali contracto: ergo hoc non est sola priuatio gratiae. Antecedens probatur. Ponamus, Deum dicere Adae, *Si me tali bono amaueris, ad quod tamen non te obligo sub peccato, transferes gratiam in posteros, si vero omiseris amorem, eam non transferes*: in hoc casu, si Adam non amaret Deum, esset in posteris priuatio gratiae, ab Adamo deriuata, sine peccato originali contracto: ergo &c.

495 Quartò. Quia, quamuis posterii per impossibile non essent capaces gratiae, adhuc posset Deus eorum voluntates in Adamo constituere in ordine ad peccandum, vel non peccandum: tunc autem, peccante Adamo, contraherent posterii peccatum originale; & tamen non contraherent priuationem gratiae: ergo peccatum originale non est priuatio gratiae. Quintò. Quia si per possibile, vel per impossibile simul essent in homine gratia, & peccatum originale, ut multi posse fieri putant; tunc non esset priuatio gratiae, quae posset constituere peccatum illud originale: ergo &c. Sextò. Quia si Adamus esset constitutus caput morale posterorum in ordine ad peccandum, vel non peccandum venialiter, ut fieri potuit, tunc, peccante Adamo venialiter, contraherent posterii originale veniale: sed hoc originale veniale non constitueretur per priuationem gratiae, cum eam non induceret: ergo nec originale mortale; si enim in originali veniali independentè à priuatione gratiae datur aliquid, constituens illud in esse talis, cur non idem dici pote-

rit de originali mortali?

496 Secunda antecedentis pars probatur. Primò. Quia hoc etiam conuincunt tres vltimae probationes primae partis, ut perpendenti constabit. Secundò. Quia potest dari peccatum praeteritum Adae, à posteris moraliter commissum, & priuatio gratiae sine peccato originali: ergo hoc non consistit in illis duobus. Antecedens probatur. Si Deus, ut potest, sine infusione gratiae remitteret puero peccatum originale per extrinsecam condonationem, esset tunc peccatum praeteritum Adae, à posteris moraliter commissum, & priuatio gratiae; & tamen non esset in puero peccatum originale: ergo &c.

497 Deinde si nomine iustitiae originalis intelligatur subiectio appetitus sensitiui ad rationem, non posse peccatum originale consistere in priuatione eius, patet ex superius dictis. Primò. Quia priuatio huius subiectionis non est culpa, cum non sit actus prauus voluntatis, sed quasi poena culpae commissae: ergo &c. Secundò. Quia licet posterii contraherent ex Adamo aliud peccatum originale grauius, & specie diuersum ab eo, quod defacto est, nihilominus tunc esset eadem priuatio subiectionis appetitus, quae modo est: ergo peccatum originale non stat in sola hac priuatione. Tertio. Quia si Deus faceret pactum de transfundenda in posteros subiectione appetitus ad rationem, si Adam ipsum amaret sine praeepto imposito amandi, vel de non transfundenda illa, si non amaret: tunc, Adamo non amante Deum, esset in posteros transfusa priuatio talis subiectionis sine peccato originali: ergo sola illa priuatio non est peccatum originale. Quartò. Quia, licet Deus non fecisset pactum de transfundenda, vel non transfundenda in posteros subiectione appetitus, adhuc potuisset constituere posterorum voluntates in Adamo in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem praeepti impositi: tunc autem, peccante Adamo, transfunderetur in posteros peccatum originale sine priuatione talis subiectionis transfundendae: ergo peccatum originale non stat in priuatione talis subiectionis transfundendae. Quintò. Quia in Baptizatis datur priuatio subiectionis appetitus ad rationem; & tamen non datur iam peccatum originale, utpote remissum per Baptismum: ergo &c. Sextò. Quia

in posteris Adæ, cum solo originali ad lymbum decedentibus, post vniuersalem resurrectionem dabitur totalis subiectio appetitus ad rationem, vt docent communiter Doctores: sed tunc perseverabit adhuc peccatum originale: ergo hoc non stat in priuatione talis subiectionis.

498 Tandem si nomine iustitiæ originalis intelligatur gratia, & subiectio appetitus simul, non posse peccatum originale consistere in priuatione vtriusque simul, imo nec in aggregato ex priuatione vtriusque simul, & ex peccato præterito Adæ, à posteris moraliter commisso, Probat. Primo omnibus illis rationibus, quibus supra ostendimus, posse esse peccatum originale, aut sine priuatione gratiæ, aut sine priuatione subiectionis appetitus ad rationem. Secundò. Quia, si Deus, vt potest, sine infusione gratiæ per condonationem extrinsecam remitteret peccatum originale, esset tunc peccatum præteritum Adæ, à posteris moraliter commissum, priuatio gratiæ, & subiectionis appetitus; & tamen non esset iam peccatum originale: ergo hoc non consistit in illis tribus.

499 Obijcies primò. Priuatio iustitiæ originalis tollit sanctitatem, & amicitiam Dei: ergo reddit posteros inimicos, & offensores Dei: atque a deo peccatores. Respondeo, negans consequentiam: Nam illa priuatio solum reddit posteros non amicos Dei, non verò inimicos; originale autem reddit illos inimicos Dei.

500 Obijcies secundò. Peccatum originale consistit in eo, quod tollitur per Baptismum: sed per Baptismum tollitur priuatio gratiæ: ergo in hac consistit peccatum originale. Respondeo, distinguens maiorem, peccatum originale consistit in omni eo, quod tollitur per Baptismum, nego, nam etiam per Baptismum tollitur reatus poenæ damni, in quo tamen non consistit peccatum originale; in aliquo, quod tollitur per Baptismum, concedo; & concessa minore, nego consequentiam.

501 Quinta opinio putat, peccatum originale in posteris non esse peccatum proprium ipsorum, sed peccatum ipsum Adæ, quod tanquam quid alienum posteris imputatur, & quasi extrinsecè communicatur; & sic peccatum originale non esse plura peccata, ex quibus singula singulis sigillatim insint, sed esse
idem

idè numero in omnibus per modum imputationis. Ita sensisse dicuntur Pignus controu. 1. de Peccato origin. & Catherinus tract. de casu hominis cap. 8. & vlt. & alibi apud Salas in 1. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 2. nu. 19. licet plures Doctores existiment, eos non tam rigide locutos fuisse, sed minus bene suam mentem declarasse.

502 Sed quidquid sit de mente horum Doctorum. Censeo quintò. Falsa est hæc opinio sic proposita, nec potest iam vllò modo defendi. Primò. Quia Tridentinum sess. 5. can. 3. ait, peccatum originale inesse vnicuique proprium. Et sess. 6. cap. 3. dicit, propagatos ex Adamo, propriam iniustitiam contrahere. Secundò. Quia id conuincunt testimonia, astruentia existentiam peccati originalis: si enim datur peccatum originale, quod sit propriè peccatum in posteris, certè illud debet verè, & propriè afficere posteros, eisque inesse tanquam proprium, non verò imputari solum extrinsecè quasi alienum.

503

PUNCTVM II.

Veritati conformior opinio stabilitur.

504 Sexta veritati conformior opinio existimat, peccatum originale esse ipsum peccatum Adæ vt proprium posterorum, quatenus fuit ab ipsis moraliter commissum simul cum Adamo, physicè committente, & moraliter habitualiter ipsos afficiens, & inficiens, statim atque generantur. Ita Toletus in epist. ad Roman. cap. 5. annotat. 16. Cornelius à Lapide ibidem v. 12. nu. 289. & 292. Aegidius de Præsentatione tract. de Concept. lib. 2. q. 3. art. 4. §. 6. præsertim à nu. 28. & alibi, Cabrera 3. p. q. 62. art. 1. disp. 1. §. 4. à nu. 26. Granada de Peccatis controu. 6. tract. 8. disp. 3. sect. 1. Curiel q. 82. art. 5. dub. 4. §. 4. Hieronymus de la Rúa controu. 2. Scholastica propos. 4. & 6. secundum priorem editionem Romanam, & secundum posteriorem editionem Matritensem controu. 5. scholastica dub. 3. vers. *item secundo*, Ruiz de voluntate Dei

disp. 32. sect. 7. nu. 18. & 19. Mariana in opusculis lib. 3. de morte, & de immortalitate cap. 4. col. 3. Salmeron ad Roman. §. disp. 46. cuius autoritas extollit maximè probabilitatem huius opinionis, quippe qui tanquam Pontificijs Theologus interfuit Tridentino, eiusque mentem rectè calluit, citans Gasparem Sagenum Minoritanum in 3. indagine de bono opere, Bellichium Carmelitarum Prouincialem, & Viguerium cap. 17. de quidditate peccati, Iacobus Paiua Orthodoxarum explicationum lib. 3. inter initium, & medium §. *sed cum hoc*, qui etiam interfuit Tridentino, Quiedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 9. nu. 67. Arriaga in 1. 2. disp. 51. sect. 4. Ioan. de Lugo de Pœnitentia disp. 7. sect. 7. Aldrete de Incarnat. tom. 1. disp. 22. sect. 1. & plures Recentiores grauissimi. Et hoc forsitan intenderunt Pigius, & Catherinus punct. superiori citati pro quinta opinione, licèt minus bene se explicauerint.

§ 05 Hæc opinio sic declarari potest. Deus collocauit voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi: ex quo factum est, quod voluntas Adæ censeretur moralitèr in ordine ad id voluntas posterorum, & cõsequentèr quod peccatum Adæ, physicè transgredientis præceptum impositum, fuerit etiam à posteris moralitèr commissum, & sic peccatum illud fuisse proprium Adæ, & posterorum simul: visa autem pœnitentia Adæ, condonatum est à Deo illud peccatum, quatenus erat personale Adæ, non verò quatenus erat proprium posterorum, & ideo ut proprium posterorum censeretur moralitèr persequerare, & posteros, statimatque generantur, peccatores constitutere, & denominare; ad eum modum, quo peccatum personale præteritum, dum non condonatur à Deo, censeretur moralitèr habitualitèr permanere, hominem denominando peccatorem, & maculatum: illa autem denominatio in posteris non est moralis solum imputatio extrinseca peccati alieni, sed vera contractio peccati proprii, in Adamo, & cum Adamo moralitèr commissi. Vnde licèt peccatum illud Adæ physicè esset vnum tantum, erat tamen moralitèr multiplex pro multiplicitate illud committentium, quia ita singulis tribuitur, ac si à quolibet eorum sine alijs commissum esset; sicut si per-

possi-

possibile, vel impossibile plures homines physicè committerent eandem numero actionem peccaminosam, talis actio, licèt in se physicè vna, esset tamen moralitèr, & æquivalentèr multiplex peccatum pro multiplicitate illam committentium. Quod satis expressè docuit Augustinus in Enchirid. cap. 45. verbis infra citandis punct. sequente nu. § 26.

§ 06 Hæc opinio, sic declarata, Probatur primò ex Scriptura Sacra, præsertim ex verbis illis Pauli ad Roman. §. v. 19. *Sicut per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnus obediendum iusti constituentur multi*; ergo iuxta Paulum peccaminosa inobedientia Adæ constituit nos formalitèr inobedientes, & peccatores; non enim possunt alium habere sensum verba Pauli, ut docet Salmeron citatus.

§ 07 Dices, Paulum solum velle, inobedientiam Adæ constituisse posteros inobedientes, non formalitèr, sed causalitèr; quod colligitur ex verbis sequentibus, vbi dicitur, obediendum Christi constituisse illos iustos, quæ verba solum intelliguntur causalitèr. Contra primò. Quia in hac paritate vnūquodque membrum accipiendum est accommodatè iuxta capacitatem suam: sed obedientia Christi non est forma iustificans formalitèr, sed causa meritoria eius, nec in Christo constitutæ sunt voluntates hominum in ordine ad obedientiam, ut, Christo physicè obediendo, censerentur homines moralitèr obedire; inobedientia verò Adæ est peccatum, potens formalitèr constituere peccatorem, & aliundè in Adamo constitutæ sunt posterorum voluntates in ordine ad inobedientiam illam, ut, inobediendo Adamo physicè, censerentur posteri moralitèr inobedire: ergo prima pars testimonij intelligenda est formalitèr, licèt secunda causalitèr solum intelligatur.

§ 08 Contra secundò. Quia si in omni esset seruanda, paritas, deberent etiam dicere aduersarij, inobedientiam Adæ non constituisse ipsum peccatorem formalitèr, sicut nec obedientia Christi constituit ipsum formalitèr iustum: vnde sicut aduersarij intelligere debent priora paritatis verba formalitèr respectu Adæ, non verò posteriora respectu Christi; ita & respectu posterorum cum eadem diuersitate intelligi poterunt. Contra tertio. Quia in prima parte testimonij nomine peccato-

no

torum comprehenditur etiam Adamus, de quo, & posteris simul dicitur, constitutos esse peccatores per inobedientiam: sed in dictis verbis Adamus per inobedientiam illam constitutus est formaliter peccator: ergo & posterii. Contra quarto. Quia priora verba testimonij concilianda sunt cum alijs verbis eiusdem Pauli citato cap. 5. Ad Roman. v. 12. *in quo omnes peccaverunt*: sed in his verbis intelligitur, posteros peccasse formaliter in Adamo: ergo in illis intelligitur, constitutos esse formaliter peccatores per inobedientiam Adæ. Contra quinto. Quia dictam diversitatem satis clarè indicat modus loquendi Pauli: Nam cum in prima parte testimonij dixisset, per peccatum Adæ nos constitutos esse peccatores, quod sonat inobediētes; in secunda parte non dicit, per obedientiam Christi constitutos nos fuisse obedientes, sed constituendos iustos, quod denotat impetrationem iustificationis nostræ vi illius obedientiæ.

§ 99 Probatur secundo testimonij illis Scripturæ, & Patrum, in quibus dicitur, nos peccasse in Adamo, comedissemus cum illo, gustasse lignum interdictum, transgressos fuisse legem Dei, prohibentem esum fructus prohibiti, quorum plura retuli cap. 2. punct. 1. alia verò videri possunt apud Doctores citatos, ideoque ea prætermitto. Ex quo manifestè deducitur, nos in Adamo commisisse aliquod peccatum contra præceptum de non edendo fructu interdicto: sed non commissimus aliud peccatum physice diversum à peccato Adæ: ergo moraliter commissimus idem illud peccatum Adæ, quatenus, ratione existentie nostrarum voluntatum in illo, censebamur moraliter committere peccatum, quod ille physice committebat: ergo peccatum illud Adæ erat moraliter peccatum nostrum: sed non actuale, & personale: ergo originale. Et propterea dicit Nazianzenus orat. de Christi Natiuitate à nu. 10. *mea enim fuit primæui parentis transgressio*. Sanctus etiam Thomas sæpè asserit, peccatum nostrum originale fuisse in Adamo, & ex eo transisse in posteros, sic loquitur 1. 2. q. 81. art. 1. & 3. & q. 83. art. 1. præsertim in responsione ad 2. his verbis, *Peccatum originale priori ratione fuit in Adamo, quia fuit in illo secundum rationem actualis peccati*: quod verum non esset, nisi peccatum nostrum

ori

originale, & peccatum Adæ esset idem peccatum.

§ 100 Dices cum Peñalosa in vindicijs Deiparæ disp. 1. cap. 3. nos peccasse in Adamo, nihil aliud esse, quam Adamum, constitutum caput morale hominum, fuisse causam meritoriam nostræ perditionis, seu meruisse, quod iustitiam amitteremus, & culpam originalem contraheremus in instanti conceptionis. Contra. Si ut nos dicamur peccasse in Adamo, sufficeret, Adamum ut caput morale hominum meruisse, quod iustitiam amitteremus, & culpam originalem contraheremus, etiam ut diceremur, meruisse nostram iustitiam, & sanctificationem in Adamo, sufficeret, quod Adamus ut caput morale mereretur nostram iustitiam, & sanctificationem: sed hoc est falsum: ergo &c. Maior videtur certa. Minor probatur. Christus defacto tanquam caput morale hominum meruit nostram iustitiã, & sanctificationem, & pro nostris peccatis satisfecit: & tamen non dicimur nos, in illo meruisse nostram iustitiam, & sanctificationem, nec satisfecisse in illo pro nostris peccatis; aliàs non omnino verè diceretur, nos iustificari gratis, sed pro dignitate nostri meriti, in Christo exhibiti, sicut non dicimur, puniri gratis, sed pro dignitate peccati, in Adamo commissi: ergo nec diceremur, meruisse in Adamo nostram iustitiam, & sanctificationem, ex eo præcisè quod ille ut caput morale ipsam nobis mereretur. Dicat ergo nunc Peñalosa, cur non dicamur nos, meruisse in Christo nostram iustitiam, & sanctificationem, quauis Christus ut caput morale nobis illam meruerit, nisi quia nostræ voluntates non erant constitutæ in voluntate Christi, & propterea non concutrimus moraliter in illo ad meritum nostræ iustitiæ, & sanctificationis: vnde consequenter discurrendum est in nostro casu, scilicet ideo nos dici, peccasse in Adamo, non quia ille ut caput morale meruerit contractionem nostri peccati originalis, sed quia nostræ voluntates erant constitutæ in voluntate illius, ob quod concutrimus in illo moraliter ad peccatum ab ipso commissum.

§ 101 Hinc probatur tertio. Peccatum illud Adæ ut nostrum, & à nobis moraliter commissum, moraliter perseverat, siquidem non est à Deo remissum ut nostrum, sed ut personale Adæ præcisè, nec pro eo ut sic est sufficienter à nobis satisfactum: ergo

po-

potens est ex se denominare aliquem, si existat, peccatorem, & inimicum Dei formaliter: sed non Adamum, cum tale peccatum ut proprium Adami sit iam à Deo remissum: ergo nos; atque adeo nos sumus peccatores, & inimici Dei formaliter à peccato Adæ ut nostro. Prima consequentia patet. Nam quodlibet peccatum eo modo, quo perseverat, potens est denominare aliquem, si existat, peccatorem formaliter, præsertim cum perseveret ut peccatum alicuius.

§12 Confirmatur primò. Peccatum illud Adæ ut nostrum sufficiens fuit, ut nos in illo denominaret formaliter peccantes, quando ille peccavit: ergo idem illud peccatum ut nostrum, moraliter perseverans, sufficiens est, ut nos in instanti generationis denominet formaliter peccatores, non stante privilegio præservationis, quale fuit in sola Deipara. Patet consequentia. Nam peccatum, quod, quando committitur, denominat hominem formaliter peccantem, postea moraliter perseverans, denominat eundem formaliter peccatorem, ut patet in peccato personali: ergo si peccatum illud Adæ ut nostrum denominavit nos in illo formaliter peccantes, quando ille peccavit, postea moraliter perseverans in instanti generationis, denominat nos formaliter peccatores. Confirmatur secundò. Peccatum illud Adæ ut nostrum, moraliter perseverans, causat de facto in nobis in instanti generationis maculam moralem, vel priuationem gratiæ: ergo & poterit nos denominare moraliter peccatores, & Dei inimicos; præsertim cum maculatio hominis, & priuatio gratiæ non oriatur nisi ex inimicitia eius cum Deo, proveniente formaliter à peccato, illum denominante.

§13 Dices primò, peccatum illud Adæ perseverare in nobis, non formaliter, & sic non esse peccatum nostrum formaliter, sed perseverare virtualiter in macula, aut priuatione gratiæ, in nobis causata. Contra primò. Si peccatum Adæ solum perseveraret in nobis virtualiter modo dicto, solum esset in nobis macula illa, aut priuatio gratiæ, causata à peccato Adæ: sed macula illa, aut priuatio gratiæ non potest esse peccatum nostrum originale, ut probatum est punct. superiori: ergo non esset in nobis peccatum originale. Contra secundò. Macula illa

illa moralis, aut priuatio gratiæ in nobis non oritur solum ex eo præcisè, quod olim peccaverit Adamus ut caput, & nos in ipso, sed ex eo quod peccatum illud Adæ moraliter perseveret in nobis: ergo causatio illius maculæ, aut priuationis gratiæ supponit in nobis peccatum illud, moraliter perseverans in se ipso: ergo non est in nobis moraliter perseverans virtualiter solum in tali macula, aut priuatione gratiæ, sed formaliter in se ipso antecedentè ad illam. Antecedens probatur. Post Baptismum est verum dicere, quod olim peccavit Adam ut caput, & in ipso baptizatum; & tamen in isto non est iam talis macula, aut priuatio gratiæ, quia peccatum illud Adæ post Baptismum iam non perseverat moraliter. Item in sententia asserente, Deiparam peccasse in Adamo, & non contraxisse peccatum originale, est etiam verum dicere, quod olim peccavit Adam ut caput, & in illo Deipara; & tam in ista in instanti conceptionis non fuit talis macula, aut priuatio gratiæ, ex eo præcisè quod peccatum illud Adæ non perseverabat moraliter in Deipara: ergo macula moralis, aut priuatio gratiæ non oritur solum ex eo, quod olim peccaverit Adamus ut caput, & nos in ipso, sed ex eo quod peccatum illud Adæ moraliter perseveret in nobis.

§14 Dices secundò, peccatum illud Adæ solum fuisse nostrum virtualiter, nostrasque voluntates virtualiter solum fuisse in Adamo contentas. Contra primò. Nam hæc continentia virtualis non potest esse physica eminentialis: Tum quia nostræ voluntates non continentur physice eminentèr in Adamo, cum producantur independentèr à concursu eius: Tum quia licèt nos eminentèr physice contineremur in Adamo tanquam in primo parente, tamen hæc continentia non sufficit, ut maculemur ratione peccati eius, aliàs etiam maculemur ratione peccatorum aliorum Parentum, in quibus physice eminentèr continebamur, quod falsum est: ergo continentia dicta debet esse moralis: at non potest declarari, quomodo voluntates nostræ continerentur in Adamo moraliter virtualiter, & non formaliter, præsertim cum id proveniret à voluntate divina, eas formaliter constituyente in illo: ergo &c.

§15 Contra secundò. Ut voluntates nostræ dicerentur virtua-

litèr collocatæ à Deo in Adamo, id deberet esse mediante aliâ quo formalitèr collocato, ratione cuius possent dici nostræ voluntates virtualitèr collocatæ: sed nihil est à Deo formalitèr collocatum in Adamo, ratione cuius nostræ voluntates dici possint virtualitèr collocatæ: ergo nostræ voluntates non sunt virtualitèr collocatæ in Adamo, sed formalitèr in se ipsis. Contra testiò. Licèt daremus, nostras voluntates virtualitèr solum fuisse contentas in Adamo, adhuc peccatum eius debet dici formalitèr nostrum. Nam si voluntates nostræ fuerunt virtualitèr in voluntate Adæ: ergo peccatum Adæ fuit nobis voluntarium virtualitèr: ergo nos peccauimus formalitèr in Adamo, sicque peccatum Adæ fuit formalitèr moralitèr nostrum. Patet consequentia. Nam ad peccandum formalitèr sufficit voluntarium virtuale, vt est solemne inter Doctores.

§16 Probatur quartò. Originalis posterorum ruina est pœna peccati Adæ, correspondens merito eius: sed non est pœna peccati Adæ, vt erat peccatum Adæ præcisè: ergo vt erat peccatum posterorum: ergo peccatum Adæ fuit etiam peccatum posterorum, ab ipsis moralitèr in Adamo commissum. Minor probatur. Primò. Quia aliàs, vt dicebamus puncto superiori n. 493. Adam nunc iâ Beatus in celo verè ob suum peccatum puniretur in posteris grauissima illa pœna transfusionis ruinæ originalis: hoc autem pugnat cum summa Beatitudinis felicitate, à qua longe abesse debet omnis miseria, & malum cuiusuis pœnæ, & punitionis. Item Deus post pœnitentiam, & iustificationem Adæ, adhuc recordaretur iniquitatis eius, puniendo illam in posteris pœna dicta, contra promissionem Dei Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: ex quo loco probant communitèr Theologi, peccatori pœnitenti restitui omnem gratiam deperditam per peccatum, quia aliàs Deus semper recordaretur iniquitatis eius, puniendo ipsam priuatione gratiæ deperditæ: ergo dicta pœna transfusionis ruinæ originalis in posteres, correspondens merito peccati Adæ, non est pœna peccati Adæ, vt erat peccatum Adæ præcisè.*

§17 Secundò. Quia, si Adam obseruasset præceptum imposi-

tum.

tum, obseruantia talis præcepti, cui ex lege Dei annexa erat transfusio iustitiæ originalis in posteros, prout erat obseruantia Adæ præcisè, non mereretur dictam transfusionem iustitiæ originalis in posteros: ergo nec transgressio præcepti, cui ex eadem lege Dei annexa erat transfusio ruinæ originalis in posteros, prout erat transgressio Adæ præcisè, merebitur dictam transfusionem ruinæ originalis, atque a deo ista non erit pœna illius vt sic, præcisè. Antecedens probatur. Tam quia Adam poterat obseruare præceptum actu merè indifferente, non meritorio, sicut simili actu obseruantur alia præcepta similia; Deus enim præcepit præcisè obseruantiam eius, non vt faciendam actu meritorio, cum non sit fundamentum ad asserendum, Deum in hoc præcepto specialitèr voluisse, illud obseruari actu meritorio, quod non vult in alijs præceptis similibus: tunc autem obseruantia illa præcepti in Adamo non mereretur transfusionem iustitiæ originalis in posteros, sed esset solum conditio, vel occasio ex lege Dei, vt illa transfunderetur: ergo &c. Tum quia si obseruantia illa præcepti esset meritoria, haberet iam præmium suum gratiæ, & gloriæ, dandum ipsi Adæ, adæquatam merito eius: ergo transfusio iustitiæ originalis in posteros, esset supra meritum illius obseruantia, vt erat obseruantia Adæ præcisè, saltem condignum: imo & forsitan supra meritum congruum eius. Cum enim vis congruè meritoria eius obseruantia esset finita, & limitata, non videtur credibile, quod sufficeret ad congruè merendas tot iustitias originales, tot millionibus posterorum conferendas, præsertim si obseruantia illa esset actus remississimus, vt contingere potuit: ergo transfusio iustitiæ originalis in posteros non posset cadere sub meritum illius obseruantia, vt esset obseruantia Adæ præcisè.

§18 Et hic discursus applicari potest etiam ad peccatum Adæ. Nam huic peccato, vt erat peccatum Adæ præcisè, erat iam à Deo prædefinita pœna æterna adæquata merito eius, infligenda ipsi Adæ: ergo grauissima illa alia pœna transfusionis ruinæ originalis in posteros esset supra meritum eius peccati, vt erat peccatum Adæ præcisè, nec posset cadere sub illud; præsertim cum communiter receptum sit inter Doctores, peccatum mor-

rale non posse mereri omnem poenam possibilem, ob quod licet mereatur poenam eternam infinitam in duratione, non tamen meretur illam infinitam in intensione. Quod si dicatur, Deum non prædefiniuisse de facto poenam adæquatam merito peccati Adæ ut sic præcisè, sed aliquid eius quasi suspendisse, eo quod semper puniat Deus citra condignum, licet remuneret ultra condignum, ut dicunt Theologi. Concedam id libenter, sed dicam, non videri credibile, quod loco illius partis poenæ quasi suspende potuerit substitui poena illa gravissima transfusionis tot ruinarum originalium in tot milliones posterorum, in quos defacto transfunduntur. Vnde quando dicitur, peccatum Adæ meruisse transfusionem ruinae originalis in posteros, hoc intelligendum est de peccato Adæ, non ut erat peccatum Adæ, sed ut erat peccatum posterorum, ab ipsis in Adamo moraliter commissum; sic enim non erat unum, sed multiplex peccatum, moraliter loquendo, pro multiplicitate posterorum, & unumquodque ex illis potuit sufficienter mereri transfusionem unius ruinae originalis in suum posterum, cui correspondet.

§19 Probatur quintò. Peccatum habituale est ipsum peccatum actuale commissum præteritum, moraliter perseverans, ut ostensum est disp. 2. superiori cap. 3. punct. 1. nu. 338. sed peccatum originale est peccatum habituale: ergo est ipsum peccatum actuale commissum posterorum præteritum, moraliter perseverans: sed non est peccatum actuale, personaliter commissum à posteris, cum ipsi personaliter actu non peccaverint: ergo est peccatum ipsum actuale Adæ, ut commissum in ipso moraliter à posteris. Minor illa prior probatur. Tum quia peccatum originale est peccatum in nobis moraliter manens, transacto peccato, à nobis in Adamo moraliter commissum: ergo est peccatum habituale. Tum quia peccatum originale est peccatum denominans nos peccatores: non per modum actus, cum nos in instanti conceptionis non peccemus actualiter: ergo per modum habitus: ergo est peccatum habituale. Confirmatur. Nostre voluntates erant constitutæ in voluntate Adæ, & sic in illo commissimus idem illud peccatum actuale Adæ: sed illud peccatum, ut à nobis in illo commissum, nec est à Deo

con

condonatum, nec pro illo ut sic fuit condigne satisfactum sufficienter: ergo ut sic perseverat in nobis moraliter habitualiter: ergo est peccatum habituale.

§20 Probatur sextò. Peccatum originale in nullo alio consistere potest, ut patet ex impugnatione aliarum opinionum, & constabit amplius ex obiectionum solutione; & aliundè iuxta hunc discurrendi modum melius, & facilius intelliguntur, quæ ab Scriptura, Concilijs, & Patribus dicuntur de peccato originali: ergo &c.

§21 Inquires. Quid dicat peccatum Adæ ut proprium posterorum, & in ipsis moraliter habitualiter perseverans, eosque maculans, & inficiens, statimque generantur. Respondco, in primis peccatum Adæ ut proprium posterorum duo dicere, scilicet peccatum ipsum Adæ, & Decretum diuinum, quod Deus in voluntate Adæ constituerat posterorum voluntates in ordine ad observantiam, vel transgressionem præcepti impositi. Deinde idem illud peccatum, ut in posteris moraliter habitualiter perseverans, eosque maculans, & inficiens, statimque generantur, quinque dicere, sicut de peccato habituali personali diximus supra disp. 2. superiori cap. 3. punct. 1. num. 340. scilicet peccatum ipsum præteritum Adæ, ut à posteris moraliter commissum, actualem existentiam posterorum, carentiam satisfactionis condignæ, sufficientis ex se ad formaliter extinguendam culpam, carentiam condonationis diuinæ pro instanti generationis, & actualem existentiam instantis generationis, & aliorum, pro quibus non condonatur peccatum. Prima pars patet. Nam, duobus illis positis, peccatum Adæ censetur peccatum proprium posterorum; quolibet verò eorum sublato, tale non censeretur: ergo &c. Secunda pars constat ex dictis loco citato de perseverantia morali peccati habitualis personalis; eadem enim debet in hoc esse constitutio utriusque peccati habitualis, personalis, & originalis. Videantur ibi dicta. Iuxta quæ in præsentibus asserendum est, ex illis quinque, constituentibus peccatum originale ut constitutum à posteris, solum peccatum ut proprium posterorum constituitur illud in recto, alia verò quatuor constituitur illud in obliquo, ut dixi similiter de peccato habituali loco citato.

347

347. Et iuxta hanc doctrinam facile intelligitur, cur peccatum Adæ, ut commissum moraliter à posteris, non denominet istos peccatores, & infectos, antequam generentur; quia scilicet defunt duæ partes constitutiue talis denominationis, nempe actualis existentia posterorum, & existentia instantis generationis.

322

PUNCTUM III.

Contraria argumenta conuulsa.

§ 23 **O**bjicies primò. Tridentinum sess. 5. can. 3. ait, *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origines unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium &c.* sed peccatum illud Adæ non transfunditur propagatione, cum iam non sit; nec omnibus inest, cum sit extrinsecum posteris; nec est unicuique proprium, cum illud sit unum peccatum, atq; adeo non communicetur unicuique suum proprium peccatum: ergo peccatum originale non potest esse peccatum Adæ. Ante solutionem notandum est, in his verbis Tridentinum satis clare asserere, nostrum peccatum originale esse ipsum peccatum Adæ, cum de peccato ipso Adæ dicat, fuisse in posteros propagatione transfusum, inesse omnibus tanquam cuiusque proprium.

§ 24 Respondeo igitur, negans minorem. Nam primò, licet Adæ peccatum ut personale, & proprium Adæ iam non sit, perseverat tamen moraliter ut proprium posterorum, & ut sic propagatione transfunditur in posteros. Secundò, licet concederemus, tale peccatum esse extrinsecum posteris, adhuc dici posset inesse illis tanquam unicuique proprium, sicut vestis Petri dicitur inesse ipsi tanquam propria, licet ei extrinseca sit, malitia etiam peccati personalis dicitur inesse peccanti tanquam propria, licet sæpè extrinseca sit, iuxta dicta disp. 1. cap. 4. punct. 1. Sed, hoc non obstante, dici potest, tale peccatum esse moraliter, & æquivalentè intrinsecum posteris, licet phy-

physicè extrinsecum sit; quia, cum sit ab ipsis in Adamo moraliter elicitum, ita inficit, & maculat ipsos, ac si esset intrinsecum; sicut similiter dici solet de peccato habituali personali, quod licet sit extrinsecum physicè, ut pote iam non existens physicè, est tamen moraliter, & æquivalentè intrinsecum modo dicto. Tertiò, licet peccatum Adæ sit unum physicè, est tamen moraliter, & æquivalentè multiplex, ut dixi supra, & ideo unicuique generatione communicatur suum proprium peccatum, moraliter, & æquivalentè distinctum à peccatis aliorum: cum enim omnes, & singulæ posterorum voluntates, in Adamo constitutæ, moraliter commiserint tale peccatum, hoc non potest dici alienum, sed proprium cuiusque, utpote propria cuiusque voluntate commissum.

§ 25 Objicies secundò. Iuxta Tridentinum sess. 6. cap. 7. nullus extrinseca forma iustitiæ iustificari potest: ergo nec fieri peccator peccato Adæ physicè extrinseco. Reterqueo. Nullus potest iustificari sine forma positiva physica intrinseca: ergo nec reddi peccator sine forma positiva physica intrinseca, quod non concedent aduersarij, ponentes peccatum originale in macula morali, aut priuatione, & peccati actualis malitiam in denominatione extrinseca, vel priuatione. Respondeo igitur, negans consequentiam: Nam effectus formalis iustitiæ est physicus intrinsecus, effectus verò formalis peccati est moralis; plus enim requiritur ad bonum, quam ad malum, cum illud debeat esse ex integra causa, hoc verò possit esse ex quocunque defectu.

§ 26 Objicies tertio Sanctum Augustinum, tum lib. 2. de Nuptijs cap. 26. asserentem, *voluntarium hominis primi esse causam originalis peccati*: Tum in Enchiridion. cap. 43. dicentem, *in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, possunt intelligi plura peccata, si unum in sua quasi membra dividatur singula*: ergo nostrum originale non potest esse unum Adæ peccatum. Respondeo, negans consequentiam. Nam in primo testimonio Augustinus solum vult, voluntarium primi hominis esse causam originalis peccati, non efficientem, sed formalem. Vel si sermo sit de causa efficiente, vult S. Doctor, voluntarium Adæ ut personale ipsius fuisse quasi causam effici-

cientem nostri peccati originalis logicè, & in subsistendi consequentia, quia legitimè infertur, nos contrahere peccatum originale, quia præcessit voluntaria determinatio personalis Adæ ad peccandum, & non è conuerso: vel voluntarium Adæ etiam vt proprium posterorum, fuisse quasi causam efficientem meritoriam transfusionis nostri peccati originalis in instanti generationis, hanc enim meruimus, peccando in Adamo. Secundum testimonium verum est, & pro nostra sententia aperte facit, iuxta quam in illo peccato Adæ physicè vno, intelliguntur plura moralitèr peccata secundum pluralitatem posterorum, moralitèr committentium illud, in quæ quasi in sua membra moralitèr diuiditur.

§27 Obijcies quartò Anselmum de Concept. Virginis, & peccato originali, tum cap. 7. dicentem, *In Adam omnes peccauerunt, quando ille peccauit, non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus*: Tum cap. 25. asserentem, *Non portant (scilicèt infantes) peccatum Adæ, sed suum, nam aliud fuit peccatum Adæ, & aliud infantum, quia differunt, vt dictum est, illud enim fuit causa, istud effectus est*: ergo &c. Respondeo, negans consequentiam, Nam in primo testimonio non negat, nos in Adam moralitèr peccasse, sed negat solum, peccasse physicè, & personalitèr: quod patet, nam negat, peccasse, quia nondum tunc eramus, quod solum militat in peccato physico, & personali; & concedit, peccasse, quia de illo futuri eramus, quod sufficit ad moralitèr peccandum in capite. In secundo testimonio, cum dicit, aliud fuisse peccatum Adæ, & aliud infantum, non intelligit physicè, sed moralitèr, quia illud fuit personale, & physicum, hoc verò solum morale, & originale: vocat autem illud causam, & istud effectum modo superiùs dicto in solutione præcedentis obiectionis, respondendo ad primum Augustini testimonium. Constat hic sensus, nam verba illa, *vt dictum est*, referuntur ad dicta cap. 22. vbi Anselmus solum distinguit hæc peccata, quia vnum est personale, & propria voluntate physicè commissum, aliud verò moralitèr solum, & naturali necessitate contractū, his verbis, *Verum patet, magnam esse differentiam inter peccatum Adæ, & peccatum eorum, quia ille peccauit propria voluntate, di-*

uis

naturali peccant necessitate, quam propria, & personalis meruit eius voluntas.

§28 Obijcies quintò. Nostra sententia sapit errorem Pelagianorum; Pelagiani enim non negabant, actum peccaminosum Adæ esse nobis extrinsecum, & posse nos denominare: ergo falsa est nostra sententia. Verum Curiel, & Salneron citati aiunt, longe abesse nostram sententiam ab errore Pelagianorum: Pelagiani enim negabant, esse in nobis veram rationem culpæ originalis, aut peccatum aliquo modo nostrum, & proprium, contendentes, peccatum Adæ fuisse solum personale, & non nostrum, nihilque nobis nocuisse, nec propagatione, sed imitatione transfundi; nos autem concedimus veram rationem culpæ in nobis, & peccatum nostrum, & proprium, nobis plurimum nocens, ac propagatione, & non imitatione transfusum.

§29 Obijcies sextò. Si originale esset ipsum peccatum Adæ, cum hoc habuerit plures species malitiæ, scilicèt superbix, intemperantiæ, iniustitiæ, & inobedientiæ, essent in singulis posteris plura originalia; sed hoc est absurdum: ergo &c. Respondeo, supponi falsum, quod peccatum Adæ habuerit plures illas species malitiæ, solum enim habuit malitiam inobedientiæ, vt ostendemus infra. Si verò peccatum Adæ habuisset plures illas species malitiæ, neganda esset adhuc sequela; solum enim esset in posteris vnum peccatum originale, constans pluribus illis malitijs, sicut diceretur vnum peccatum personale Adæ cum illis malitijs.

§30 Obijcies septimò. Si originale esset ipsum peccatum Adæ, à posteris in ipso moralitèr commissum, moralitèr perseuerans, & existens postea, sequeretur, posteros ab illo, iam physicè præterito, denominari peccatores, maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina, etiam ante ipsorum generationem; quia ante istam moralitèr perseuerat, & existit tale peccatum vt proprium posterorum, cum vt sic non sit tunc à Deo condonatum, & consequentèr generationem non esse conditionem ad contrahendum originale: sed hoc est falsum, & contra Patres, & Theologos asserentes, posteros solum contrahere originale cum dictis denominationibus, quan-

ff

do

do generantur: ergo &c. Quod si dicatur, ante generationem posterorum non perseverare, & existere moraliter adæquatè peccatum Adæ ut proprium posterorum, quia tunc non est existentia posterorum, constituens moralem perseverantiam, & existentiam talis peccati ut sic, iuxta dicta punct. precedente nu. 321. Contra primò. Peccatum Adæ potuit denominare peccantes in Adamo posteros, nondum tunc physicè existentes: ergo potuit etiam postea denominare illos peccatores, maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina, licèt physicè nondum existerent; cur enim requiretur physica eorum existentia ad hanc denominationem, & non ad illam? Contra secundò. Si existentia posterorum physica esset constitutiva moralis perseverantiæ, & contractionis peccati Adæ ut nostri: ergo generatio posterorum, dans illis existentiam, erit etiam constitutiva illius, & non conditio solum; quod est contra communem Doctorum sensum.

§31 Respondeo, negans sequelam ob rationem traditam. Ad primam replicam, concessio antecedente, nego consequentiam. Nam licèt posteri, quando in Adamo peccarunt, non existent physicè, existebant tamen in illo tunc moraliter ratione Decreti diuini, quo cõstituti erant in illo in ordine ad peccandum, & facti erant moraliter vnus, & idem homo cum illo ut capite physicè existente, & ideo potuerunt tunc denominari moraliter peccantes in illo, ad quod satis fuit physica existentia capitis, cum quo erant moraliter vnus, & idem homo, & moralis existentia eorum in ipso: commisso verò, & transacto physicè peccato Adæ, vsque ad instans generationis, posteri nec physicè, nec moraliter existebant, quia moralis existentia posterorum in Adamo solum durauit vsque ad instans peccati Adæ commissi, eo quod Decretum diuinum solum fuit de constituendis posteris in Adamo vsque ad instans commissionis talis peccati, & non ultra, & sic non potuerunt tunc denominari peccatores vsque ad instans generationis, in quo incipiunt physicè existere.

§32 Ad secundam replicam respondeo, generationem non esse constitutiuam hominis, & existentiam eius, quia si homo diuinitus produceretur per creationem, ut multi possibile putant,

exi

existeret nihilominus a læquatè homo sine generatione: vnde licèt existentia posterorum sit constitutiva moralis perseverantiæ talis peccati, tamen generatio posset dici conditio solum requisita ad illam. Et quamuis generatio Bruti sit constitutiva Bruti, hoc ideo est, quia generatio Bruti est vnio formæ eius cum materia, ex qua vnione constituitur Brutum, ut ostendimus in physicis: generatio autem humana non est vnio animæ rationalis cum materia, sed productio talis vnionis, & sic non constituit hominem, sed producit vnionem constitutiuam eius; estque conditio requisita ad existentiam talis vnionis, & hominis.

§33 Instabis ex Peñalosa: ergo saltem in instanti, in quo physicè peccauit Adamus, fuerunt posteri maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, cum posteri tunc essent moraliter existentes, & moraliter concurrerint tunc ad peccatum Adæ, illudque tunc moraliter commiserint, quamuis nondum physicè existerent: sed hoc est falsum; cum Patres, & Theologi communiter asserant, posteros solum incipere maculari, & fieri Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina, cum generantur: ergo &c. Patet illa consequentia. Nam esse subiectum maculatum, Dei inimicum, & dignum odio, & indignatione diuina, comitatur necessario concursus ad peccatum in graue, & commissionem eius, ut patet in peccatis personalibus: ergo si in instanti, in quo physicè peccauit Adamus, posteri tunc moraliter existentes, moraliter tunc concurrerunt ad peccatum Adæ, illudque moraliter commiserunt, fuerunt tunc sine dubio maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina.

§34 Confirmatur. Quamuis in instanti peccati Adæ non existerent physicè posteri, tamen peccatum Adæ, ab ipsis, tunc moraliter existentibus, moraliter commissum, eos tunc denominauit in Adamo peccantes: ergo & denominauit eos tunc maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina. Patet consequentia. Tum quia non est, cur non existentia physica posterorum impediatur hanc denominationem, & non illam. Tum quia hæc denominatio est essentialiter annexa denominationi peccantis, ne dicam identificata cum illa. Tum

Efe

quia

quia denominatio, & effectus formalis impediri non potest; quando forma afficit subiectum: sed peccatum Adæ afficiebat iam tunc posteros, eos peccantes denominando: ergo non poterat tunc impediri illa alia denominatio dicta.

§35 Difficilis sane instantia, cui responderi debet, negando consequentiam. Ad probationem negari debet antecedens: Nam cum Scriptura Sacra doceat, posteros peccasse in Adamo, quod non potest esse aliud, ut vidimus, quam concurrisse cum illo ad peccatum, illudque commississe, & aliunde Patres, & Theologi dicant, posteros non tunc, sed in instanti generationis incipere maculari, & fieri Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina, esse maculatum, Dei inimicum, & dignum odio, & indignatione diuina non potest comitari concursum ad peccatum, & commissionem eius in peccato originali, licet comitetur illam in peccatis personalibus. Ex quo consequenter ad confirmationem neganda est consequentia: Nam ex memorata doctrina Scripturæ Sacræ, & Patrum, & Theologorum colligitur apertè, peccatum Adæ denominasse posteros peccantes, quando Adam peccauit, non verò maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina; ac proinde non existentiam physicam posterorum tunc impedisse has denominationes, & non illam, neque has denominationes esse annexas denominationi peccantis, neque peccatum Adæ, afficiens tunc posteros, affecisse in ipsis tunc subiectum capax dictarum denominationum ob defectum existentiæ physicæ eorum, sed denominationis solum peccantis, ideoque impediri illas, & non istam; satis enim vulgare est, vnam formam tribuere vnam denominationem, & non aliam, quando afficit subiectum capax vnius, & incapax alterius. Nec huius rei, & differentię maior desideranda est ratio, quam quæ ex doctrina Scripturæ Sacræ, Patrum, & Theologorum memorata deducitur, cum hoc sit mysterium peccati originalis, vnum ex magis arcanis, & inexplicabilibus mysterijs fidei, in quo oportet captiuare intellectum in obsequium fidei absque curiosa nimis inquisitione rationis eorum, quæ de ipso dicuntur, quam inuenire videtur ferè impossibile.

§36 Sed, hoc non obstante, placet proferre in presenti, quid nobis

nobis in re tam difficili dicendum occurrat. Fateor inprimis, tam denominationem peccantis, & committentis peccatum, quam denominationem maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, requirere personam existentem, siue physicè, siue moralitèr in alia persona physicè existente, cum qua sit moralitèr, & æquivalentèr vna, & eadem persona, eo quod transfusa sit eius voluntas in ipsam; si enim persona aliquo ex his modis non existat, non capio, qua ratione subire possit vllam ex his denominationibus.

§37 Deinde existimo, esse maximam differentiam inter denominationem peccantis, seu committentis peccatum Adæ, & denominationem maculati, inimici Dei, & digni odio, & indignatione diuina. Nam denominatio moralitèr peccantis, seu committentis peccatum, cadens in posteros, est omnino indiuisibilis, & inseparabilis à denominatione physicè peccantis, seu committentis peccatum, cadente in caput eorum, scilicet Adamum, & ab ea quasi dependens in existendo; quia posteri nec possunt, nec potuerunt dici moralitèr peccantes, nisi peccante physicè capite, & quando caput physicè peccabat, licet enim posteri, quando existunt postea, dicantur peccasse in capite, non tamen dicuntur tunc peccare in illo de præsentis, sed peccasse de præterito, quando caput physicè peccauit de præsentis: Denominatio verò maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, cadens in posteros, est diuisibilis, & separabilis à denominatione maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, cadente in caput, & ab ea independens in existendo; quia nunc posteri dicuntur maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, quando caput iam non est maculatum, Dei inimicum, nec dignum odio, & indignatione diuina, sed sanctum, amicum, & dilectum Dei in cælo, sicque non habent denominationem hanc in capite, sed in se ipsis præcisè, independentèr à capite.

§38 Ex quo ad solutionem instantiæ inferre licet, per transfusionem nostrarum voluntatum in caput non fuisse posteros moralitèr existentes in capite, physicè existente, nec vnum moralitèr cum ipso in ordine ad denominationem maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, quam non ha-

habent posterius in capite, sed in se ipsis præcisè, diuisim, & separatim à capite, & omnino independentè in existendo à simili denominatione, residente in illo; sed esse solum moralitèr existentes in capite, physicè existente, & moralitèr vnum cum ipso in ordine ad denominationem peccantis, seu committentis peccatum eius, quam habent in capite, indiuisibilitèr, & inseparabilitèr à denominatione physicè peccantis, residente in ipso, & quasi dependentèr ab illa: non enim videntur, posse esse moralitèr existentes in capite, & moralitèr vnum cum ipso in ordine ad denominationem, quam non habent in capite, sed in se ipsis præcisè, diuisim, & separatim à capite, & independentèr à simili denominatione, residente in illo, sed solum in ordine ad denominationem, quam habent in capite, indiuisibilitèr, & inseparabilitèr à simili denominatione, residente in illo, & quasi dependentèr ab ipsa. Vnde existentia physica capitis, cum quo posterius facti sunt moralitèr vnum in ordine ad peccatum, non sufficit, vt posterius recipiant à peccato illo denominationem maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina.

§39 Hinc consequenter fit, peccatum Adæ potuisse denominare posteros moralitèr peccantes, seu committentes illud, quando caput peccauit, quia tunc existebat physicè caput, cum quo posterius erant moralitèr vnum, & moralitèr existentes in ipso in ordine ad denominationem peccantis, seu committentis illud; non tamen potuisse tunc denominare illos maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina, quia cum non essent tunc physicè, imo nec moralitèr existentes in capite, nec moralitèr vnum cum ipso in ordine ad hanc denominationem, erant omnino incapaces tunc talis denominationis ob defectum existentia. & vnitatis moralis cum illo.

§40 Et iuxta hanc doctrinam ad instantiam in forma nego consequentiam: non enim fuerunt tunc posterius maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina in instanti, in quo physicè peccauit Adamus, quamuis moralitèr commisserint cum illo peccatum, quia nec physicè, imo nec moralitèr erant existentes in illo in ordine ad talem denominationem, vt dictum est. Ad probationem distinguo antecedens, esse subie-

ctum

ctum maculatum, Dei inimicum, & dignum odio, & indignatione diuina, comitatur necessario concursum ad peccatum graue, & commissionem eius in peccato personali, in quo peccans physicè existit, concedo; in peccato originali posterorum, in quo, quando committebatur, non erant adhuc moralitèr existentes posterius in ordine ad talem denominationem, vt dictum est, nego. Et nego consequentiam: Nam licet posterius in instanti peccati Adæ essent moralitèr existentes in illo in ordine ad denominationem peccantis, non erant tales in ordine ad denominationem maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, vt declaratum est.

§41 Ad confirmationem, concesso antecedente, nego consequentiam ob differentiam supra assignatam vtriusque denominationis. Ad primam probationem patet ex dictis, cur non existentia physica posterorum impediatur vnam denominationem, & non aliam. Ad secundam probationem nego antecedens: Nam denominatio maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, non erat annexa denominationi moralitèr peccantis in peccato originali posterorum ob rationem supra assignatam, quamuis annexa sit in peccato personali; & multo minus erit identificata cum illa, nam hæc denominatio moralitèr peccantis solum dicit concursum morale posterorum ad peccatum Adæ, illa verò alia denominatio præter hunc concursum morale dicit vlteriùs existentiam posterorum, quæ non erat tunc adhuc moralitèr in ordine ad talem denominationem, vt dictum est. Ad tertiam probationem distinguo maiorem, denominatio impedi non potest, quando forma afficit subiectum capax talis denominationis, concedo; quando forma afficit subiectum incapax eius, nego. Deinde distinguo minorem, peccatum Adæ afficiebat iam tunc posteros, capaces denominationis peccantis, & incapaces denominationis maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, eo quod moralitèr existerent in Adamo in ordine ad illam, & non in ordine ad istam, concedo; capaces vtriusque denominationis, nego, & nego consequentiam.

§42 Nec refert primò, videri impossibile, quod in instanti generationis posterorum, in quo peccatum Adæ vt capitis erat

iam

iam præteritum, & solum habitualiter existens, denominet illos maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina, & quod non denominet illos tales in instanti peccati Adæ, in quo peccatum erat actu existens, & præsens. Hoc enim non est impossibile, vt declaratum est, sed est vna ex grauissimis difficultatibus, quas continet hoc tam arcanum mysterium de peccato originali, in cuius difficultatibus oportet sæpè captiuare intellectum in obsequium fidei, vt dictum est. Nec refert secundo, quod Deus odio habebat peccatum Adæ præsens, etiam vt à posteris commissum: ex quo necesse erat etiam, propter illud odio habere personas posterorum, tunc moraliter committentes ipsum: quod non esset, se posteris tunc non essent odio digni. Nam licet Deus odio haberet tunc peccatum Adæ præsens in se, & propter se, etiam vt commissum à posteris, tamen propter illud non habebat odio tunc posteros, ipsum committentes, quia non erant tunc illo maculati, & odio digni, vt ostensum est: sicut similiter Deus odio habet actus indeliberatos odij Dei, blasphemiarum, & similes, inseparabiliter malos, etiam vt elicitos à persona, quin propter illos odio habeat personam, ipsos elicientem.

§ 43 Adde aliam rationem confirmantem, ad denominationem maculati, Dei inimici &c. non sufficere existentiam moralem posterorum in capite, sed requiri vterius existentiam physicam ipsorum in se per generationem. Etenim, cum denominatio dicta maculati, Dei inimici &c. afferat secum poenaltates, & miseras, subsequentes peccatum originale, scilicet priuationem gratiæ, & amicitie Dei, ac visionis Beantis, mortalitatem, rebellionem appetitus contra rationem, & similes, solum cadere potest in subiectum capax præfatarum poenaltarum, & miseriarum: sed posteris, physicè non existentes in se, sed moraliter solum in capite, non sunt capaces earum: ergo nec dictæ denominationis maculati, inimici Dei &c. Minor probatur. Et imprimis de mortalitate, & rebellionem appetitus contra rationem patet. Nam posteris, solum quando physicè existunt, iam generati, possunt esse capaces moriendi, & in eisdem solum vt talibus potest appetitus rebellare, & operari contra rationem. Deinde de priuatione gratiæ, & amicitie Dei,

Dei, ac visionis Beantis constat. Nam priuatio harum perfectionum requirit subiectum capax, & potens possidere illas: sed posteris, physicè non existentes in se, sed moraliter solum in capite, non sunt capaces, nec possidere possunt dictas perfectiones, vt liquet: ergo nec priuationem earum. Vnde in posteris, moraliter solum existentibus in capite, negatio potius, quam priuatio esset dictarum perfectionum pro eo statu. Et hæc in re tam obscura, & difficili discurre, sufficiat.

§ 44 Inquires. An saltem potuerint posteris dici peccatores, quando peccauit Adam, sicut dicebantur peccantes in illo. Respondeo, si nomen peccatoris sumatur strictè pro persona infecta peccato, non potuisse dici tunc posteros peccatores; potuisse verò dici tales, si nomen peccatoris latius, & vniuersalius sumatur, tam pro persona infecta peccato, quam pro persona peccante præcisè, etiam si peccato infecta non sit.

CAPUT IV.

Aliqua dubia resoluntur.

§ 46 Statuta existentia peccati originalis, eiusque constitutio suo, resoluenda sunt aliqua dubia occurrentia, scitu digna, tum circa Decretum diuinum transfundendi gratiam, vel peccatum in posteros, tum circa conditionem, requisitam ad transfusionem peccati, tum circa personam, transfundentem peccatum, tum circa peccatum ipsum, in posteros transfusum. De poenis autem peccati originalis alibi tractandum est expresso, nunc verò sufficiat, eas breuiter recensere, asserendo, poenas eius esse priuationem gratiæ, & scientiæ infusæ ab instanti Conceptionis, mortalitatem cum aptitudine ad morbos, & alias huius vitæ ærumnas, rebellionem appetitus contra rationem, & similia mala, quæ nunc patimur ob peccatum originale, & in altera vita poenam damni, consistentem in priuatione visionis Dei.

Duo dubia circa Decretum transfusionis.

§ 48 Certum est, ex dictis, ad transfusionem gratiæ, vel peccati in posteros requiri in Deo aliquam ordinationem, seu decretum, quo voluit Deus constituere Adamum caput morale posterorum, collocando horum voluntates in voluntate illius in ordine ad observantiam, vel transgressionem præcepti impositi, ut si Adam observaret præceptum, transfunderet in posteros iustitiam originalem, si verò transgrederetur illud, transfunderet in illos peccatum originale cum carentia iustitiæ originalis.

§ 49 Hinc oritur primum dubium. An ad id fuerit necessarium, vel saltem extiterit defacto proprium pactum Dei cum Adamo circa talem transfusionem, quo Deus haberet decretum talis transfusionis, dependens ex se à consensu, & acceptatione Adæ, prout necesse esset ad pactum proprium. Prima opinio affirmat Ita Catherinus opusc. de peccato originali, Granada libell. de Concept. disp. 1. cap. 3. idem supponere videntur Vega lib. 2. in Trident. cap. 2. & Scotus in 2. dist. 32. q. 1. in solut. 3. argum. Secunda opinio negat. Ita Sotus 1. de natura, & gratia cap. 10. Salas in 1. 2. tract. 11. disp. 11. sect. 5. Zumel q. 81. art. 1. disp. 2. concl. 2. Curiel dub. 2. §. 6. Quiedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 5. Arriaga in 1. 2. disp. 51. sect. 3. subsect. 2. à nu. 27. & alij apud istos.

§ 50 Censeo primò. Ad talem transfusionem nec fuit necessarium, nec extitit defacto pactum proprium Dei cum Adamo. Prima pars probatur ex supremo dominio Dei in Adamum, & posteros, ratione cuius poterat independentèr à consensu, & acceptatione Adæ, ipsum sua lege obligare, & in ipso constituere posterorum voluntates: ergo tunc independentèr à consensu, & acceptatione Adæ, hoc peccante, peccarent posteri, & iustitiam originalem amitterent: ergo transfunderetur pec-

catum independentèr à pacto Dei cum Adamo, quod sine dependentia à tali consensu, & acceptatione Adæ esse non posset. Confirmatur primò. Voluntates posterorum constitutæ sunt defacto in Adamo independentèr à consensu posterorum: ergo & potuerunt ita constitui independentèr à consensu Adæ. Patet consequentia. Nam si talis voluntatum constitutio deberet ab aliquo consensu dependere, is deberet esse consensus posterorum. Confirmatur secundò. Respublica constituit sæpè voluntatem Minoris in voluntate Tutoris, non consentientis, imò & renuentis, l. 1. ff. de administrat. Tutor. & l. 6. ff. de Tutorib. & Curatorib. dandis: ergo potiori iure posset Deus suo altiori dominio constituere voluntates posterorum in voluntate Adæ sine huius consensu, & independentèr ab ipso.

§ 51 Secunda pars probatur. Ut detur proprium pactum superioris cum inferiori, non sufficit, quod lex, aut voluntas superioris acceptetur ab inferiori, nisi illa feratur à superiori dependentèr ex se à tali acceptatione, sine qua non posset fortiri effectum: sed quamvis lex transfusionis concedatur defacto acceptata ab Adamo, tamen non fuit lata dependentèr à tali acceptatione Adæ, ita ut sine illa non posset fortiri suum effectum: ergo talis lex fuit defacto sine proprio pacto Dei cum Adamo. Minor probatur. Dependencia huius legis ab acceptatione Adæ, neque ex Scriptura Sacra, neque ex ratione deduci potest, præsertim cum Deus alias leges ferre soleat independentèr ab acceptatione hominum: ex Scriptura namque ad summum deduci potest, legem illam transfusionis fuisse defacto manifestatam Adæ, & ab ipso forsan acceptatam, non verò fuisse dependentem ex se ab acceptatione Adæ, ita ut sine ea non posset fortiri suum effectum: ergo sine fundamento asseritur talis dependentia.

§ 52 Obijcies primò. Lex illa transfusionis dicitur pactum in Scriptura, Genes. 17. & Osee 6: ergo fuit proprium pactum; verba namque Scripturæ accipienda sunt in propria significatione, si commode fieri possit. Respondeo, ibi pactum sumi, non strictè, & propriè, sed late pro præcepto Adæ imposito; sæpè enim in Scriptura præcepta Dei significantur nomine

facti. Nec potest ibi pactum sumi in propria, & stricta significatione, quia ferre legem cum pacto proprio, est valde alienus à modo, quo utitur Deus in ferendis legibus.

§ 53 Obijcies secundò. Si non esset pactum, non posset intelligi, quomodo, peccante Adamo, peccauerint posterius, & quomodo damnum posterorum imputari potuerit Adæ: ergo &c. Respondeo, negans antecedens. Nam primum rectè intelligitur per Decretum diuinum præcisè constituendi voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi absque ullo pacto: nam, stante hoc decreto, censerentur posterius moralitèr committere peccatum Adæ. Secundum etiam rectè intelligitur ex eo præcisè, quod Adæ fuerit manifestatum defacto tale damnum; sic enim peccauit Adam cum præuisione damni posterorum futuri ex suo peccato, atque adeo tale damnum debet Adæ peccanti imputari.

§ 54 Obijcies tertio. Defacto initum est pactum cum Adamo pro se, ut patet ex Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: ergo & pro posteris. Respondeo, negans antecedens: Nam verba illa non continent pactum proprium, sed legem diuinam prohibentem comestionem sub pœna mortis, à consensu Adæ independentem ex se.

§ 55 Obijcies quarto. Adam reuelatione cognouit, se esse humani generis caput morale: ergo cognouit pactum. Respondeo, negans consequentiam: Nam Adam potuit esse caput morale per solam voluntatem diuinam constituendi posterorum voluntates in ipso, independentem ex se ab acceptatione Adæ, & sic potuit cognoscere, se esse caput morale, quin cognosceret pactum.

§ 56 Obijcies quinto. Deus intimauit Adæ suum præceptum: ergo consensit, & acceptauit Adam tale præceptum: sed hoc non potest esse sine pacto saltem implicito: ergo &c. Confirmatur. Peccatum Adæ fuit grauius ex nocumento posteris illato: ergo peccauit Adam præuidens, & intendens implicitè tale nocumentum: ergo habuit consensum implicitum in illud: ergo fuit pactum de facto. Respondeo, distinguens antecedens, Deus intimauit Adæ suum præceptum, dependens ex se ab

acceptatione Adæ, nego: independentem ex se ab illa, concedo. Et distinguo consequens, consensit, & acceptauit Adam tale præceptum, consensu, & acceptatione, contingentèr habita ab ipso præter exigentiam præcepti, concedo; consensu, & acceptatione, quam exigeret ex se præceptum, nego. Et nego minorem. Ad confirmationem, concessio antecedente, & prima, & secunda consequentia, nego tertiam: Nam talis consensus fuit per accidens, & præter exigentiam præcepti, & ordinationis diuinæ.

§ 57 Secundum dubium. An ad transfusionem originalis fuerit necessarium, manifestare Adæ legem diuinam transfusionis, vel saltem defacto ea manifestata fuerit ipsi. Prima opinio affirmat. Ita Curiel q. 81. art. 1. dub. 2. §. 7. vers. *ultimum est, requirit*, Salazar de Concept. Virginis cap. 1. §. 7. à nu. 43. Montanos 1. 2. disp. 81. art. 2. q. 6. Secunda opinio negat necessariam talem manifestationem, affirmat tamen, eam defacto extitisse. Ita Vasquez in 1. 2. disp. 132. cap. 1. in fine, Tannerus de Peccatis disp. 4. q. 7. dub. 1. num. 171. Basilius Legionensis in controuersijs relect. 3. in fine, & alij, quos refert, & sequitur Quiedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 3. à nu. 45.

§ 58 Censeo secundò. Non fuit necessarium, ut Deus eam legem transfusionis manifestaret Adæ, eam tamen manifestauit defacto. Secunda pars patet. Tum ex illo Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: quæ verba dicta esse pro Adamo, & posteris, est communis Doctorum sensus. Tum quia peccatum Adæ grauius fuit ex nocumento, nobis illato, quod non ita esset, nisi Adam peccasset cum notitia talis nocumenti. Tum quia congruum fuit, ut ea lex Adæ manifestaretur, ut magis à peccando retraheretur.

§ 59 Prima pars probatur. Ignorante Adamo legem transfusionis, posset Deus uti suo dominio, constituendo voluntates posterorum in Adami voluntate in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi; hæc enim constitutio voluntatum non penderet à dicta manifestatione, sed à sola voluntate Dei supremi Domini: hoc autem sic factò, peccante Adamo, sine dubio peccarent posterius cum ipso, & in eos peccatum transfunderetur: ergo ad hanc transfusionem opus

non fuit, manifestare Adamo legem transfusionis. Confirmatur. Si ad hanc transfusionem esset necessarium, manifestari Adæ legem transfusionis, maximè ut Adam consentiret in illam: sed Adamum consentire, non fuit necessarium, ut probatum est: ergo nec manifestari ipsi legem transfusionis. Verum tamen est, quod in dicto casu non posset Adæ imputari damnum posterorum.

§60 Obijcies primò. Si Adæ esset ignota dignitas capitis moralis, esset etiam ipsi ignotum peccatum, ut est capitis: ergo peccatum eius non esset peccatum capitis formalitèr, sed personæ private: ergo tale peccatum non transfunderetur in posterum. Respondeo, negans utramque consequentiam: Nam licèt Adam ignoraret suam dignitatem capitis, & peccatum suum esse peccatum capitis, adhuc posset ipse esse caput ex sola voluntate diuina, alligante ipsi posterorum voluntates independentèr a notitia Adæ, & sic peccatum eius esset in re peccatum capitis, & transfundendum in posterum, licèt non imputaretur ipsi, ut esset peccatum capitis, & ut transfundendum in posterum.

§61 Obijcies secundò. Peccatum originale est priuatio iustitiæ originalis debitæ posteris: at iustitiam originalem esse debitam posteris, non potest provenire, nisi ex præcepto, obligante Adamum ad transfundendam illam: ergo Adamus fuit obligatus præcepto diuino ad transfundendam posteris iustitiam originalem: sed ut præceptum obliget, debet manifestari: ergo necessaria fuit manifestatio talis transfusionis. Respondeo maiorem esse falsam, ut ostensum est supra cap. 3. punct. 1. à nu. 493. Ea tamen permissa, nego primam minorem: Nam iustitiam originalem esse debitam posteris, poterat sufficientèr provenire ex præcepto non comedendi de fructu arboris interdictæ, & ex voluntate diuina, annectente transfusionem iustitiæ originalis obseruationi talis præcepti absque præcepto transfundendi illam, (quidquid sit, utrum defacto extiterit tale præceptum transfundendi, nec ne:) Nam eo ipso quo transfusio iustitiæ originalis esset annexa obseruationi præcepti, & hæc obseruatio debita esset, intelligeretur debita posteris iustitiæ originalis. Unde licèt concederetur, Adamum defacto

fuisse

fuisse præcepto obligatum ad transfundendam iustitiam in posterum, atque adeo fuisse ei defacto manifestatam talem transfusionem, id tamen non fuit necessarium, ut ea transfunderetur in posterum.

§62

PUNCTUM II.

Quatuor dubia circa conditionem requisitam ad transfusionem peccati.

§63 **C**onditio requisita ad transfusionem peccati originalis est generatio naturalis, facta virtute seminis, decisi ab Adamo mediatè, vel immediatè, Deus enim defacto dignitatem capitis moralis adiunxit dignitati capitis physici, ita ut solum sic Adamus caput morale eorum, quorum est caput physicum immediatè, vel mediatè.

§64 Hinc tertium dubium est. An hæc generatio debeat esse naturalis virtute seminis decisi, an verò sufficiat quælibet alia generatio. Prima opinio negat. Ita Enriquez quæstib. 1. q. 21. & Altiſiodorensis lib. 2. tract. 27. c. 3. ad 2. Secunda opinio communis Theologorum affirmat.

§65 Censeo tertio. Hæc generatio debet esse naturalis virtute seminis decisi. Probat ex Trident. sess. 6. cap. 3. asserente, homines non nascituros iniustos, nisi ex semine Adæ prognati nascerentur. Ex quo fit, quod licet Heua formaretur ex costa Adæ post peccatum, vel aliquis homo ex semine ut materia fieret miraculosè, & non virtute naturali seminis, non contraheret peccatum originale; quia non procederent ab Adamo virtute naturali seminis decisi, & communi lege. Si vero miraculum solum esset in antecedentibus, quibus positus, virtute naturali seminis sequeretur generatio, ut contingit, quando Deus steriles reddit fecundos, filius genitus contraheret originale. Idem esset in homine genito ex semine alterius hominis immisso in vas naturale opera dæmonis incubi, quia talis homo gigneretur vi naturali seminis, ab Adamo mediata decisi.

§66 Quæst

- §66 Quartum dubium. An si mulier, ab Adamo descendens, conciperet ex viro, non descendente ab illo, sed à Deo miraculosè formato, filius genitus contraheret originale. Prima opinio negat, quam probabilem censet Suares apud Quiedo in 1.2. tract. 6. controu. 9. punct. 10. nu. 77. eo quod iuxta Aristotelem mulier non concurrat a stiuè ad generationem. Secunda opinio affirmat, quam probabiliorem iudicant Suarez, & Quiedo citatus. Tercia opinio sentit, non contracturum originale, siue mulier concurrat a stiuè, siue passiuè tantum ad generationem. Ita nonnulli recentiores.
- §67 Censeo quartò cum Quiedo citato. Filius, sic genitus, non contraheret originale, attenda lege transfusionis, defacto existente. Probat. Attenta hac lege, solum contrahere debent originale filij, tali lege comprehensi: sed filius genitus ex Patre, non descendente ab Adamo, non esset comprehensus tali lege: ergo non contraheret originale. Minor probatur. Talis lex solum comprehendit filios, defacto extituros: sed filius, genitus ex Patre, non descendente ab Adamo, non est defacto extiturus: ergo non potest esse tali lege comprehensus. Vtrum verò, si talis filius esset futurus, Deus haberet aliam vniuersaliorum legem, comprehendentem talem filium, quis diuinitabit?
- §68 Quintum dubium. An generatio, requisita ad contractionem originalis, debeat esse posterior, vel saltem non prior peccato Adæ, ita quod si Adam genuisset filios ante peccatum, isti non contraherent originale. Prima opinio absolutè affirmat. Ita Medina, Mōtesino: supracitatus dub. 2. art. 4. q. 19. Arriaga in 1.2. disp. 50. sect. 3. subsect. 2. Secunda opinio ait, si filij geniti ante peccatum Adæ, essent adhuc infantes, postea in instanti peccati Adæ contracturos originale, secus verò, si tunc essent iam adulti. Ita Vasquez in 1.2. disp. 133. cap. 3.
- §69 Censeo quintò. Tales filij, geniti ante peccatum Adæ, non contraherent originale, siue essent infantes, siue adulti, postea in instanti peccati Adæ. Probat. primò. Originale solum contrahitur per generationem, immediatè, vel mediatè procedentem ab Adamo infecto, & peccatore: sed tales filij per suam generationem non procederent ab Adamo infecto, & peccatore, sed adhuc tunc innocente: ergo non contraherent

- originale. Probat. secundò. Tales filij contraxissent iam ab Adamo iustitiam originalem in instanti generationis: ergo non contraherēt postea originale; decretum namque diuinum transfusionis solum continebat vnicam transfusionem, vel iustitiæ, vel peccati in instanti generationis. Imo addo, quod si Adam ante peccatum accessisset ad Heuam, & ante foetus animationem peccasset, proles in instanti animationis non contraheret originale: quia cum semen non esset deriuatum infectum, & aliudè Adam, post semen immissum, nullam nouam actionem haberet in prolem in animatione, semper verificaretur, prolem illam non procedere ab Adamo infecto, sed innocente.
- §70 Hinc inferre licet cum Arriaga in 1.2. disp. 50. sect. 3. subsect. 2. quod si filij, ab Adamo geniti ante peccatum, post peccatum Adæ generarent alios filios, isti non contraherēt originale. Nam, vt posterì contrahant originale, debent immediatè, vel mediatè esse ab Adamo infecto, & peccatore: sed isti filij mediati Adæ non essent ab Adamo infecto, & peccatore, sed iusto: ergo non contraherent originale in generatione. Minor probatur. Causa mediata non dicitur causare effectum mediatum, nisi præcisè ratione influxus, quem habuit in causam eius immediatam, post hanc enim causatam nullum habet influxum nouum in effectum mediatum: sed filij immediati non fuerunt causati ab Adamo infecto, & peccatore: ergo nec dicti filij mediati. Et quamuis in instanti generationis istorum esset iam Adam infectus, & peccator, hoc tamen merè materialitè, & per accidens se habet respectu generationis eorum, vt liquet.
- §71 Hactenus dicta in hoc dubio, procedunt, permittendo, contingere potuisse, quod Adam gigneret filios ante peccatum, & postea peccaret; quamuis existimem, hunc casum contingere non potuisse, iuxta præsentem Dei ordinationem: Nam decretum Dei erat, vel de transfundendo vniiformitèr in omnes filios, & posteros Adæ, ex eius semine nascituros, iustitiam originalem, si ille præceptum obseruaret, vel de transfundendo vniiformitèr noxam originalem in omnes illos, (excepta Deipara,) si ille transgrederetur præceptum: ergo si Adamus semel transfunderet iustitiam originalem in aliquem filium,

lium, genitum ante peccatum, deberet etiam eandem transfundere in alios omnes, à se postea gignendos filios: ergo opus esset, ut eam perpetuo retineret sine peccato, ut posset eam in eos omnes transfundere.

§72 Sextum dubium. An generatio ita sit conditio requisita, ut Adam, vel alius homo non posset constitui caput morale hominum, si non esset principium, & caput physicum simul eorundem per generationem. Prima opinio absolutè affirmat. Ita Zamel de peccatis q. 81. art. 1. disp. 2. dicto 4. dubij annexi, Montefinos art. 4. q. 9. Curiel art. 1. dub. 1. §. 6. Turrianus opusc. de peccat. origin. disp. 4. dub. 5. & alij. Secunda opinio absolutè negat. Ita Catherinus opusc. de Peccat. orig. cap. 8. Basilus Legion. lib. 1. variar. relect. 3. Gaspar Hurtado de peccatis disp. 7. diff. 9. apud Quiedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 3. n. 16. Tertia opinio ait, posse constitui caput morale hominum, non descendantium ab ipso, si infantes sint, non verò si sint adulti. Ita Granada de peccatis controu. 6. tract. 8. disp. 4. sect. 4. cum alijs, quos sequitur Quiedo citatus nu. 19.

§73 Censeo sextò. Posset Adam, vel alius homo constitui caput morale respectu infantium, ab ipso non descendantium per generationem, non verò respectu adultorum, siue isti descendant ab illo per generationem, siue non; & consequenter generatio non est conditio essentialiter, & ex natura rei ad id requisita, licet defacto requisita sit ex ordinatione diuina. Prima pars probatur. Deus independentè à conditione generationis habet supremum dominium voluntatis infantium, & aliundè, cum isti non habeant dominium liberum suæ voluntatis, ipsorum gubernatio Deo supremo gubernatori competere debet: ergo posset Deus eorum voluntates collocare in voluntate Adæ, vel alterius hominis, licet ab eo non descenderent per generationem: ergo contraherent ex illo originale independentè à generatione. Confirmatur. Potestas Dei collocandi voluntates infantium in voluntate alterius, non provenit à generatione, & processione illorum ab ipso, sed à supremo Dei dominio, quod æqualiter habet Deus in infantes procedentes, & non procedentes: quod declarari potest
exemp

Exemplo Reipublicæ, quæ collocare potest voluntatem pupilli in voluntate Tutoris, à quo non procedit per generationem, cum tamen dominium Reipublicæ sit longe minus dominio Dei: ergo &c.

§74 Secunda pars constat. Tum quia non videtur consonum legi æquitatis, ut voluntas hominis, habentis suæ voluntatis dominium, constituatur in voluntate alterius sine ipsius consensu, & ipso renuente, præsertim ad effectum reddendi illum maculatum, & inimicum Dei: ergo &c. Tum quia aliàs contingere posset, ut dum caput morale peccaret, adultus, constitutus in eius voluntate, exerceret feruentissimos charitatis actus, per quos iustificaretur, sicque esset simul iustus, & peccator ratione peccati capitis, imò inuitus tunc peccaret in capite; quod est absurdum: ergo &c.

§75 Obijcies primò. Contrarium supponere videntur Patres, & Doctores, dicentes, non contracturum peccatum hominem, qui ab Adamo non descenderet: ergo &c. Respondeo, loqui defacto ex vi præsentis ordinationis diuinæ.

§76 Obijcies secundò. Homines, ab Adamo non descendentes, non possent dici contineri in illo tanquam in capite, & causa generationis: ergo nec possent peccare in illo. Respondeo, distinguens primam antecedentis partem, non possent dici contineri moraliter in illo tanquam in capite morali, nego; physicè tanquam in capite physico, concedo. Et concessa secunda antecedentis parte, nego consequentiam.

§77 Obijcies tertio. Peccatum debet esse voluntarium peccanti, vel in propria voluntate, si sit personale, vel in voluntate Progenitoris, si sit originale: ergo &c. Respondeo, negans antecedens: satis enim est, quod sit peccanti moraliter voluntarium in alio physicè peccante, cui alligata est voluntas illius, licet Progenitor non sit.

§78 Obijcies quarto. Peccatum originale hominis debet esse poena capitis, à quo originem trahit: sed caput non potest dici puniri in homine, qui nihil illius est, eo quod ab illo non procedat: ideo enim dicitur Pater puniri in Filijs, quia Filijs aliquid eius sunt: ergo &c. Respondeo, maiorem esse falsam. Ea tamen permessa, nego minorem: Nam licet homo, originaliter

peccans, non procedat á capite morali, adhuc tamén potest dici, esse aliquid eius moralitèr ex vi decreti, quo voluntas originalitèr peccantis, commissa, & alligata est voluntati capitis morali, & vna, & eadem voluntas moralitèr cum ipsa, & sic potest caput morale quodammodo puniri in ipso.

PUNCTVM III.

Dubium unicum circa personam, transfundentem peccatum.

§80 **S**eptimum dubium. A qua persona deriuetur defacto, vel deriuandum foret originale in posteros Adæ. Prima opinio ait, Adamo, & Heua non peccantibus, sed aliquo eorum filio, ex hoc deriuandum fore peccatum in alios filios. Citatur Scotus in 2. dist. 32. art. 2. q. 1. ad argumenta vltimæ quæstionis. Secunda opinio docet, Adamo non peccante, sed sola Heua, ex hac deriuandum originale in posteros. Citatur Anselmus de pecc. orig. cap. 9. Tertia opinio asserit, ab Adamo, & Heua simul deriuari defacto originale in posteros. Ita Palacios in 2. dist. 3. q. 1. & Vasques in 1. 2. disp. 133. cap. 3. ait, partem negantem non esse certam. Quarta communis Theologorum opinio sentit, à solo Adamo deriuari in posteros defacto originale ex vi præsentis decreti, ita vt neque ab alijs filijs, neque ab Heua deriuari possit ex vi dicti decreti.

§81 **C**enseo septimò. Quarta hæc opinio est vera. Probatu primò. Transfusio originalis pendet ex decreto diuino, & sic in hoc negotio non est asserendum, nisi quod constat ex Scriptura, Concilijs, & Patribus: sed in his solum fit mentio de Adamo, & non de filijs, aut de Heua; illi soli tribuitur amissio nostræ iustitiæ, solus ille dicitur humani generis caput: ergo ex solo Adamo deriuari poterat in posteros originale. Minor probatur. Tum ex Scriptura, Ad Roman. 5. asserente, per vnum hominem, scilicet Adamum intrasse peccatum, & mortem in mundum, & in omnes homines pertransisse, in Ada-

mò omnes peccasse, per vnius inobedientiam peccatores constitutos esse multos, vnius delicto multos mortuos esse; & 1. ad Corint. 15. in Adam omnes mori &c. Tum ex Trident. & Patribus absolutè dicentibus, Adamum sibi, & nobis iustitiam amississe, nulla facta mentione Heuæ, aut filiorum: ergo &c.

§82 **P**robatu secundò, discurrendo per singulas opinionis partes. Et primo de Filijs Adæ: Nam ex nullo capite constat, decretum diuinum de causa transfusionis peccati extensum fuisse ad filios Adæ, hosque constitutos esse caput morale posterorum. Secundò de Heua sola. Nam si Heua sola posset transfundere originale, cum eius peccatum fuerit prius tempore peccato Adæ, ante hoc extitisset iam causa adæquata transfusionis originalis in Heua, & in hac peccassent iam omnes, & sic talis transfusio falso tribueretur Adæ, vel saltem duplex peccatum transfunderetur in posteros, scilicet Heuæ, & Adæ, quæ absurda sunt. Tertio de Heua, & Adamo simul ob rationem propositam; quia aliàs duplex peccatum deriuaretur in posteros, scilicet Heuæ, & Adæ.

§83 **O**bjicies primò. Ecclesiastici 25. dicitur, *a muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*: ergo &c. Respondeo, ideo hæc dici, quia Heua incitauit Adamum ad peccatum, quod omnes contrahimus, & sic fuit causa eius, atque adeo & mortis nostræ, saltem remota, & initiatiua, vt denotat verbum illud, *initium*.

§84 **O**bjicies secundò. Heua fuit causa humanæ generationis, & illi etiam impositum est præceptum non comedendi de ligno interdicto: ergo &c. Respondeo, diuerso modo fuisse impositum præceptum Adæ, & Heuæ, illi vt capiti morali, illi vt sociæ; ille etiam peccauit vt caput morale, non vero ista.

PUNCTVM IV.

Septem dubia circa peccatum transfusum.

§86 **O**ctauum dubium. An peccatum originale subiectu immediate in anima, vel in voluntate. Respondeo, sub-

lectari immediatè in anima, & in voluntate, vel potius in anima ut volitiva, in qua ut sic subiectantur immediatè alia peccata: nam in nostra sententia, tradita in libris de Anima, voluntas est idem realitèr cum anima.

§87 Nonum dubium. An originale, defacto existens, sit peccatum grauius veniali, & alijs mortalibus. Respondeo, esse leuius mortali actuali, & grauius veniali absolutè. Primum patet. Nam mortale actuale est physicè voluntarium, & dignum pœna æterna sensus, & damni: originale verò est solum moralitèr voluntarium, & dignum solum pœna æterna damni, non autem pœna sensus: ergo illud grauius est. Secundum probatur. Nam licèt veniale sit magis voluntarium, quam originale, tamen originale est peccatum mortale, tollens amicitiam Dei, & dignum pœna æterna damni; quod non habet veniale: ergo &c.

§88 Decimum dubium. An in peccato originali sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Respondeo, esse quodammodo in illo habitualement auersionem à Deo, & habitualement conuersionem ad creaturam: auersionem quidem à Deo, quatenus tali peccato moralitèr recesserunt posteri à præcepto Dei, & ab eius amicitia; conuersionem etiam ad creaturam, quatenus tali peccato moralitèr voluerunt in Adamo comestionem fructus prohibiti.

§89 Undecimum dubium. An ex solo veniali posset transfundi originale. Respondeo, non posse ex vi præsentis decreti, potuisse tamen ex vi alterius decreti. Prima pars patet. Nam ex vi præsentis decreti transfusio originalis annexa est solum transgressioni graui præcepti de non comedendo fructu prohibito, & ad id solum constitutæ sunt posterorum voluntates in Adamo: ergo &c. Secunda pars probatur. Deus suo iupremo dominio poterat collocare voluntates posterorum in Adamo in ordine ad actionem venialem, non minus quam in ordine ad mortalem, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius: ergo, si ita factum esset, peccante Adamo venialitèr, venialitèr etiam peccarent posteri, sicque in ipsos transfunderetur veniale.

§90 Duodecimum dubium. Sub qua specie fuerit peccatum
Adæ

Adæ in posteros transfusum. Prima opinio docet, fuisse sub specie superbix, eo quod comederit de ligno interdicto, volens esse sicut Deus. Secunda opinio asserit, fuisse sub specie intemperantix. Tertia opinio vult, fuisse sub specie iniustitiæ, eo quod Adam vsus sit re aliena, inuito domino. Quarta opinio communior sentit, fuisse sub specie inobedientix contra præceptum Dei, prohibentis esum de illo ligno, ut probaret obedientiam, & subiectionem Adæ erga se, tanquam supremum superiorem, & legislatorem.

§91 Censeo octauo. Vera est hæc quarta opinio. Probatur primò. Peccatum Adæ nec fuit superbix, nec intemperantix, nec iniustitiæ: ergo inobedientix; nulla enim est alia species, ad quam possit tale peccatum reduci. Antecedens probatur. Non superbix, eo quod comederit Adam, volens esse sicut Deus. Nam Adam, tanta scientia infusa præditus, non potuit, sibi persuadere, se posse esse sicut Deum, cum hoc ratione naturali appareat evidentèr impossibile: ergo &c. vnde Adam peccauit solum ex fragilitate ad suasionem Heuæ, allectus bonitate, & delectabilitate fructus, sibi representata ab Heua.

§92 Non intemperantix. Nam Deus, in imponendo illo præcepto, non attendit ad honestatem abstinentix à tali fructu, prout necesse erat, ut comestio talis fructus, volita quia delectabilis, esset peccatum intemperantix: ergo &c. Antecedens probatur. Tum quia, cum Deus dederit Adæ amplam facultatem comedendi de tot alijs fructibus Paradysi, fortè melioribus, certè in prohibendo tali fructu, non videtur credibile, attendisse ad honestatem abstinentix: ergo &c. Tum quia quilibet comestio leuis fructus prohibiti, esset peccatum graue, ut communiter docent Doctores: sed si comestio talis fructus esset prohibita ex motiuo abstinentix, leuis comestio eius non posset esse peccatum graue, sed veniale: ergo non est prohibita à Deo ex motiuo abstinentix. Minor probatur. Comestio leuis de tali fructu non est ex se materia grauis, nec fieret grauis ex motiuo abstinentix, sub quo prohiberetur; sicut defacto leuis comestio carnis die veneris non fit materia grauis ex motiuo abstinentix, sub quo ab Ecclesia prohibetur: sed materia, quæ non est grauis ex se, aut ex motiuo, non potest esse

esse capax obligationis grauis, nec esse peccatum graue, vt cum communi Doctorum ostendimus in materia de legibus: ergo leuis illa comestio non posset esse peccatum graue.

§93 Non iniustitiæ. Nam licet Adam, comedens de tali fructu, vteretur re aliena, inuito domino, scilicet Deo, tamen non vteretur re aliena, inuito domino vt domino proprietatis, sed vt domino iurisdictionis: quia Deus non prohibuit comestionem eius ex dominio proprietatis, quod habet, sed ex dominio iurisdictionis, sicut similiter præstat in alijs præceptis, iuxta dicta in materia de Incarnatione disp. 4. cap. 3. ergo peccatum Adæ non fuit iniustitiæ.

§94 Probatum secundò. Si peccatum Adæ dicatur inobedientiæ contra præceptum Dei, prohibentis esum talis fructus ad probandam obedientiam, & subiectionem Adæ erga se, vt supremum legislatorem, & superiorem, rectè intelligitur, quomodo tenuis comestio talis fructus esset sub mortali prohibita ex fine dicto: ergo fuit peccatum inobedientiæ. Antecedens patet ex materia de legibus disp. 6. cap. 2. vbi diximus, materiam secundum se leuem, posse fieri grauem, & capace[m] obligationis sub mortali ex fine, & motiuo aliquo excellenti, ob quod præcipitur, aut prohibetur, vt contingit passim in Religionibus: vnde tenuis etiam comestio talis fructus, prohibita ex dicto fine, & motiuo altissimo obedientiæ, facta est materia grauis, & capax obligationis sub mortali. Probatum tertio. Nam hoc est conformius Scripturæ, ad Roman. 5. v. 19. & Tridentino sess. 5. can. 2. peccatum Adæ appellantibus inobedientiam, non autem superbiam, intemperantiam, aut iniustitiam: ergo &c.

§95 Decimum tertium dubium. An peccatum, in posteros transfundendum, esset solum peccatum Adæ, commissum in esu fructus prohibiti, an vero quodlibet aliud peccatum etiam circa quamcunque materiam, si illud primo patrasset Adam ante esum talis fructus. Prima opinio negat. Ita Azor lib. 4. cap. 3. q. 2. Zumel 1. 2. q. 81. art. 1. disp. 1. & alij apud Peñalosa disp. 4. cap. 3. nu. 13. Secunda opinio affirmat. Ita sentiunt communiter Doctores, quos sequitur Peñalosa disp. 4. cap. 4. §. & 6.

§96 Cen-

§96 Censeo nono. Vera est secunda opinio: Probatum. Nam, cum transfusio peccati in posteros pendeat solum ex voluntate diuina, nihil circa illam asserendum est, nisi quod constat ex Scriptura: sed ex Scriptura solum constat, esse annexam legem transfusionis peccato transgressionis præcepti de non comedendo de fructu prohibito: ergo hoc solum peccatum erat transfundendum in posteros. Minor patet ex verbis illis Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: quæ verba intelligunt Doctores de amissione iustitiæ originalis pro Adamo, & posteris: hoc autem nulli alteri peccato tribuit vnquam Scriptura: ergo in Scriptura soli peccato dicto annexa est lex transfusionis peccati. Idem constantè asserunt Patres.

§97 Vbi aduertè, peccatum in posteros transfundendum non esse solum transgressionem dicti præcepti consumatam in actuali comestione fructus, sed quamlibet transgressionem eius, siue consumatam, siue affectiuam, scilicet affectum comedendi de illo, etiam non secuta actuali comestione ob aliquod impedimentum. Nam posteri ideo peccauerunt in Adamo, quia in ipso erant constitutæ eorum voluntates in ordine ad transgressionem illius præcepti: vel ergo, cum primum Adamus voluit comedere, antequam exterius comederet, posteri peccauerunt iam in ipso, vel non. Si primum: ergo esto non esset secuta exterior comestio ob aliquod impedimentum, peccassent posteri in ipso. Si secundum: ergo nec peccassent, accedente postea externa comestione; quia actio externa non potest esse peccaminosa, nisi volitio interna eius peccaminosa sit.

§98 Obijcies. In Scriptura, & Patribus nunquam legitur, amittendam fore primo gratiam Adæ, & non posteris, semper enim ista in Scriptura, & Patribus connectuntur: sed quouis peccato mortali amitteret sibi gratiam Adam: ergo, & posteris. Respondeo, id solum dici de gratia, amittenda per peccatum transgressionis præcepti de non comedendo fructu prohibito; nihil autem dicunt de gratia, amittenda per aliud peccatum, per hoc enim amitteretur gratia Adæ, & non posteris.

§99 Vltimum dubium. Quid fuerit ex parte Adæ causa, vel occasio totalis, & completa transfusionis peccati originalis. Hoc dubium est grauissimum, & difficillimum propter ea,

quæ circa illud discurret & scripsit Peñalosa, & idè pro dignitate decidendum est ex professo seorsim capite sequente.

600

CAPUT V.

An peccatum comestionis de fructu interdicto, independenter ab impoenitentia Adæ, fuerit ex parte ipsius causa, vel occasio per se totalis, & completa transfusionis peccati originalis in posteros.

601 **S**ermo est in titulo de duplici Adæ peccato, scilicet de comestione de fructu interdicto, & de ipsius impoenitentia, & excusatione, qua impoenitens se coram Deo, ipsum exprobrante, excusavit de peccato comestionis, culpam refundens in mulierem illis verbis Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, ob quod audiuit à Deo sententiam suæ miseræ, & calamitatis, ac eiectionis à Paradyso.

602 Hanc difficultatem primus ex professo exagitaui, & typis excudit Peñalosa in vindicijs Deiparæ Virginis disp. 4. 5. 6. & 7. in quibus fusissimè, & eruditissimè eam resoluit autoritate, & ratione. Nam disp. 4. probat, solam comestionem Adæ de fructu interdicto fuisse causam meritoriam transfusionis peccati originalis, & debiti proximi eius in posteros. Disp. 5. statuit, duplex tempus vitæ fuisse concessum Adæ: vnum ut personæ privatæ, quod duravit tota vita animali eius, scilicet ab eius creatione vsque ad mortem: & aliud ut personæ publicæ, & capiti morali posterorum in ordine ad transfundendum inevitabiliter in posteros iustitiam, aut maculam originalem, hocque tempus durasse à creatione Adæ, seu ab impositione præcepti diuini vsque ad prolatam à Deo sententiam mortalitatis.

litatis, & exilij à Paradyso ob eius impoenitentiam, & excusationem; intra quod, ait, potuisse Adamum poenitere de peccato comestionis commisso, & sua poenitentia evitare transfusionem peccati originalis, & debiti proximi eius in posteros. Disp. 6. ostendit, Adamum post transgressionem præcepti potuisse, poenitendo ante prolatam à Deo sententiam, pristinum iustitiæ originalis statum sibi, & posteris recuperare ex meritis Christi passibilis. Disp. 7. contendit, peccatum comestionis Adæ non fuisse posteris imputatum toto illo tempore vitæ, ipsi ut personæ publicæ, & capiti morali concessio, vsque ad prolationem sententiæ diuinæ. Unde concludit, quod licet sola comestio Adæ fuerit causa meritoria transfusionis peccati, & debiti originalis in posteros, tamen impoenitentia, & excusatio eiusdem ex pacto, & lege Dei fuit conditio requisita ad talem transfusionem, non quidem ut peccaminosa, sed ut impeditiua veræ poenitentia de peccato comestionis commisso, si enim Adam ex inaduertentia, aut obliuione omisisset poenitentiam sine peccato, talis omisio sufficeret ad transfusionem illam: & consequenter quod causa, vel occasio totalis, & completa transfusionis peccati, & debiti originalis fuit præuaricatio Adæ simul cum defectu poenitentia eiusdem, & vtrumque ad illam defacto concurrat, illa quidem ut causa meritoria, hic vero ut conditio requisita.

603 Quare solum referam in præsentî opiniones, quas circa hæc difficultatem proponit Peñalosa citatus disp. 4. cap. 3. Prima igitur opinio ait, peccatum solum impoenitentia, & excusationis Adæ fuisse peccatum capitis, posteris imputabile, peccatum verò comestionis fuisse solum peccatum personale Adæ, posteris minime imputabile; & consequenter solum peccatum impoenitentia fuisse causam per se ex parte Adæ transfusionis peccati, & debiti originalis in posteros, licet ad ipsam fuerit requisitam peccatum personale comestionis tanquam materia, circa quam versatur impoenitentia, & excusatio. Ita nonnulli Recentiores Complutenses apud Peñalosam citatum num. 17. quorum doctrinam vocat ipse falsam, & improbabilem cap. 6. num. 44.

604 Secunda opinio asserit, causam, vel occasionem per se totam

ralem, & completam transfusionis peccati, & debiti originalis in posteros ex parte Adæ complecti vtrumque simul, scilicet comestionem peccaminosam, & impoenitentiam, & excusationem; ideoque constituit in Adamo vt capite morali tempus viæ ab eius creatione vsque ad prolationem sententiæ diuinæ, intra quod censet, potuisse Adamum, poenitendo de peccato comestionis, impedire transfusionem peccati, & debiti originalis in posteros, sibi que, & posteris pristinum originalis iustitiæ statum recuperare. Hanc opinionem amplectitur, & propugnat Peñalosa in 4. illis disputationibus, pro qua citat disp. 4. cap. 3. nu. 15. & 16. Seraphinum Capponi à Porreña in veritatibus aureis super totam legem veterem, ad illud Genes. 3. *mulier, quam dedisti mihi* conclus. 13. Guillelmum Pepinum ser. in Sabbat. post Dominic. 2. quadrag. Sanctum Thomam de Villanoua in serm. Dominic. 3. quadrag. & nonnullos Doctores Complutenses: & disp. 6. cap. 1. nu. 3. citat Ioan. de la Haye in arbore vitæ ad illud Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi*. Sed hæc opinio non eodem modo declaratur ab eius authoribus. Nam citati Doctores Complutenses volunt, tam comestionem, quam impoenitentiam, & excusationem vt peccaminosam fuisse causam meritoriam transfusionis peccati, & debiti originalis ex parte Adæ: Peñalosa vero, vt vidimus supra nu. 602. solam comestionem constituit causam meritoriam talis transfusionis; impoenitentiam verò, & excusationem conditionem solum requisitam ex pacto, & lege Dei, non quidem vt peccaminosam, sed vt impeditiuam poenitiæ de peccato comestionis, præcisivè à ratione peccaminose.

605 Tertia opinio communissima docet, peccatum solum comestionis fuisse ex parte Adæ causam, & occasionem per se totalem, & completam transfusionis peccati, & debiti originalis in posteros, independentè omnino ab impoenitentia, & excusatione, etiam tanquam à conditione requisita ad talem transfusionem. Vnde consequentè tenet, tempus viæ Adami vt capitis morali durasse tantum ab eius creatione vsque ad peccatum comestionis commissum, & sic non potuisse postea poenitendo impedire talem transfusionem, nec sibi, & posteris recuperare pristinum statum iustitiæ originalis, licet potuerit per

per poenitentiam personalem restaurare sibi gratiam sanctificantem amissam absque donis, & privilegijs iustitiæ originalis. Ita supponunt communiter Doctores tam scholastici, quam expositiui, tenentque expressè Suares de opere sex dierum lib. 4. cap. 9. & 1. 2. tract. de Peccatis disp. 9. sect. 3. nu. 7. & sect. 4. Vasques 1. 2. disp. 133. cap. 2. corollar. 3. nu. 6. Salmeron in epist. ad Roman. disp. 45. circa finem, & disp. 46. Lorca 1. 2. q. 81. ad art. 3. & 5. Montesinos 1. 2. q. 81. disp. 11. Gaspar Hurtado 1. 2. disp. 6. difficult. 7. & disp. 7. difficult. 10. Pererius lib. 6. in Genes. disp. *An Adam fuerit deceptus* in fine, Cornel. à Lapid. ad illud Genes. 3. *Dedit viro suo*, Arriaga 1. p. tract. de opere sex dierum disp. 45. sect. 2. subsect. 3. nu. 29. & alij apud Peñalosa disp. 4. cap. 3. num. 18. & disp. 5. cap. 2. nu. 8. & disp. 6. cap. 1. nu. 2. licet breuius, quam rei dignitas postulabat, de hoc loquantur.

606

PUNCTVM I.

Tertia opinio eligitur, & probatur.

607 **P**ROBATUR primò ex Scriptura Sacra. Tum ex illis verbis Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Constat inter Doctores, hæc verba continere præceptum de non edendo de ligno interdicto, impositum Adæ vt capiti morali, moralitèr representanti, & continenti posteros, atque adeo impositum ipsi, & posteris; & ideo forsan transtulerunt 70. in plurali, *In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini*. Constat etiam inter Doctores, Deum in his verbis sub nomine mortis, comminatæ Adæ, & posteris casu, quo ederent de ligno interdicto, comminatum fuisse simul mortem corporalem, & spiritualem, & reliquas miseras, inflictas generi humano ob peccatum originale. Nunc sic argumentor. Deus comminatus est transfusionem peccati originalis cum omnibus suis miserijs in posteros casu, quo comederent de ligno interdicto, nulla facta mentione

ne impoenitentiae, & excusationis Adæ: ergo ob solam comestionem, independenter ab impoenitentia, & excusatione Adæ, incurrerunt posterius transfusionem peccati originalis cum omnibus suis miseris: ergo sola comestio, independenter ab impoenitentia, & excusatione, fuit ex parte Adæ causa, & occasio totalis, & completa talis transfusionis.

608 Confirmatur ex Genes. 3. ubi Deus, pronuntians sententiam contra Adamum, & poenas in ea contentas, pronuntiauit eas contra ipsum, & posteros, in eo moraliter exsistentes, ex communi Patrum sensu: sed non pronuntiauit eas nisi ob delictum comestionis, nulla facta mentione impoenitentiae, & excusationis, ut patet ex verbis sententiae, *Quia comedit de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra &c.* ergo solum delictum comestionis, independenter ab impoenitentia, & excusatione, fuit ex parte Adæ causa, & occasio totalis, & completa, ob quam ipse, & posterius incurrerint poenas eius sententiae. Si autem comestio Adæ fuisset solum delictum personale, & non capitis, ut ait prima opinio, ob illam non punirentur posterius tam acerbis peccati originalis poenis, sed ob impoenitentiam, & excusationem, quam, contendit dicta opinio, fuisse peccatum capitis: item si non sola comestio, sed etiam impoenitentia, & excusatio induxisset aliquo modo in posterius miseras peccati originalis, ut vult secunda opinio, certe Deus, eas comminans, & infligens, fecisset mentionem impoenitentiae, & excusationis, sicut & comestionis; praesertim quando, examinata causa, probato delicto, & visa impoenitentia, & excusatione Adæ, contra ipsum, & posteros protulit sententiam earum miseriarum.

609 Tum ex verbis Pauli ad Roman. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam in se constituantur multi.* Vbi Paulus transfusionem peccati in posterius, eos constituentis peccatores, tribuit solum inobedientiae Adæ, qua scilicet inobediens fuit precepto positivo de non edendo de ligno interdicto, nulla facta mentione impoenitentiae, & excusationis: ergo iuxta Paulum sola illa inobedientia, independenter ab impoenitentia, & excusatione, fuit causa, & occasio totalis, & completa, ob quam posterius

steri constituti sunt peccatores. Quod autem transfusionem peccati in posterius tribuat Paulus peccato inobedientiae in ordine ad preceptum positivum de non edendo de ligno interdicto, & non de inobedientia in ordine ad preceptum poenitendi, patet. Tum quia de eo peccato intelligunt Patres verba Pauli citata. Tum quia Paulus loquitur de peccato inobedientiae, per quod, paulo ante dixerat, mortem intrasse in mundum: sed mors intrauit in mundum per peccatum inobedientiae in ordine ad preceptum positivum de non edendo de ligno interdicto: ergo de hoc peccato inobedientiae loquitur Paulus. Minor probatur. Mors intrauit in mundum per peccatum, cuius commissioni illa annexa erat ex lege Dei: sed mors erat annexa ex lege Dei peccato dicto inobedientiae in ordine ad preceptum positivum de non edendo de ligno interdicto, ut liquet ex verbis supracitatis Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris:* ergo mors intrauit in mundum per peccatum dictum inobedientiae. Tum quia cum Paulus comparet inobedientiam Adæ cum obedientia Christi, certe sicut obedientia Christi fuit in ordine ad preceptum positivum de moriendo pro Redemptione generis humani, ita inobedientia Adæ, de qua Paulus, debet esse in ordine ad preceptum aliquod positivum: sed ex duobus dictis preceptis solum preceptum de non edendo de ligno interdicto erat positivum, aliud namque preceptum poenitendi erat naturale: ergo loquitur Paulus de inobedientia in ordine ad illud preceptum.

610 Probatur secundo autoritate Ecclesiae, quae in praefatione Missae de sancta cruce sic canit, *Qui salutem humani generis in ligno crucis constituitis, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Vbi expressè tradit Ecclesia, mortem nostram, scilicet temporalem, & spiritualementem ortum duxisse ex ligno interdicto, de quo comedit Adam, nulla facta mentione impoenitentiae, & excusationis eius: ergo sola illa comestio, independenter ab impoenitentia, & excusatione Adæ, fuit per se causa, & occasio totalis, & completa nostrae mortis temporalis, & spiritualis.

611 Probatur tertio ex Tridentino sess. 5. in Decreto de peccato

cato originali can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam amisit, incurrisseque per offensam prænariationis huiusmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam illi comminatus fuerat Deus &c. anathema sit.* Et can. 2. *Si quis Adæ prænariationem sibi soli, & non eius propagini, asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientie peccatum, mortem, & poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors anime, anathema sit, cum contradicat Apostolo, dicenti, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Hic Canon transcriptus videtur ex Araucicano secundo can. 2. vbi idem definitur,

612 In hoc duplici canone loquitur Tridentinum de vno, & eodem peccato Adæ, recensens in 1. can. nocumenta, quæ ex illo Adæ euenerunt, & in 2. nocumenta, quæ ex eodem posteris resultarunt, scilicet transfusionem peccati, & vtriusque mortis corporalis, & spiritualis: cumque ibi nulla fiat mentio impœnitentiæ, & excusationis, videtur sentire Concilium, ex illo solum peccato Adæ, de quo ibi loquitur, resultasse ea posterorum nocumenta, independentè ab impœnitentia, & excusatione Adæ, alias ea nocumenta non adscriberet soli illi peccato, sed illi, & impœnitentiæ simul: sed Concilium loquitur de peccato comestionis Adæ: ergo iuxta Concilium hoc solum peccatum fuit ex parte Adæ per se causa, & occasio totalis, & completa eorum nocumentorum in posteris, independentè ab impœnitentia, & excusatione Adæ. Minor patet. Concilium vocat illud peccatum inobedientiæ, per quod intravit in mundum mors, à Deo comminata, iuxta Apostolum ad Roman. 5: sed huiusmodi peccatū fuit peccatum comestionis Adæ contra præceptum Dei positium, vt vidimus supra nu. 609: ergo loquitur Concilium de peccato comestionis Adæ. Confirmatur. Concilium asserit, peccatum comestionis Adæ æque sibi, & posteris nocuisse, eadem vtriusque damna afferendo, nullam faciendo inter ipsos differentiam: sed Adæ nocuit,

nocuit, attulitque damna per se solum, independentè ab impœnitentia, & excusatione, vt patet ex can. 1: ergo similiter nocuisse, & attulisse damna posteris, credendum est. Nec dicas, peccatum comestionis per se solum attulisse Adæ mortem cum cæteris damnis euitabiliter, ineuitabiliter autem non attulisse eam ipsi, nisi dependentè ab impœnitentia. Nam Concilium statuit, peccatum illud attulisse Adæ mortem (verba sunt Concilij can. 1.) *quam antea illi comminatus fuerat Deus: sed Deus comminatus fuerat Adæ mortem ineuitabilem, vt fatentur etiam aduersarij: ergo peccatum illud attulit ei mortem ineuitabilem.*

613 Probatum quartò ex Patribus, qui transfusionem peccati originalis, & miseriarum eius tribuere solent soli peccato comestionis Adæ, eiusque inobedientiæ ad præceptum Dei positium de non edendo de ligno interdicto. Sanctus Irenæus lib. 5. cap. 17. *Quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem: vbi debitum nostrum contrahendi originale, & miserias eius adscribitur solum ligno interdicto, de quo comedit Adam contra Dei præceptum.* S. Gregorius homil. 37. in Euang. *Adam post peccatum (scilicet comestionis) cepit paulatim ad interitum fluere, & ex eo tempore (scilicet peccati commissi) mors ei cepit dominari.* Athanasius serm. in illud, *omnia mihi tradita sunt, sic loquitur, postquam peccauerat, & lapsus fuerat homo, eiusque lapsu, perturbatis omnibus, mors inualuisset ab Adam vsque ad Christum &c.* Vbi loquitur de peccato, & lapsu Adæ, comedendo de ligno interdicto, & ob illud præcisè, asserit, inualuisse mortem vsque ad Christum. Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace, *Totus lapsus sum, atque ex primigenij hominis inobedientia, diaboli fraude condemnatus sum: vbi condemnatio nostra tribuitur inobedientiæ Adæ sæpè repetitæ.* Et in orat. de Natali Dñi, *Postquam traditi mandati oblitus est homo, amareque subcubuit gustui, pariter & a vita ligno, & a Deo propter prauitatem extorris agitur: vbi propter transgressionem præcepti diuini, gustando de ligno interdicto, dicitur, perdidisse homines facultatem edendi de ligno vitæ, & incurrisse auersionem à Deo.* Augustinus epist. 28. ad Hieronymum, *Qui non viuificatur in Christo, non*

stat, ut in eadem damnatione maneat, de qua, dicit Apostolus, per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ubi condemnatio hominum tribuitur delicto Adæ, de quo loquitur Paulus, quod, ut vidimus supra nu. 609. fuit delictum comestionis. Et lib. 2. Hypognosticon cap. 1. ad art. 2. *Cum peccavit homo, (transgrediendo præceptum de non comedendo de ligno interdicto, de quo ibi sermo est,) natura peccavit, & facta est natura iam peccatrix, id est, vitium habens peccati: ubi dicitur peccatrix, & viciata natura, quando Adam, comedendo, peccavit, non quando impoenitens postea inuentus est. Basilus orat. 1. de ieiunio, Quandoquidem non icimanimus, exidimus e paradyso; id est quia in Adamo comedimus de ligno interdicto, eiectionis à paradyso. Anselmus lib. 1. cur Deus homo, cap. 18. ad medium, Quia victi peccaverunt, (scilicet primi parentes,) sic infirmati sunt cum omni propagine sua, ut quantum in ipsis est, sine peccato esse non possint: ubi cum dicatur, Adamum cum sua propagine non potuisse esse liberum à peccato, sequitur manifestè, non potuisse, poenitendo, impedire transfusionem peccati, & miseriarum eius, & consequenter transfusionem istam non pendere ab impoenitentia, sed à solo peccato comestionis. Theodoretus q. 38. in Genes. Adam, cum primum comedit, Dei sententia (scilicet comminatoria, in pacto inclusa,) obnoxius fuit supplicio mortis; etenim nisi comedisset, nunquam mortuus fuisset; at postquam comedit cibum vetitum, non potuit effugere, quin aliquando moreretur: ubi dicitur, tum Adamum incurrisse mortalitatem, à Deo comminatam, statim atque comedit, atque adeo non expectata eius impoenitentia; tum non potuisse vitare, & effugere illam, sicque eius impoenitentiam non potuisse esse efficacem ad vitandam illam. Celestinus 1. epist. 1. ad Episcopos Gallie cap. 1. nu. 4. Adamus cadens (scilicet in peccatum comestionis,) in preuaricationis profunda demersus est, & nihil, quemadmodum exinde resurgere posset, inuenit; quia scilicet nullum ei inerat medium, quo miseras peccati commissi à se, & à progenie auertere posset, & consequenter nihil ad id potuisse prodesse poenitentiam eius. S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 2. Impossibile est, quod aliqua peccata primi parentis præter primum per originem traducantur. Et in fine corporis, alia peccata primi parentis*

his non corrumpunt naturam, quantum ad id, quod naturæ est: si autem impoenitentia simul cum comestione esset causa, vel occasio transfusionis peccati, vel aliud peccatum præter primum comestionis, per originem traduceretur, vel saltem concurreret cum illo occasionalitè ad corrumpendam naturam, quantum ad id, quod naturæ est, contra mentem S. Doctoris.

614 Probatum quinto, impugnando alias opiniones, & solutiones, quæ adhibentur præfatis testimonijs. Nam primo Doctores primæ opinionis, assertentis, comestionem Adæ non fuisse peccatum capitis, posteris imputabile, sed personale solum, respondent, ideo præfata testimonia tribuere illi transfusionem peccati, & miseriarum eius in posteros, quia illa comestio fuit prærequisita tanquam materia, circa quam versatur impoenitentia, & excusatio, quæ fuit peccatum capitis, posteris imputatum, & causa dictæ transfusionis. Secundo Doctores Complutenses, citati pro secunda opinione, constituentem tam comestionem, quam impoenitentiam ut peccaminosam causam meritoriam dictæ transfusionis, volunt, quod licet in præfatis testimonijs, tribuentibus dictam transfusionem comestioni, non fiat mentio impoenitentia, hanc tamen in illis non excludi, imo eam tacitè ibi intelligendam esse. Tertio idem respondet Peñalosa citatus pro secunda opinione, contendens, impoenitentiam, præcisivè à ratione peccaminosa, fuisse conditionem requisitam, ut comestio induceret dictam transfusionem tanquam causa meritoria eius: ait enim disp. 6. cap. 8. à nu. 49. in verbis divinis, comminantibus poenam ob aliquod delictum, iuxta stylum Scripturæ intelligi semper conditionem, nisi delinquens poeniteat, & in verbis divinis, assertentibus poenam aliquam inflictam ob delictum, intelligi semper, quia delinquens non poenituit: sed nulla ex his opinionibus cum dictis solutionibus subsistere potest: ergo sola comestio, independentè ab impoenitentia, & excusatione Adæ, dicenda est causa, & occasio per se totalis, & completa transfusionis peccati in posteros.

615 Minor probatur, discurrendo per singulas opiniones, & solutiones. Prima opinio, & solutio, ut ait Peñalosa supracitatus, videtur falsa, & improbabilis. Primò. Quia Genes. 2.

Deus præceptū de non edendo de ligno interdicto imposuit Adæ, & posteris, in eo moralitèr existentibus, & Genes. 3. Deus pronunciauit sententiam, & pœnas, in ea contentas, contra Adamum, & posteros, in ipso vt capite contentos, idque ob delictum comestionis de ligno interdicto, vt constat ex prima probatione superiori: quod non esset, si Adam non esset constitutus caput morale posterorum in ordine ad obseruantiam, & transgressionem illius præcepti, & delictum comestionis non esset peccatum capitis, sed personale. Deinde, vt videmus supra, Scriptura, Tridentinum, & Patres dicunt, nos peccasse in Adamo comedente de ligno, comedisse cum illo, gustasse lignum interdictum, transgressos fuisse legem, prohibentem comedere de illo, peccatum illud comestionis Adæ nouisse sibi, & posteris, & in eos fuisse transfusum cum omnibus suis miserijs: quæ vera esse non possent, nisi peccatum comestionis Adæ esset peccatum capitis, eique vt peccato capitis tribuerentur: ergo &c.

616 Secundò. Quia, cum obligatio pœnitendi oriatur ex grauitate offensæ, Deo illatæ, pro qua satisfacere tenemur, non videtur decere infinitam Dei pietatem, punire aliquo genere pœnæ grauissimæ impœnitentiam de peccato, quod talem pœnam non merebatur; sic non punit Deus pœna æterna homines ob impœnitentiam de peccato veniali, quod illius generis pœnam non meretur: sed si peccatum comestionis Adæ esset personale, & non capitis, non mereretur grauissimam posterorum ruinam: ergo non deceret infinitam Dei pietatem, tali pœna punire impœnitentiam de illo peccato.

617 Tertio impugnari posset hæc doctrina nonnullis rationibus, mox proponendis contra doctrinam Doctorum Complutensium, citatorum pro secunda opinione, præsertim ratione secunda, & tertia.

618 Doctrina etiam Doctorum Complutensium, citatorum pro secunda opinione, ipsorumque solutio falsitatis conuincitur à Peñalosa. Primò. Quia causa transfusionis peccati originalis, & miseriarum eius in posteros fuit vnicum peccatum solum: ergo minus bene asserunt Doctores Complutenses citati. vtrumque peccatum comestionis, & impœnitentiæ Adæ fuisse

fuisse causam talis transfusionis; hæc enim non efficiunt vnum peccatum, sed duo omnino distincta, impermixta, & separabilia, impœnitentia enim non concurret ad comestionem, neque illius circumstantia fuit, & inter vtrumque peccatum intercessit spatium temporis considerabile. Antecedens probatur ex Paulo, & Tridentino expressè appellantibus illud, peccatum in singulari, imò & vnum peccatum, & delictum: Paulus enim sic loquitur ad Roman. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum, si enim vnus delicto multi mortui sunt.* & v. 16. *Non sicut per vnum peccatum, ita & donum, nam iudicium quidem ex vno (scilicet peccato) in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Et v. 17. *Si enim vnus delicto mors regnauit per vnum.* Et v. 18. *Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem.* Tridentinum etiam sess. 5. in Decreto de peccato originali can. 2. ait, *Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini, asserit, nocuisse.* Et paulo infra, *Inquinatum illum per inobedientiæ peccatum.* Et can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum.* S. Thomas etiam supracitatus nu. 613. nullum aliud peccatum Adæ præter primum agnoscit causam talis transfusionis, & corruptionis naturæ: ergo vnum solum peccatum fuit causa transfusionis peccati originalis, & miseriarum eius in posteros.

619 Confirmatur. Quia Paulus ad Roman. 5. v. 12. ait, *quod per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,* colligunt Doctores etiam aduersarij, nullam aliam personam præter Adamum fuisse causam nostræ ruinæ: ergo etiam quia v. 16. ait, *per vnum peccatum incurrisse nos condemnationem,* colligi debet, nullum aliud peccatum præter peccatum comestionis, de quo ibi Paulus, fuisse causam nostræ condemnationis. Hinc constat, quam falso asserant Doctores Complutenses citati, in præfatis testimonijs, vbi non fit mentio impœnitentiæ, hanc non excludi, sed tacitè intelligi. Nam nomen vnus peccati non potest non excludere impœnitentiam, & quodcunque aliud peccatum, nec in vno peccato, videtur, posse intelligi impœnitentiam, quæ aliud peccatum est à comestione, illudque, faceret, non esse vnum peccatum, sed duplex.

620 Secundò. Quia si Adam post peccatum comestionis, vt

feri potuisset, dormiuisset usque ad exilium à Paradyso, vel in amentiam longam incidisset, negari non posset, eum transfusurum in posteros ruinam originalem; id enim contradiceret Scripturæ, Tridentino, & Patribus: at tunc non esset peccatum impoenitentia, sed comestionis solum: ergo solum peccatum comestionis, independentè à peccato impoenitentia, est causa sufficiens, & adæquata transfusionis ruinæ originalis.

621 Dices primò, supposito pacto, non potuisse contingere dormitionem, & amentiam Adæ dictam: nam pactum fuit de transfusione peccati originalis, si Adam post comestionem peccaminosè omitteret poenitentiam, ad quam peccaminosè omittendam, requirebatur vigilia, & usus rationis in Adamo. Contra. Quia hæc responsio gratis supponit, pactum fuisse de transfusione peccati originalis, si Adam peccaminosè omitteret poenitentiam: hoc enim est manifesta petitio principij, & id ipsum, de quo procedit difficultas. Et quamvis pactum fuisset de transfusione peccati originalis sub conditione, quod Adam poenitentiam omitteret, non inde sequitur, posuisse pro conditione omissionem peccaminosam poenitentia, sed omissionem poenitentia præcisè, siue peccaminosa esset, siue non: sicut Deus, statuens poenam æternam peccatoribus, si poenitentiam omittant, non loquitur de omissione peccaminosa poenitentia, sed de omissione poenitentia præcisè, siue peccaminosa sit, siue non; & ideo sæpè post peccatum permittit, eos dormientes mori, & amentiam perpetuam incurrere, qui tamen damnantur, licèt peccaminosè poenitentiam non omittant.

622 Dices secundò, non potuisse contingere dormitionem, & amentiam Adæ dictam, quia alias tunc non esset Adam viator; status enim viæ dicit facultatem, & potentiam liberam merendi, & demerendi, quam non haberet tunc Adam ob somnium, & amentiam. Contra. Quia status viæ, licèt requirat potentiam aliquam merendi, & demerendi, tamen non requirit illam, ad id expeditam, sed stat sufficientè cum potentia merendi, & demerendi etiam impedita, vt patet in infantibus, ante usum rationis decedentibus, & in perpetuo amentibus, qui quamvis careant potentia merendi, & demerendi expedi-

ta, sunt nihilominus viatores, & propterea capaces aliquorum Sacramentorum, & contenti in voluntate Dei generali saluandi omnes homines, iuxta Paulum 1. ad Timotheum 2. *Deus vult, omnes homines saluos fieri*: ergo licèt Adam, tunc dormiens, aut factus amens, non haberet expeditam potentiam merendi, & demerendi, esset nihilominus viator, non minus quam dicti infantes, & perpetuo amentes.

623 Tertiò. Quia vel Deus in signo, quo pactum iniuit cum Adamo de transfusione peccati, decreuit conferre ei auxilia saltem sufficiëntia ad poenitendum de peccato comestionis, casu quo illud committeret, dando ei ius ad illa, vel non. Si hoc secundum: ergo Deus, non obstante peccato comestionis, potuit negare Adamo omne auxilium ad poenitendum de peccato comestionis: ergo quamvis non esset peccatum impoenitentia, adhuc transfunderetur peccatum comestionis ex vi pacti, & sic peccatum impoenitentia non esset necessarium ad peccati transfusionem. Primum dici non potest. Nam si in signo illo pacti fuissent decreta auxilia illa sufficiëntia ad poenitentiam Adæ de peccato comestionis, & redemptionem eius ab illo, casu quo illud committeret, esset etiam in tali signo decretus Christus passibilis, & redemptor, ex cuius meritis deberent conferri illa auxilia: sed in signo illo pacti non fuit decretus Christus passibilis, & redemptor pro casu, quo Adam committeret peccatum comestionis: ergo nec fuerunt decreta Adæ auxilia adhuc sufficiëntia ad poenitendum de peccato comestionis, casu quo illud committeret. Minor probatur. Nam aliàs fuisset prædefinitus Christus passibilis, & redemptor, antequam peccatum Adæ esset necessario transfundendum in posteros in generatione, cum necessitas transfundendi illud iuxta aduersarios præter comestionem inuoluat etiam peccatum impoenitentia eius, tunc nondum futura in eorum sententia: quod absurdum esse, negari non potest.

624 Omitto alia, quæ congerit Peñalosa citatus disp. 4. cap. 6. à num. 34. contra hanc doctrinam Doctorum Complutensium: quia ea iudico inefficacia, & facilem habent solutionem.

625 Tandem doctrina, & solutio Peñalosa refellitur. Primò. Quia

Quia Scriptura, Tridentinum, & Patres citati, doctrinaliter explicantes causam transfusionis peccati originalis, & miseriarum ipsius, eam vnicè tribuunt peccato comestionis Adæ, nulla facta mentione conditionis defectus pœnitentiæ eius: si autem defectus pœnitentiæ Adæ esset conditio requisita ad talem transfusionem, sine dubio insinuassent alicubi necessitatem eius: sicut quia defectus pœnitentiæ est conditio requisita ad damnationem reprobatorum, eius necessitatem sæpè insinuant, dum clamant, omnes perituros, nisi pœnitentiam agant, dum eos hortantur ad conuersionem, & pœnitentiam de peccatis, dum aiunt, Deum velle, & procurare, quod omnes homines saluentur, & iustificentur à peccatis &c. Quare minus bene asserit Peñalosa, in cōminationibus diuinis transfusionis peccati originalis, & miseriarum eius, intelligi conditionem, nisi Adam pœniteat, & in verbis diuinis, infligentibus dictam pœnam transfusionis, aut asserentibus, eam inflictam propter peccatum comestionis, intelligi, quia Adamus non pœnituit.

6:6 Nec satisfacies, dicendo, ideo dictam transfusionem tribui soli peccato comestionis Adæ, & non defectui pœnitentiæ, quia illud peccatum fuit causa meritoria transfusionis, defectus vero pœnitentiæ conditio solum ad ipsam. Nam effectus tribui solet non solum causæ sui, sed etiam conditioni, ad eius existentiam requisitæ; sic calefactio tribuitur igni vt approximato, licet solus ignis sit causa productiua calefactionis, & approximatio conditio solum requisita ad illam; similiter iustificatio peccatoris tribuitur meritis Christi, & pœnitentiæ peccatoris, licet sola merita Christi sint causa meritoria iustificationis, & pœnitentiæ peccatoris conditio solum requisita ad illam; item in reuiuiscencia meritorum mortificatorum, licet sola merita mortificata sint causa meritoria restitutionis gratiæ, antea deperditæ per peccatum, & pœnitentiæ, per quam illa reuiuiscunt, & recuperant gratiam deperditam, sit solum conditio, ad id requisita, tamen restitutio gratiæ, deperditæ per peccatum, non tribuitur meritis mortificatis nude, sed ipsis vt reuiuiscantibus per pœnitentiam, atque adeo & pœnitentiæ, per quam reuiuiscunt; ergo si defectus pœnitentiæ Adæ

Adæ esset conditio, requisita ad transfusionem dictam, hæc non tribueretur soli peccato comestionis Adæ, sed etiam defectui pœnitentiæ eius.

627 Secundò. Quia licet in comminatione, & sententia diuina pœnæ æternæ, infligendæ in altera vita, intelligatur semper conditio pœnitentiæ, aut defectus eius, tamen in comminatione, & sententia diuina pœnæ infligendæ in hac vita non semper intelligitur conditio pœnitentiæ, aut defectus eius, nisi quando est aliquod fundamentum, vt ea intelligatur: sic pœnam comminatam priuationis gratiæ sanctificantis, & odij, & indignationis diuinæ incurrit statim peccator in hac vita, commisso peccato, independentèr à conditione pœnitentiæ, aut defectus eius; Dauid etiam 2. Regum 12. ob adulterium punitus est morte comminata filij, ex adulterio nati, sine attentione ad pœnitentiam eius; Oza etiam 2. Regum 6. subiit statim mortem in pœnam temeritatis, qua tetigit arcam, non expectata eius pœnitentiæ; & idem est de multis alijs pœnis, à Deo comminatis, & inflictis in hac vita propter peccata: sed pœna transfusionis peccati originalis, & miseriarum eius in posteros est de pœnis, à Deo inflictis in hac vita, & aliudè Scriptura, Tridentinum, & Patres citati nullum prebent fundamentum, vt comminatio, & sententia illius intelligi debeat sub conditione pœnitentiæ, aut defectus eius: ergo non est, cur intelligatur in illis dicta conditio.

628 Tertiò. Quia, vt vidimus supra nu. 607. in prima probatione, verba illa Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, quibus Deus comminatus est priuationem iustitiæ originalis in pœnam comestionis, dirigebantur indiuisibilitèr ad Adamum, & posteros eius: sed in illis vt directis ad Adamum non intelligebatur ea conditio, si non pœnituerit: cum ipse statim post comestionis peccatum amisserit iusticiam originalem, iuxta Tridentini definitionem, citatam ex sess. 5. in decreto de peccato originali can. 1: ergo nec intelligebatur ea conditio in eisdem verbis vt directis ad posteros; durum enim videtur, eadem verba comminatoria eiusdem pœnæ, ad duos indiuisibilitèr directæ, respectu vnus intelligere sine aliqua conditione, & respectu alterius intelligere cum tali conditione.

629 Probatur sexto. Pactum cum Adamo initum erat de transfusione gratiæ sanctificantis in posteros, si observaret præceptum abstinendi à ligno interdicto, & de transfusione privationis gratiæ sanctificantis, si illud non observaret: sed si Adam observasset præceptum, huius observantia sola esset causa, & occasio totalis, & completa transfusionis gratiæ sanctificantis, ita ut quamvis amitteret gratiam per alia peccata, non ideo impediretur transfusio eius in posteros: ergo similiter, Adamo non observante præceptum, sola inobservantia eius erit causa, & occasio totalis, & completa transfusionis privationis gratiæ sanctificantis, ita ut quamvis recuperaret gratiam sanctificantem per pœnitentiam, non ideo impediretur transfusio privationis eius in posteros; non enim videtur, esse diverso modo discurrendum in vna parte pacti, ac in alia.

630 Probatur septimò contra Peñalofam, aliosque Doctores secundæ opinionis, asserentes, Christum fuisse prædefinitum absolute passibilem, & mortalem statim post peccatum comestionis Adæ, & ex meritis eius, sic tunc prævisi, fuisse data Adæ auxilia ad pœnitentiam, qua potuisset impedire transfusionem noxæ originalis in posteros, sibi, & posteris recuperare iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & privilegijs. Contra quod sic arguo. Si Adam cum auxilijs, habitis ex meritis Christi absolute passibilis, & mortalis, egisset pœnitentiam, eaque sibi, & posteris recuperasset iustitiam originalem cum immortalitate, cœterisque donis, & privilegijs, ut potuit iuxta aduersariorum doctrinam, posteri tunc essent immortales, & Christus mortalis: at hoc, licet admittatur à Peñalofa disp. 6. cap. 8. num. 57. est sine dubio absurdum: ergo Adam post peccatum comestionis non habuit facultatem recuperandi per pœnitentiam sibi, & posteris iustitiam originalem cum suis donis, & privilegijs; & consequenter solum peccatum comestionis Adæ fuit ex parte eius causa, & occasio totalis, & completa transfusionis peccati originalis, & miserationum eius, independentè à defectu pœnitentiæ eius. Minor, præterquam quod videtur per se nota, probatur ex communi Patrum, & Doctorum doctrina, asserentium, Christum fuisse causam exemplarem Prædestinatorum, hosque ad instar Christi

si

si fuisse prædestinatos, iuxta illud Pauli ad Roman. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, scilicet prædestinatis: sed si, prædestinato Christo mortali, posteri prædestinati essent immortales, Christus non esset causa exemplaris prædestinatorum, nec isti ad instar Christi essent prædestinati, imò horum prædestinatio esse valde dissimilis prædestinationi Christi: ergo absurdum est, asserere, quod, Christo prædestinato mortali, essent tunc posteri immortales.

631 Probatur octavo. Probabile est, Adamum, ante latam Dei sententiam, pœnituisse de peccato comestionis, & veniam eius quoad culpam obtinuisse: & nihilominus tali pœnitentia non impediuit transmissionem noxæ originalis in posteros, nec sibi, & illis recuperavit dona, & privilegia iustitiæ originalis: ergo defectus pœnitentiæ Adæ non concurrat defacto ad transmissionem noxæ originalis, sed solum peccatum comestionis. Antecedentis probabilitas deducitur ex multis Patribus, id asserentibus apud Suares de opere sex dierum lib. 4. cap. 9. nu. 8. Gregorio lib. 6. epist. 31. aliàs cap. 195. *Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit*, id est, paulo post commissum peccatum: Augustino serm. 104. de tempore, *Adam, quia interroganti Domino confessus est peccatum, quod commisisset, venia redditus est*: Irenæo lib. 3. cap. 37. *Intellectus transgressionis, fecit pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem suam*; & hanc pœnitentiam, dicit, ostendisse Adamum, faciendo sibi cinctorium ex folijs Ficus, quæ carnem possent asfigere: Tertulliano lib. 1. contra Marci. cap. 25. dicente, *Deum non maledixisse Adam, nec Hevam, ut restitutionis candidatos, ut confessione revelatos*.

632 Confirmatur. Adam aliqua signa dedit suæ pœnitentiæ: primo, erubescendo de sua nuditate, quam cognovit, ortam ex peccato, *cumque cognovissent, se esse nudos, conspuerunt faciem suam, & fecerunt sibi perizonias*: Secundo, abscondendo se à facie Domini, audita voce eius in Paradyso, præ timore, & verecundia comparandi coram eo, quem tam graviter offenderat, *cum audissent vocem Domini Dei, deambulantis in paradyso, abscondit se Adam, & uxor eius a facie Domini Dei*: Tertio, confite-

Li 2

ten

tendo peccatum suum, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; & quamuis in his verbis culpam suam excuset Adam, tamen in hac excusatione non peccasse saltem grauitèr, asserit expressè Arriaga tract. de opere sex dierum disp. 45. sect. 2. subsect. 1. nu. 17. & subsect. 2. nu. 28. ex doctrina Scoti; quamuis enim potuisset, se modestius gerere, sibi que vnice culpam imputare, tamen dictis verbis non intendit Adam, refundere culpam in Deum, qui ei dederat mulierem sociam, vt nimis rigidè contra suum Protoparentem nonnulli loquuntur, sed voluisse significare, vt ex Scoto ait Arriaga citatus, naturalem amorem erga vxorem, sociam sibi à Deo datam, quam non fuit ausus contristare, nec eius primæ petitioni contradicere, fuisse causam, & occasionem lapsus; quam circumstantiam, sentit Arriaga citatus, minuisse potiùs, quam aggrauasse peccatum. Deinde de persona tam sapiènte, & optimè instructa non videtur credibile, distulisse pœnitentiam de peccato comestionis commisso, maximè visa in se tam notabili mutatione, alijsque circumstantijs, quæ vehementèr illum ad pœnitendum prouocabant.

633 Sed, permisso, quod Adam ante latam Dei sententiam non pœnituerit de peccato comestionis, Probatur nono conclusio. Si Adam posset ante latam Dei sententiam sua pœnitentia impedire transfusionem noxæ originalis, & priuationis iustitiæ originalis in posteros, negari non posset, illum fore graui obligatione astrictum, pœnitere ante sententiam, vt sic tam graue, & irreparabile damnum impediret, sicque grauissimè peccasse, omittendo tunc pœnitentiam: sed hoc est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Minor probatur. Quando Deus contra Adamum sententiam tulit, non increpauit eum ob omissionem pœnitentiæ, sed præcisè ob peccatum comestionis, *Quia comedi si de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra &c.* at si Adam fuisset graui obligatione astrictus, pœnitere tunc, grauissimeque peccasset, omittendo tunc pœnitentiam ante latam Dei sententiam, nõ prætermisisset Deus, eum increpare, & punire ob omissionem pœnitentiæ, quæ post peccatum comestionis fuit occasio tam grauis, & irreparabilis damni posterorum, quorum ipse erat caput morale, quorumque

quæ saluti, & foelicitati prospicere tenebatur: ergo signum est, Adamum ante sententiam non fuisse graui obligatione astrictum, pœnitere de peccato comestionis, nec peccasse grauitèr, omittendo tunc pœnitentiam, imo nec se excusando, vt dictum est probatione præcedente.

634 Probatur decimò. Sententia Dei, lata contra Adamum, solum continet maledictionem terræ in ordine ad operationem Adæ, & condemnationem eius ad viuendum ex illa cum labore, molestia, & sudore vsque ad mortem, in qua conuertendus erat in puluerem, ex quo formatus fuerat, quæ conuersio in puluerem non est pœna mortalitatis, comminata in lege transfusionis noxæ originalis, sed miseria quædam, eueniens corpori humano post mortem; & postea eum eiecit à paradyso, ne edere posset de ligno vitæ, nulla facta mentione transfusionis noxæ originalis in posteros, vt patet ex Genes. 3. à v. 17. vsque ad finem; quod indicat plane, noxam originalem non fuisse transfundendam in posteros à tempore sententiæ latæ, sed à tempore antecedente peccati comestionis Adæ, ratione comminationis diuinæ illius, huic peccato factæ: si enim non à tempore peccati comestionis, sed à tempore sententiæ latæ fuisset transfundenda in posteros noxa originalis, profecto sententia esset præcipuè de tali transfusione, & non de sola maledictione terræ, & condemnatione Adæ ad viuendum ex illa cum labore, anxietate, & sudore; verosimile autem est, sententiam diuinam non fuisse de transfusione noxæ originalis, non ob aliam rationem, nisi quia ea supponebatur transfundenda iam à tempore peccati comestionis, ratione comminationis diuinæ, illi factæ; si enim hoc non ita esset, non esset, cur sententia diuina prætermitteret tam grauem pœnam: Vnde sententia solum loquitur de alijs minoribus pœnis, quæ non continebantur expressè in comminatione diuina contra peccatum comestionis, quæque non intelligebantur expressè incurrendæ ex peccato comestionis ratione comminationis diuinæ.

635 Probatur vndecimo contra Peñalofam. Si tempus vitæ Adæ vt capitis moralis durasset vsque ad latam Dei sententiam, sequeretur, omissionem pœnitentiæ, quæ defacto peccaminosa fuit

fuit iuxta Peñalofam, fuisse peccatum capitis moralis, & nomine nostro factam; cumque hæc omiffio pœnitentię, quę defacto fuit, fuerit occasio transfusionis noxę originalis simul cum peccato comestionis iuxta Peñalofam, non vnicum, sed duplex peccatum fuisset defacto occasio dictę transfusionis contra superius dicta nu. 618. & 619: sed hoc est falsum, nec à Peñalofa admittitur: ergo tempus vię Adę vt capitis moralis non durauit vsque ad latam Dei sententiam, sed finitum est statim post peccatum comestionis. Sequela maioris probatur. Si Adam ante sententiam pœnitauisset, hæc pœnitentia esset pœnitentia capitis, ad quam ipse vt caput obligatus esset: ergo omiffio pœnitentię peccaminosa, illi opposita, & contra eam obligationem posita à parte rei defacto, fuit peccatum capitis. Antecedens, quod admittere renuit Peñalofa disp. 7. cap. 6. nu. 66. probatur aperte iuxta doctrinam Peñalofę. Nam iuxta eius doctrinam, si stante peccato comestionis, Adam pœnitauisset, sola hæc pœnitentia sine obseruantia præcepti de non comedendo, vt pote tunc non existente, esset causa, & occasio totalis, & completa transfusionis iustitię originalis: quod non posset esse, nisi talis pœnitentia esset pœnitentia capitis, & non personalis tantum; sicut enim solum peccatum personale Adę non posset esse causa transfusionis noxę originalis, ita nec sola pœnitentia personalis eiusdem posset esse causa transfusionis iustitię originalis: ergo si Adam tunc pœnitauisset, talis pœnitentia esset pœnitentia capitis, ad quam ipse vt caput obligatus esset.

636 Probatur duodecimo, destruendo fundamentum Peñalofę disp. 6. cap. 6. nu. 43. Si Adamo post peccatum comestionis concedendum esset auxilium ad pœnitentiam, vt pœnitendo posset impedire transfusionem noxę originalis, sibi que, & posteris restaurare iustitiam originalem, maximè quia contrarium esset indecens Dei bonitatem, misericordiam, & prouidentiam erga genus humanum: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Tum quia sæpè Deus sine indecentia suę bonitatis, misericordię, & prouidentię negat iuste peccatoribus in pœnam culpę tempus pœnitendi, & iustificandi se à peccatis, & auxilium ad id, vitam eis auferendo in ipso actu peccati, vel

vel eis tunc immittendo amentiam perpetuam. Tum quia licet Deus noluerit, quod Adam, & posteris recuperarent in hac vita iustitiam originalem, sicque noluerit ad id ordinare pœnitentiam Adę, tamen iam defacto prouidit Adę, & posteris ex meritis Christi passibilis media sufficientia, quibus eam illorum singuli recuperarent, & possiderent in altera vita post generalem hominum resurrectionem, vbi prædestinati habebunt gratiam sanctificantem cum omnibus donis, & priuilegijs status iustitię originalis: & propterea prouidit Adę vt personę particulari auxilium efficax ad pœnitentiam, qua recuperauit in hac vita gratiam sanctificantem cum iure ad omnia dona, & priuilegia iustitię originalis, possidenda ab ipso infallibiliter in altera vita post generalem resurrectionem: posteris etiam omnibus prouidit media salutaria, prædestinatis quidem efficacia, quibus ipsi in hac vita liberantur à peccato, & acquirunt gratiam sanctificantem cum iure ad omnia dona, & priuilegia iustitię originalis, quę possidebunt post resurrectionem in altera vita; Reprobis verò sufficientia, quibus possunt liberari à peccato, & acquirere gratiam sanctificantem cum iure ad eadem dona, & priuilegia iustitię originalis, possidenda post resurrectionem in altera vita; in quo satis relucet bonitas, misericordia, & prouidentia Dei erga genus humanum: ergo necesse non fuit, concedere de facto auxilium Adę, quo, pœnitendo, impediret transfusionem noxę originalis, sibi que, & posteris recuperaret iustitiam originalem ratione bonitatis, misericordię, & prouidentię diuinę erga genus humanum, nec contrarium continet vilam indecentiam.

637 Hactenus dicta procedunt de causa, & occasione totali, completa transfusionis noxę originalis ex parte Adę, nihil enim aliud concurrat defacto ex parte Adę ad talem transfusionem præter peccatum comestionis, vt ostensum est. An autem præter peccatum Adę fuerint necessarię defacto ad talem transfusionem alię circumstantię ex parte Dei, vel aliundè, videbimus infra disp. sequente.

638 Ex dictis fit, falsa esse omnia, quę docet Peñalofa in quatuor illis disputationibus, superius citatis nu. 602. Nam primo falsum est, causam, & occasionem totalem, & completam trans-

fusionis noxæ originalis fuisse peccatum comestionis simul cum defectu pœnitentiæ, aut excusatione. Secundo falsum est, tempus viæ Adæ vt capitis moralis non fuisse finitum post peccatum comestionis, sed durasse vsque ad latam Dei sententiam. Tertio falsum est, Adamum post peccatum comestionis potuisse, pœnitendo ante sententiam Dei latam, impedire transfusionem noxæ originalis, sibi que, & posteris restaurare statum iustitiæ originalis. Quarto tandem falsum est, peccatum comestionis non fuisse imputandum posteris vsque ad sententiam diuinam; horum enim omnium falsitatem conuincunt rationes propositæ.

639

PUNCTVM II.

Penalosa argumenta enervata.

640 *M*ulta, & efficacia argumenta congerit Peñalosa contra nostram sententiam ex Scriptura, Tridentino, Patribus, & ratione, que suo ordine in præsentibus examinanda sunt.

641 *P*rimo obijcit Peñalosa ex Scriptura Sacra. Lex illa Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, imponit mortalitatis pœnam per verba de futuro: sed pœna, à lege imposita per verba de futuro, non incurritur ipso facto ante sententiam, latam contra delinquentem, vt docent communiter Doctores: ergo idem erit de mortalitatis pœna, per verba de futuro imposita ab illa lege. Confirmat primò. Deus venit in paradysum post peccatum comestionis Adæ, & delicto examinato, & parte audita, protulit contra Adamum sententiam condemnatoriam mortis inuitabilis: at si Adam cum sua posteritate, immediatè post peccatum comestionis, mortis pœnam incurrisset inuitabiliter, non protulisset Deus sententiam condemnatoriam mortis inuitabilis contra ipsum, esset enim superflua prolatio talis sententiæ: ergo Adam post peccatum comestionis non incurrerat pœnam mortis inuitabiliter vsque ad latam Dei sententiam. Confirmat secundò. Adam

Adam post peccatum comestionis adhuc morabatur in Paradyso cum facultate edendi de ligno vitæ, quo acquirere poterat immortalitatem: ergo nondum incurrerat immortalitatem. Antecedens patet. Deus post latam sententiam eiecit Adamum de Paradyso, ne ederet de ligno vitæ, & immortalis fieret, Genes. 3. *Ne forte (inquit) mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*: ergo post peccatum comestionis adhuc morabatur Adam in Paradyso cum facultate edendi de ligno vitæ, quo acquirere poterat immortalitatem.

642 *R*espondeo, minorem veram esse absolutè, regularitèr loquendo; falsam verò esse aliquando, cum aliqua verba ipsius legis, aut alie circumstantiæ præbent fundamentum ad intelligendum, pœnam, à lege impositam per verba de futuro, esse ipso facto incurrendam ex vi legis, eam per se infligentis, independentèr à sententia subsequente, statimatque ponitur delictum, vt contingit in nostro casu, in quo verba legis præfata, & aliæ circumstantiæ conuincunt, eam, etiamsi per verba de futuro, statuisse mortis pœnam, ipso facto incurrendam, independentèr à sententia postea lata, statimatque Adam comedendo delinqueret. Tum quia verba illa, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, idem sonant iuxta communem Patrum intelligentiam, ac in quocunque tempore, vel momento comederis ex eo, morte morieris, quasi diceret, statimatque comederis ex eo, incurres mortalitatem spirituales, & temporales: sic enim accipiuntur similia verba Ezechielis 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua, & iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit*; vbi verba illa, *in quacunque die*, idem sunt, ac in quocunque momento, vel statim atque, impius enim in instanti ipso suæ conuersionis est liber à macula suæ impietatis, & iustus in instanti ipso peccati amittit iustitiam suam. Tum quia lex illa Genes. 2. dirigitur indiuisibilitèr ad Adamum, & posteros, in eo moralitèr existentes, vt dictum est punct. superiori nu. 607. cumque vt directæ ad Adamum, intelligatur de pœna mortalitatis, ipso facto incurrenda ab Adamo, independentèr à sententia subsequente, etiamsi imponat illam per verba

Mm

de

de futuro, similiter intelligitur vt directa ad posterōs. Tum quia Patres, & Doctores communiter legem illam intelligunt de poena, ipso facto incurrenda, quamuis imponat illam per verba de futuro. Tum quia rationes propositæ puncto superiori planè conuincunt, poenam mortalitatis, à lege illa impositam, esse ipso facto incurrendam ante latam Dei sententiam.

643 Ad primam confirmationem nego maiorem. Deus enim non pronunciauit contra Adamum, & posteros sententiam condemnatoriam mortis, aut mortalitatis ineuitabilis, vt dictum est puncto superiori probat. 10. nu. 634. hæc enim poena erat iam incurrenda à tempore peccati comestionis ex vi legis transfusionis, sed pronunciauit solum sententiam condemnatoriam maledictionis terræ in ordine ad operationem Adæ, & condemnatoriam Adæ ad viuendum ex illa cum labore, molestia, & sudore vsque ad mortem, post quam conuertendus erat in puluerem, ex quo formatus fuerat, eijciendo illum simul à Paradyso, ne ederet de ligno vitæ, nulla facta mentione mortalitatis, & transfusionis noxæ originalis: nam quamuis ibi sermo sit de conuersione eius in puluerem, hoc tamen non est poena mortalitatis, sed miseria quædam corporis humani, quæ euenit corpori post mortem; sententia autem loquebatur de his poenis, quia non continebantur expressè in lege illa transfusionis. Quod si permittatur, sententiam diuinam loqui de poena etiam mortalitatis, & transfusionis noxæ originalis, dicam, sententiam illam non fuisse condemnatoriam, sed declaratoriam solum criminis, & poenæ dictæ, incurrendæ iam à tempore delicti ex vi legis transfusionis.

644 Ad secundam confirmationem dico, quod post peccatum comestionis adhuc Adam morabatur in Paradyso cum facultate edendi de ligno vitæ, quo acquirere posset immortalitatem, si ibi moraretur per totam vitam, & per interualla aliqua temporis repeteret comestiones de fructu eius; vnica enim comestio non sufficeret ad reddendum hominem immortalem, sed ad summum ad prorogandam vitam eius in longum aliquod tempus, vt docent communiter Doctores, quidquid in contrarium asserat Peñalosa: & propterea Deus illum cito eiecit

cit de Paradyso, ne posset repeterere comestiones de ligno vitæ, eisque immortalis fieri, quando damnatus iam erat ad mortalitatem, ipso facto incurrendam ex vi legis transfusionis.

645 Secundo obijcit verba Pauli ad Roman. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum, sed enim vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Quibus verbis, probat fusè, & eruditè Peñalosa disp. 6. cap. 5. significari, validiorem fuisse gratiam, & donum Christi ad reparanda damna, generi humano illata per peccatum Adæ, quam fuerit hoc peccatum ad inferenda illa; at si Adam ex meritis Christi non habuisset gratiã ad recuperandam sibi, & posteris iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & priuilegijs, non fuisset validior gratia, & donum Christi, imò nec tam valida ad reparanda damna, generi humano illata per peccatum Adæ, quam fuit hoc peccatum ad inferenda illa: ergo Adam habuit ex meritis Christi gratiam ad recuperandam sibi, & posteris iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & priuilegijs. Minor patet. Nam peccatum Adæ perdidit generi humano iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & priuilegijs: sed hoc damnum nec quoad efficaciam, nec quoad sufficientiam reparauit vnquam gratia, & donum Christi, dato quod non concedatur Adæ gratia ex meritis Christi ad recuperandam sibi, & posteris iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & priuilegijs; licet enim gratia, & donum Christi reparauerit defacto gratiam sanctificantem, in prædestinatis quoad efficaciam, & in reprobis quoad sufficientiam, tamen dona, & priuilegia iustitiæ originalis nullo ex his modis reparauit: ergo, dato illo, non fuit defacto tam valida gratia, & donum Christi ad reparanda damna, generi humano illata per peccatum Adæ, quam fuit hoc peccatum ad inferenda illa.

646 Retorqueo argumentum. Licet Peñalosa admittat in Adamo ante impoenitentiam gratiam ex meritis Christi ad recuperandam sibi, & posteris iustitiam originalem, per peccatum comestionis amissam, fatetur tamen, post impoenitentiam nec Adamum, nec posteros habuisse gratiam, aut medium aliquod ex meritis Christi ad reparandam illam: ergo ex hoc etiam in-

ferre debet, saltem peccatum comestionis simul cum impoenitentia validius fuisse ad perdendam generi humano iustitiam originalem, quam fuerit defacto gratia, & donum Christi ad reparandam illam; quod sine absurdo, & iniuria verborum Pauli concedi non potest.

647 Respondeo ergo facile iuxta dicta puncto superiori probat. 12. nu. 636. negans minorem. Ad probationem nego etiam minorem. Nam licet Adam non habuerit ex meritis Christi gratiam ad recuperandam in hac vita, sibi, & posteris iustitiam originalem amissam cum omnibus suis donis, & privilegijs; tamen singulis illorum prouidit Deus defacto media salutaria validissima ad recuperandam, & possidendam iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & privilegijs in altera vita post generalem resurrectionem, vbi Prædestinati habebunt gratiam sanctificantem cum omnibus donis, & privilegijs iustitiæ originalis, & ad recuperandam in hac vita gratiam sanctificantem cum iure ad possessionem donorum, & privilegiorum iustitiæ originalis in altera vita, prædestinatis quidem quoad efficaciam, & reprobis quoad sufficientiam. Vnde validior sine dubio fuit gratia, & donum Christi ad reparandam iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & privilegijs, quam fuerit peccatum Adæ ad perdendam illam; siquidem peccatum Adæ eam perdidit solum ad tempus, gratia vero, & donum Christi reparauit possessionem eius in altera vita per totam æternitatem etiam cum maiori perfectione, in prædestinatis quoad efficaciam, & in reprobis quoad sufficientiam. Quo corruit tota machina argumenti, quod tam efficax iudicabat Peñalosa.

648 Hinc facile respondetur ad testimonium Pauli ad Colossenses 2. adductum a Peñalosa disp. 6. cap. 3. num. 11. *Delens, (scilicet Christus) quod aduersus nos erat, chirographum decreti, & c. & expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Nam Christus verè deleuit chirographum decreti diuini, quo Deus statuerat, priuare nos statu iustitiæ originalis propter peccatum Adæ, restituendo nobis per merita sua talem statum partim in hac, & plenè in altera vita post generalem resurrectionem, modo explicatos

abstulit etiam diabolo spolia felicitatis iustitiæ originalis, quæ nobis vsurpauerat in peccato Adæ, ea nobis perfectè restaurando, & recuperando partim in hac, & plene in altera vita, modo explicato; sicque perfectè de diabolo triumphauit, eumque plenissimè vicit, quin ad id opus sit, concedere gratiam Adæ ante sententiam, qua posset sibi, & nobis recuperare in hac vita felicitatem iustitiæ originalis, amissam per peccatum.

649 Obijcit tertio verba eiusdem Pauli ad Roman. 5. v. 13. *Vsq; ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Probat autem fuse Peñalosa disp. 7. cap. 2. nomine legis non intelligi legem Mosaicam, neque nomine peccati peccata originalia, aut personalia posterorum Adæ; nam ante hanc legem verè cognoscebantur, & imputabantur peccata originalia, & personalia posterorum, cum ante legem Mosaicam institutum fuerit in lege naturæ remedium pro delendis originalibus, & personalia sæpè puniret Deus, ut patet in diluuiio mundi, igne Sodomorum, & plagis Aegyptiorum, alijque suplijs, ob personalia peccata à Deo immisissis. Vnde concludit, ibi nomine peccati significari peccatum actuale comestionis Adæ, de quo egerat vers. antecedente, id. que indicare illam particulam *enim*, quæ, quia causalis, denotat, hunc versum esse declarationem, vel probationem præcedentis; & nomine legis intelligi legem transfusionis noxæ originalis in posteros, contentam in verbis illis Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris;* quæ lex iuxta Peñalosæ doctrinam, licet esset iam à tempore comestionis Adæ, non tamen erat tunc adhuc vrgens pro posteris, sed cepit pro illis vrgere à tempore impoenitiæ Adæ, & sententiæ diuinæ, ex quo iam non potuit amplius Adam impedire transfusionem noxæ originalis in posteros, quam poterat antea impedire toto tempore intermedio inter comestionem, & sententiam diuinam.

650 Ex quo infert Peñalosa, hunc esse legitimum sensum verborum Pauli, *vsque ad legem peccatum erat in mundo*, id est, peccatum comestionis Adæ verè existebat in mundo ante legem transfusionis, vrgentem pro posteris, quia à tempore comestio-

stionis extitit tale peccatum vsque ad tempus sententiæ diuinæ, quo lex illa cepit vrgere pro posteris; *peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*, id est, peccatum illud comestionis Adæ non imputabatur posteris toto illo tempore intermedio, quod interfuit inter comestionem, & sententiam diuinam, quia pro illo tempore intermedio nondum erat lex illa transfusionis, vrgens pro posteris vsque ad sententiam diuinam. Hic autem tam legitimus sensus non potest habere locum in nostra sententia, assente, solum peccatum comestionis Adæ fuisse ex parte eius causam, & occasionem totalem, & completam transfusionis noxæ originalis, independentè ab impœnitentia, & à sententia diuina, & ab eius commissione fuisse iam imputandum posteris tale peccatum, sic enim nullum fuit tempus, in quo peccatum comestionis Adæ esset in mundo, & non imputaretur posteris: ergo nostra sententia non cohæret cum legitimo sensu verborum Pauli.

§ 1 Responderi posset imprimis ex Cornelio à Lap. in verbis Pauli sermonem esse de peccato posterorum præsertim originali, & de lege Mosaica; sensumque legitimum eorum hunc esse, *vsque ad legem* (scilicet Mosaicam) *peccatum* (scilicet originale) *erat in mundo*, quia ante talem legem erat iam peccatum originale contractum à posteris; *peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*, id est, peccatum originale non reputabatur communiter ab hominibus pro eo, quod in se erat, nec de eo curabatur, prout opus erat, & exigebat ratio, vel quia homines, decursu temporis obliti documentorum Adæ circa eius contractionem, illud communiter ignorabant, vel quia, suis voluptatibus, & passionibus dediti, illud non horrebant, nec de eo delendo curabant, eo quod non esset lex Mosaica lata, ostendens eius fœditatem, & puniens non horrentes illud, nec de eo delendo curantes: vnde verbum illud, *non imputabatur*, idem sonat in præsentia, ac *non reputabatur*. Contra hanc autem expositionem, sic propositam, vim non habent, quæ fusè congerit Peñalosa loco citato, vt perpendenti constabit.

§ 2 Deinde adhærendo singulari modo interpretandi Peñalosa, & intelligendo nomine peccati peccatum actuale comestionis Adæ, & nomine legis legem transfusionis noxæ origi-

na

nalis in posteros, dico, adhuc in nostra sententia posse verificari verba Pauli. Nam licet peccatum comestionis Adæ sit causa, & occasio totalis, & completa transfusionis noxæ originalis, independentè ab impœnitentia, & sententia diuina, & à tempore huius peccati esset iam ipsum imputandum posteris, & transfundendum de futuro in eos, tamen illud non imputabatur, nec transfundebatur ex tunc de præsentia, sed cepit de præsentia imputari posteris, & transfundi in ipsos in instanti generationis eorum, in quo eos incipit maculare, iuxta dicta cap. 3. punct. 3. in solut. instantiæ contra 7. obiectionem à nu. 535. & sic lex transfusionis à tempore comestionis non erat actu vrgens pro posteris, nec fuit actu vrgens pro ipsis vsque ad instans generationis eorum, sed erat solum futurum tunc, quod vrgeret in tali instanti generationis. Vnde facile est, haurire hunc sensum legitimam verborum Pauli iuxta nostram sententiam, *vsque ad legem peccatum erat in mundo*, id est, peccatum comestionis Adæ exitebat in mundo ante legem transfusionis, actu vrgentem pro posteris, quia à tempore comestionis extitit tale peccatum vsque ad instans generationis posterorum, quo lex illa cepit, actu vrgere pro posteris, cum antea non vrgeret pro illis actu: *peccatum non imputabatur, cum lex non esset*, id est, peccatum illud comestionis Adæ non imputabatur de præsentia posteris toto illo tempore intermedio, quod interfuit inter comestionem, & instans generationis posterorum, quia pro illo tempore intermedio nondum erat lex transfusionis, actu vrgens pro posteris vsque ad instans generationis eorum. Hunc autem sensum posse legitimè admittere verba Pauli iuxta nostram sententiam, nescio, quomodo negare possit Peñalosa: & sic falsa est minor obiectionis eius.

§ 3 Obijcit quarto Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali can. 1. *Si quis non confiteatur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in quibus constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam præuaricationis huiusmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli totumque Adam per illam præuari-*

catio

cationis offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit. In his verbis ponderat Peñalosa, Tridentinum constituere differentiam inter damna, quæ propter peccatum comestionis incurrit Adam vt persona particularis, scilicet amissionem sanctitatis, & iustitiæ, iram, & indignationem Dei, mortem comminatum, & captiuitatem sub potestate diaboli, & inter imperium diaboli in mortem, quod imperium non est in solum Adamum, sed etiam in posteros eius; cum imperium sit idem, ac regnum, quod iurisdictionem vniuersalem significat in omnes, & non in vnam personam solum: nam illa damna, asserit Tridentinum, incurrisse Adamum statim post peccatum comestionis, imperium vero in homines, eorumque mortem comparasse diabolum post aliquod tempus, vt indicat particula illa *deinde*: ergo subiectionem imperio diaboli cum cæteris damnis non incurrerunt posteri statim post peccatum comestionis Adæ, sed aliquo tempore postea: sed hoc non potest esse verum, nisi dicendo, incurrisse illam postea tempore impoenitentia, & sententiæ diuinæ: ergo hoc tempore incurrerunt posteri subiectionem imperio diaboli cum cæteris damnis, & non à tempore peccati comestionis.

654 Respondeo, permittendo, (quod forte falsum est,) loqui Tridentinum de imperio diaboli in posteros Adæ, eorumque mortem, hocque imperium non comparasse diabolum statim post peccatum comestionis Adæ, sed aliquo tempore postea, idque indicare particulam illam *deinde*, dico tamen, hoc tempus, in quo diabolus cepit actu habere imperium in posteros, eorumque mortem, non fuisse tempus impoenitentia, & sententiæ diuinæ, sed instans generationis, & existentia posterorum: licet enim à tempore peccati comestionis Adæ, & ratione istius esset iam futurum imperium diaboli in posteros, tamen non fuit actu hoc imperium diaboli in ipsos vsque ad instans generationis, & existentia posterorum, quia in posteros, nondam existentes, non potuit habere actu imperium diabolus, nec posteri, nondum existentes, poterant esse actu subiecti illius imperio, & potestati. Hic sensus potest sine dubio esse legitimus verborum Tridentini, quin necesse sit, asserere, im-

poeni-

poenitentiam Adæ, & sententiam diuinam induxisse imperium illud diaboli in posteros.

655 Obijcit quinto aliquos Patres, tribuentes exilium Adæ à Paradyso excusationi, qua, requisitus à Deo de delicto, se impoenitens excusauit. Nam Augustinus serm. 3. de Annunciatione, qui est 19. de sanctis, sic loquitur, *Qui, (scilicet Adam) se humiliter se excusasset, & in auctorem suam culpam non retorisset, a Paradyso non exalasset.* Eadem omnino Augustini verba profert S. Ybon Episcopus Carnotensis in serm. *Quare Deus natus, & passus fuerit.* S. Antoninus tom. 1. Historiæ cap. 1. §. 2. in illud Genes. 3. *Adam vbi es, hæc habet, Requirebatur, vt poeniteret, & confiteretur, sed quia hoc non egerunt, sed se excusauerunt, retorquentes culpam culpæ in alterum, in Deum, vel serpentem, eiekti sunt a Paradyso:* ergo iuxta hos Patres non solum peccatum comestionis Adæ, sed excusatio etiam impoenitens eius fuit causa exilij ipsius, & posterorum à Paradyso, & consequenter etiam aliarum miseriarum, cum omnes sub eadem conditione comminata sint à Deo. Ante solutionem notandum est, hos Patres, & cæteros, in sequentibus obiectionibus citandos, iudicasse grauitè culpabilem, & peccaminosam excusationem Adæ; cuius oppositum probabile esse, ostendimus punct. superiori probat. 8. num. 631. & 632.

656 Nunc respondeo, hos Patres solum voluisse, excusationem Adæ fuisse causam executionis exilij à Paradyso cum ignominia, & dedecore sententiæ diuinæ: nam si se non excusasset Adam, subiisset quidem executionem exilij à Paradyso ex vi legis transfusionis præcisè sine ignominia, & dedecore sententiæ diuinæ, quia Deus tunc non protulisset sententiam contra Adamum, quam defacto, motus excusatione eius, protulit: est autem multo magis ignominiosum, & indecorum, subire poenam, a lege impositam, cum sententia condemnatoria, aut declaratoria superioris, quam esset, illam subire ex vi legis præcisè absque tali sententia, idque molestius ferunt rei frequentèr. Addo, forte sermonem illum non esse Augustini, vt docet Pererius lib. 6. in Genes. disp. *An vere Adam fuerit deceptus,* in fine.

657 Obijcit sexto aliquos Patres, asserentes, impoenitentiam,

Nn

&

& excusationem Adæ, nolentis confiteri, & imputare sibi delictum, fuisse causam, ob quam ipse, & posteri mortem comminatum incurrerunt. S. enim Prosper lib. de promission. & prædiction. cap. 2. in illud Genes. 2. *In quocunque die comederis &c. sic fatur, Quod peccatum dum vir excusat per mulierem, & mulier per serpentem, mortem prædictam non tantum sibi, quam suis etiam posteris propinarunt.* Gregorius in psal. 2. pœnitentialem, *Imputare sibi Adam peccatum noluit, unde quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis sententiam in posteros misit.* S. Thomas de Villanova in serm. Domin. 3. quadrag. *Si homines si fuissent, & confessi peccatum, proculdubio, ut ait Bernardus, minori, & leniori pœna muldæati fuissent, sed propter impœnitentiam morte cum sua posteritate damnantur: ergo iuxta hos Patres solum peccatum comessionis Adæ non fuit causa, & occasio mortis ipsius, & posterorum.*

658 Respondeo similiter, hos Patres solum intendere, excusationem Adæ, nolentis confiteri, & imputare sibi delictum, fuisse causam, ob quam ipse, & posteri incurrerunt mortem, seu mortalitatem cum ignominia, & dedecore sententiæ diuinæ; si enim se non excusasset, sibi que imputasset delictum, incurrissent quidem ipse, & posteri mortem, seu mortalitatem ex vi legis transfusionis præcisè sine ignominia, & dedecore sententiæ diuinæ, quam tunc contra Adamum Deus non tulisset. Addo, S. Thomam de Villanova expressè dicere, propter impœnitentiam fuisse morte damnatos primos Parentes cum sua posteritate, scilicet per sententiam; quod verum est, quia impœnitentia mouit Deum ad ferendam sententiam illam damnationis, quam aliàs non tulisset Deus, sed incurrissent mortem primi Parentes, & posteri ex vi legis transfusionis præcisè, quæ esset minor, & lenior pœna, ut ait S. Thomas, utpote sine ignominia, & dedecore sententiæ. Gregorius etiam sententiam solum mortiferæ damnationis tribuit defectui confessionis suæ culpæ.

659 Obijcit septimo alios Patres, dicentes, Adamum, & posteros ratione sententiæ diuinæ, & à tempore eius incurrisse pœnam mortalitatis, & mortis, & captiuitatis diaboli. Augustinus lib. 3. de Ciuitate Dei cap. 3. *Pro magnitudine culpæ illius, naturam*

Amuatio (scilicet sententiæ diuinæ) *mutauit in peius: & paulo infra ait, hanc mutationem naturæ in peius fuisse ratione mortalitatis inductæ. Et serm. 19. de sanctis supracitato, Diuina itaque sententia morti adiudicatus est Adam.* Chrysostomus hom. 17. in Genes. in illud Genes. 2. *in quocunque die comederis ex eo &c. sic loquitur, A quo tempore audierunt, terra es, & in terram abibis, & sententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt, & ex illo tempore fuerunt perinde, ac si quis dicat, illos mortuos fuisse.* Et paulo infra, eo die, a quo mortalitatis sententiam acceperunt, sententia mortui sunt. Athanasius lib. cœtera Arrianos, *lata sententia a Deo erat, terra es, & in terram abibis; sic ergo mortales erant facti.* Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Isaiam, *Dicitur est Adæ, terra es, ac quidem maledictus propter transgressionem hominis, unde corruptioni subiecta natura.* Et aduersus Antromorphitas cap. 8: *Audierunt, terra es, & ex incorrupto factus est corruptioni obnoxius.* Isidorus to. 2. lib. 1. cap. 11. *Homo propter peccatum traditus est diabolo, quando audiuit, terra es, & in terram abibis: ergo iuxta hos Patres non incurrerunt Adam, & posteri pœnam mortalitatis, & captiuitatis diaboli ex vi solum peccati comessionis, sed ex vi etiam sententiæ diuinæ, & à tempore eius; atque adeo solum illud peccatum non fuit causa, & occasio incurrendi illam.* Respondeo similiter, hos Patres solum contendere, Adamum, & posteros à tempore sententiæ, & ratione eius subiisse pœnam mortalitatis cum ignominia, & dedecore sententiæ diuinæ, licet talis pœna sine hac ignominia, & dedecore esset iam ab illis incurrenda à tempore peccati comessionis, & ex vi eius.

660 Obijcit octauo Abulensem, & Rupertum suo iudicio sentientes, Adamum, se non excusando, potuisse se, & nos liberare à contractione noxæ originalis, & pœnalitatum eius. Abulensis enim in illud Genes. 3. *mulier, quam dedisti mihi &c. sic exclamat, O prauum cor, excusando se accusat, quod si non se excusasset, omnes nos ab accusatione, & iudicio liberasset.* Rupertus etiam lib. 3. in Genes. cap. 16. ait, *Factum suum defendere ausi sunt, itaque, repulsa venia, iusta tandem super illos datur sententia: ergo iuxta hos Patres excusatio Adæ fuit etiam causa, & occasio transfusionis noxæ originalis, & miseriarum eius.* Re-

spondeo, Abulensem non asserere, quod si Adam se non excusasset, liberasset nos à contractione noxæ originalis, & pœnalitatum eius, sed ab accusatione, & iudicio, id est, ab accusatione, qua Deus ipsum, & nos accusauit in ipso, prodendo, & publicando delictum commissum, & à iudicio sententiæ, qua Deus ipsum, & nos in ipso iudicauit poena dignos; ab his enim nos liberasset Adam, si se non excusasset, cum propter excusationem eius hæc præstiterit Deus, vt dictum est. Rupertus similiter loquitur solum de iusta Dei sententia, quam subierunt primi Parentes propter defensionem sui delicti; non autem de transfusione noxæ originalis, & miseriarum eius.

661 Obijcit nono Augustinum, & Bernardum, asserentes, excusationem Adæ fuisse peiorem, & damnabiliorem, magisque nocuisse, quam transgressionem præcepti de non edendo de ligno interdicto. Augustinus enim lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 14. ait, *Peior, damnabiliorque superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur, sicut illi primi Parentes.* Bernardus tract. de præcepto, & dispensatio. *Arbitror, & ipsam primam grauissimam præuarcationem, aut non aliunde, aut inde mox iudicatum grauissimam, hoc est, ex rebellionem defensionis, que secuta est.* Et paulo post, *Antiqua illa tam nota, & tam noxia præuarcatio, facile, vt creditur, indulgentiam consequeretur, dummodo confessio, & non defensio sequeretur; neque enim tantum nocuit simplicis actionis transgressio, quantum adiunctæ excusationis cum præmeditatione obstinatio.* Si autem transgressio præcepti, independentè ab excusatione impœnitente Adæ, induxisset in posteros noxam originalem cum suis miserijs, non posset excusatio esse peior, damnabilior, & magis nociua, quam transgressio præcepti, vt patet: ergo iuxta hos Patres sola transgressio præcepti sine excusatione non induxit in posteros noxam originalem cum suis miserijs.

662 Respondeo, Augustinum, & Bernardum iudicasse peiorem, damnabiliorem, & magis nociuam excusationem impœnitentem Adæ, quam transgressionem illam præcepti, non quidem absolutè, attendendo ad nocumentum, posteris illatum, sed attendendo ad nocumentum, ipsumet Adæ illatum in ordine ad consecutionem veniæ de peccato transgressionis præ-

cepti: nam excusatio impœnitens Adæ obstitit, & clausit ianuam veniæ, quæ non datur à Deo sine pœnitentia, & humili confessione peccati, quam non clauserat transgressio præcepti præcisè; & propterea ait Bernardus, quod præuarcatio Adæ obtineret faciliè indulgentiam, si Adam pœnitens confessus esset delictum, non apponendo obstaculum excusationis, & defensionis: & ex hoc capite iudicant Patres citati, fuisse peiorem, damnabiliorem, & magis nociuam excusationem impœnitentem Adæ, quam transgressionem præcepti, licet hæc aliundè fuerit absolutè peior, damnabilior, & magis nociua, ratione scilicet nocuenti, posteris illati. Quod autem hi Patres ex eo solum capite iudicent peiorem, damnabiliorem, & magis nociuam excusationem impœnitentem Adæ, patet ex Bernardo, qui maius nocumentum excusationis posuit statim, postquam dixerat, & excusationem, & defensionem Adæ obstitisse facili veniæ transgressionis, inde quasi inferendo maius nocumentum excusationis, quam transgressionis, quæ non esset legitima illatio, nisi sermo esset de maiori nocumento excusationis in ordine ad facilem consecutionem veniæ, de qua immediatè antea locutus fuerat. Hic igitur est, meo iudicio, sensus verborum Bernardi, *Præuarcatio Adæ facile indulgentiam consequeretur, si confessio delicti, & non defensio sequeretur, sed cum sequuta sit defensio, & excusatio, hæc obstitit facilitati veniæ, hancque impediuit, & ideo plus nocuit hæc defensio, & excusatio, quam illa præuarcatio, scilicet in ordine ad facilem consecutionem indulgentiæ.* Hunc esse legitimum sensum verborum Bernardi, constabit, ea attentè perpendendo.

663 Obijcit decimo Augustinum, dicentem, quod Adamus nondum incurrerat pœnam sui delicti, iam commissi, quando Deus deambulabat in Paradyso, sic enim loquitur lib. 2. de Genesi ad literam contra Manichæos cap. 16. *Cum deambularet Deus in Paradyso ad vesperã, id est, cum ad eos iudicandos veniret, adhuc ante pœnam ambulabat in Paradyso.* Hoc autem, (ait Peñalosa,) non potest esse verum, nisi quia Adam non incurrerat pœnam inuitabiliter statim post delictum, neque incurrit illam vsque ad sententiam diuinam: ergo &c. Respondeo, verè dicere Augustinum, quod Deus deambulabat in Paradyso an-

te poenam peccati Adæ, non quia non incurrisset iam tunc inevitabiliter poenam privationis iustitiæ originalis, & debiti miseriarum eius, aut quia hæc incurrenda non esset inevitabiliter usque ad sententiam diuinam, sed quia nondum tunc subierat in executione omnem poenam peccati; nondum enim subierat tunc poenam maledictionis terræ in opere suo, & condemnationis ad viuendum ex illa cum labore, molestia, & sudore, nec poenam exilij à Paradyso, imo nec actualem transfusionem noxæ originalis in posteros, cum hæc transfusio ceperit executioni mandari in instanti generationis Posterorum, qui nondum tunc geniti erant.

664 Obijcit undecimo aliquos Patres, asserentes, post peccatum Adæ potuisse adhuc reparari damna eius, & recuperari foelicitatem amissam per illud. Chrysostomus homil. 17. in Genes. *Utridit Deus, utrosque, peccando, transgressos per negligentiam ea, quæ a se præcepta erant, nec sic quidem a misericordia cessat, sed semper sibi similis, quem admodum clementissimus Pater, filium indignum quod nobilitate sua per negligentiam commisisse, & a summo honore in extremam vilitatem redactum, videns, paternis visceribus commotus, iterum suum agit officium, paulatim illum, a vilitate liberatum, pristina restituens dignitatis, simili modo bonus Deus miseratus est hominis, curando scilicet, eum à vilitate peccati liberare, & in pristinam dignitatem iustitiæ originalis restituere, dando gratiam Adæ, ut eam sibi, & nobis per poenitentiam recuperaret. Deinde subiungit, *mor ut vidit, (scilicet Deus,) quod factum fuerat, & videris magnitudinem, ad optulandum festinavit, ut ne vlcus, grassando, fieret incurabile vulnus, idcirco, ut præueniat, accelerat, & velociter crescenti vlcere adest, excitando scilicet Adamum ad poenitentiam, vulneris curatiuam. Augustinus serm. 19. de sanctis, Quia sine poenitentia in statum suum redire non poterat (scilicet Adam,) monendus, & admonendus erat ad poenitentiam, ut reformaret voluntaria, & subiecta humilitas, (scilicet poenitentia,) quod corruerat male creati iniquitas, scilicet statum iustitiæ originalis amissum. Bernardus serm. 1. de omnibus sanctis, Perdidit homo iustitiam, erat tamen residuum aliquod, quod apprehendere possent, (scilicet remedium poenitentia,) idque dominus illo sermone inuocabat, sed abiecerunt etiam illud,**

conuersi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: ergo iuxta hos Patres post peccatum adhuc poenitentia erat remedium, ut repararentur damna peccati, & restitueretur foelicitas amissa; & sic solum peccatum Adæ non induxit inevitabiliter ea damna, nisi ratione impoentitiæ, & excusationis sequentæ.

665 Respondeo, hos Patres non asserere, potuisse Adamum, poenitendo, reparare sibi, & posteris pristinam foelicitatem amissam, sed contendere solum, potuisse primos Parentes, poenitendo, sibi ipsis reparare damna peccati, & recuperare statum iustitiæ originalis amissum, possidendum partim in hac vita quoad gratiam sanctificantem, & ius ad dona, & privilegia illius status, habenda in altera vita, & plenè in altera vita post resurrectionem quoad omnia, quæ includit talis status, ut sæpè dictum est. Quod si in aliquo ex his testimonijs sermo sit etiam de posteris Adæ, dico, non dici in eo, potuisse posteros in Adamo, ante contractum peccatum originale, impedire illa damna, & acquirere iustitiam originalem, sed potuisse in se ipsis, post contractum peccatum originale, per media, ipsis à Deo prouisa, liberari ab illis damnis, & restaurare iustitiam originalem partim in hac vita, & plenè in altera modo dicto. Et hac ratione rectè intelligitur modus, quo Chrysostomus ait, Deum bonum miseratum esse hominis. Similiter etiam verificatur dictum Augustini, scilicet monendum fuisse Adamum ad poenitentiam, ut reformaret in eo humilitas poenitentia, quod corruerat iniquitas. Intelligitur etiam iuxta Bernardum, post perditam iustitiam, fuisse primis Parentibus residuum aliquod, scilicet poenitentia, quod apprehendere poterant ad illam recuperandam.

666 Quod autem ponderat Peñalosa in secundo Chrysostomi testimonio, scilicet sermonem ibi esse de vlcere, nondum tunc grassante, aut grassato, sed quod cito, si Adam non poeniteret, erat grassaturum in posteros, Deumque festinasse ad optulandum, & accelerasse ad præueniendum remedium, ne illud grassaretur, & diffunderetur in posteros, falsum est: Nam S. Doctor expressè loquitur de vlcere iam grassante, & crescente inter posteros, ut patet ex illis verbis, & velociter crescenti

ulceri adest: vnde Deus non dicitur, festinasse ad opitulandum præseruatiuè, neque accelerasse ad præueniendum, & prouidendum remedium, præseruatiuum posteriorum agrassatione, & diffusione ulceris, sed ad opitulandum liberatiuè, & ad præueniendum, & anticipandum remedium curatiuum, & liberatiuum ab ulcere contracto, aut necessario contrahendo, decernendo ex tunc Christum passibilem, & redemptorem absolute, ex cuius meritis possent primi Parentes, & posterius in se ipsis postea ab ulcere contracto liberari, quando hoc contractum esset: quam curationem volens Deus inchoare à primis Parentibus, venit ad excitandos illos ad poenitentiam, dando eis ad id auxilium ex meritis Christi: hocque præstitit Deus, ne vlcus, grassando, fieret incurabile, vt loquitur Chrysostomus, quia sine meritis Christi passibilis, & Redemptoris factum esset incurabile vulnus tam in primis Parentibus, quam in posteris. Adde, fortè Chrysostomum non loqui de grassatione ulceris in posteros, sed in homines solum tunc in mundo existentes, scilicèt Heuam, & Adamum: Deus enim, visa ulceris magnitudine, eiusque grassatione in Heuam, & Adamum, ne vlcus, facta hac grassatione, & diffusionem ex Heua in Adamum, fieret incurabile vulnus, si sine remedio curatiuo relinqueretur, idcirco accelerauit præuenire in Paradysum ad eos redarguendos, & excitandos ad poenitentiam, efficacitè vulneris curatiuam, & velocitè crescenti ulcere ex Heua in Adamum adfuit, eos ad medicinam poenitentiam amplectendam alliciendo. Hic sine dubio videtur legitimus sensus verborum Chrysostomi, vt perpendenti constabit; præsertim cum dictum sit, non loqui Chrysostomum de ulcere grassaturo, sed de iam tunc grassante, aut grassato.

667 Obijcit duodecimo alios Patres, dicentes nobis per Christum, & Mariam restitui, & reparari foelicitatem, amissam per peccatum primorum Parentum. Irenæus lib. 3. cap. 20. scribit, *nos recuperare per Christum, quod in Adam perdidimus*. Et cap. 33. *Quod alligauit virgo Heua per incredulitatem, hoc virgo Maria soluit per fidem*. S. Leo serm. 1. de ieiunio decimi mensis ait, *erigim Adam secundo, quod cecidit in primo*. Et serm. 12. de passione asserit, *Verbum carnem assumpsisse, vt idem naturam humanam,*

eterna

eternitatis arce deiectam, amisse restitueret dignitati. Hieronymus ad Eustochium, *Quidquid maledictionis infusum est per Heuam, totum abtulit benedictio Mariae*. Ildephonsus serm. 2. de Assumptione, *Hæc est illa, per quam omnis maledictio soluta est primorum Parentum*. Horum Patrum doctrina non potest esse vera, nisi dicatur, restitutam fuisse, non sanctitatem tantum, sed etiam iustitiam originalem cum omnibus suis donis, & priuilegijs saltem quoad sufficientiam per Christum, & Mariam, dando Adæ ex eorum meritis auxilium ad poenitentiam, qua illam sibi, & posteris recuperare possit; alitè enim non verè diceretur, nos recuperasse per Christum, quidquid perdidimus in Adam, neque erigi in secundo Adam totum, quod cecidit in primo, neque Christum assumpsisse carnem, vt naturam humanam amissæ restitueret dignitati, neque per Christum, & Mariam fuisse omnem maledictionem sublatam: ergo &c.

668 Respondeo, vt vera sit horum Patrum doctrina, asserendum esse, fuisse restitutam hominibus per Christum, & Mariam, non sanctitatem tantum, sed iustitiam etiam originalem cum omnibus suis donis, & priuilegijs: cœterum hæc restitutio non est facta, dando Adæ ex eorum meritis auxilium ad poenitentiam, qua posset iustitiam originalem sibi, & posteris recuperare, vt vult Peñalosa, sed prouidendo hominibus ipsis ex meritis Christi, & Mariæ auxilia, & media salutaria, quibus delere possunt omnem maledictionem contractam, & restaurare sibi iustitiam originalem integrè, possidendam partim in hac vita quoad gratiam sanctificantem cum iure ad dona, & priuilegia illius, habenda in altera vita, & plenè in altera vita post resurrectionem etiam quoad dicta dona, & priuilegia, vt sæpè dictum est.

669 Antequam ad Peñalosæ rationes soluendas deueniamus, aduertendum est, nos hætenus spontaneè omnino respondisse testimonijs Patrum, à Peñalosa adductis, vt constaret, eos non ita fauere sententiæ Peñalosæ, vt non admittant facilem explicationem iuxta nostram sententiam; facile enim permittere eos potuissemus sententiæ oppositæ sine explicatione, quando pro nostra sententia præter communem Doctorem sensum militant alij Patres, imò, & plures ex adductis à Peñalosa

Oo

alijs

alijs in locis, ut vidimus puncto precedente probat. 4. nu. 613. hoc enim fieri solet falsim in quaestionibus expositivis, spectantibus ad Scripturam Sacram, qualis reputari potest praesens quaestio.

670 Obijcit decimotertiò. Heva, peccando, non incurrit irreparabiliter privationem iustitiae originalis, imò, si Adam non peccasset, potuisset ipsa, poenitendo, recuperare iustitiam originalem amissam, ut graves testantur Authores; esset namque absurdum, asserere, quod sola Heva, post recuperatam gratiam per poenitentiam, foret tunc in mundo sine iustitia originali, quando essent ea ornatu Adam, & omnes posteris cur ergo idem dici non poterit de Adamo peccante, scilicet, non incurrisse irreparabiliter privationem iustitiae originalis, sed potuisse hanc, poenitendo recuperare? Respondeo, permissio antecedente, negans consequentiam. Nam poena privationis irreparabilis iustitiae originalis imposita est soli peccato Adæ, & non peccato Hevae, & ideo Adam suo peccato incurrit illam irreparabiliter in hac vita, non autem Heva.

671 Obijcit decimoquartò. Via Angelorum ad meritum, & demeritum, neque obedientia bonorum, neque inobedientia malorum fuit terminata, sed adhuc postea per aliquam morulam boni potuerunt delinquere, & mali à peccato resurgere, & iustitiam originalem recuperare, ut docent plures Doctores, à Peñalosa citati: ergo etiam via Adæ ut capitis non fuit terminata, inobedientia eius, sed adhuc potuit postea, poenitendo, recuperare sibi, & posteris iustitiam originalem. Respondeo, permissio antecedente, (quod falsum putant gravissimi Doctores.) negans consequentiam. Nam Adamo, post terminatam viam eius ut capitis, restabat adhuc aliud tempus viae ut personae particulari usque ad mortem, in quo poterat sibi iustitiam originalem recuperare, partim in hac vita quoad gratiam sanctificantem cum iure ad dona, & privilegia iustitiae originalis, possidenda in altera vita, & plenè in altera vita post resurrectionem quoad omnia, quae includit status iustitiae originalis; posteris etiam gignendi erant viatores usque ad mortem cum facultate recuperandi sibi iustitiam originalem modo dicto per media, ipsis à Deo providenda, & sic non est

est inconveniens, quod via Adæ ut capitis constituatur terminata, inobedientia eius, cum incapacitate recuperandi per poenitentiam sibi, & posteris iustitiam originalem: at Angelis malis non restabat aliud tempus viae, in quo possent recuperare iustitiam originalem amissam, & sic decens fuit, eis ad id concedere post peccatum inobedientiae morulam aliquam viae.

672 Obijcit decimoquinto. Omnibus hominibus dantur ex meritis Christi auxilia, proxime, vel remotè sufficientia ad salutem, ut ex Scriptura, Concilijs, & Patribus colligunt Doctores communiter & hoc verum est etiam de Infantibus, qui sine Baptismo moriuntur, eo quod impossibile sit, illis applicari, vel quia infans nascitur moribundus in loco arido, ubi haberi non potest aqua, ut baptizetur, vel quia perit intra uterum matris, habentis debile, & infirmum temperamentum ex natura sua, ob quod non potuit foetum maturare, & edere, vel quia mater gravida, fulmine percussa, expirat, in domo existens, vel eundo ad visitandum infirmum, aut ad sacrum audiendum &c: at huiusmodi infantibus nullo alio modo potest dici datum auxilium, adhuc remotè sufficiens, & remedium contra peccatum originale nisi in Adamo, asserendo, huic datum esse auxilium ad poenitentiam de peccato, qua posset infantes illos cum ceteris posteris praeservare, & eximere à contractione peccati originalis, eisque gratiam amissam recuperare: ergo negandum non est Adamo hoc auxilium.

673 Respondeo, negans minorem. Nam si dicti infantes in Adamo solum habuissent auxilium sufficiens ad salutem modo dicto, sequeretur, illos non habuisse auxilium sufficiens, liberativum à peccato originali contracto, sed praeservativum dumtaxat à contractione eius; quod opponi videtur communi sensui Doctorum, existimantium, dictis infantibus, adhuc post originale contractum, dari auxilium remotè sufficiens, liberativum ab ipso. Dico igitur, dictis infantibus esse defacto prouisa auxilia supernaturalia liberativa, remotè sufficientia ad salutem, in suis parentibus, quibus possunt parentes impedire illos casus, & infortunia, in quibus facta est impossibilis baptizatio infantium: Nam in primo casu parentes ante

infantis nativitatem habuerunt inspirationem supernaturalem adeundi ad alium locum, ubi esset copia aquæ ad Baptismum, vel præstandi aliam diligentiam ad id efficacem, quam ipsi neglexerunt: in secundo casu habuerunt parentes inspirationem supernaturalem non utendi immoderato cibo, potu, exercitio nimio, aut medicamento aliquo nocivo, unde orta est forsan debilitas, & infirmitas temperamenti matris; vel si hæc debilitas erat naturalis, habuerunt inspirationem supernaturalem fundendi preces, consulendi medicum peritum, aut quærendi aliud remedium congruum pro corroboratione debilitatis temperamenti matris: in tertio casu habuerunt parentes inspirationem supernaturalem, ne existeret mater grauida in loco, ubi cecidit fulmen, vel anticipandi, aut postponendi aditum ad visitandum infirmum, aut ad audiendum sacrum; quibus inspirationibus si parentes correspondissent, non accidissent illi casus, nec facta esset impossibilis eorum infantum baptizatio: & similiter respondendum est ad alios casus similes. Adde, hos casus, & infortunia accidere aliquando in poenam alicuius peccati parentum, ad quod vitandum habuerunt auxilium supernaturale sufficiens, eiusque vitatione impedivissent illos casus, & infortunia. Nec vim habent contra hanc solutionem, quæ contra eam congerit Peñalosa ex Vasques, & Alarcon: & præterea fallitur, existimans, inspirationes, parentibus infantum immixtas ad vitandos illos casus, & infortunia, non esse supernaturales; id enim dicitur sine fundamento.

674 Nec refert discursus Peñalosa, asserentis, inspirationem, parentibus infantis datam ad vitandos illos casus, & infortunia, non esse validiorem ad reparandum damnum contractum per peccatum, quam fuerit peccatum ad inducendum illud; quia quamvis cum illa inspiratione vitassent illos casus, plura alia subsequi deberent, ut infans baptizaretur, & iustificaretur ab originali, scilicet quod non evenirent alia infortunia: quod nato infante esset copia aquæ, & aliquis potens, & volens illum baptizare: quod esset contra testimonium Pauli, supra ponderatum in obiectione 2. nu. 645. Nam qui dedit parentibus auxilium supernaturale inspirationis ad vitandum

vnum

vnum casum, & infortunium, daret etiam auxilia alia supernaturalia ad vitanda omnia alia infortunia, quæ evenire possent, & ut inuenirent aquam, & personam potentem, & volentem baptizare, cum quibus abundanter posset infans baptizari, & mundari ab originali, acquirendo gratiam sanctificantem cum iure ad dona, & privilegia iustitiæ originalis, amisse per peccatum, possidenda post resurrectionem in altera vita per totam æternitatem; quod sine dubio maius, & excellentius est, quam damnum, ad tempus illatum per peccatum, ut dixi supra in solutione 2. obiectionis nu. 647.

675 Obijcit decimosexto. Videtur parum consonum diuinæ misericordiæ, bonitati, & providentiæ erga totum genus humanum, non concedere Adæ post peccatum, auxilium ad restaurandam in se, & posteris per poenitentiam iustitiam originalem amissam: ergo negandum non est tale auxilium Adæ. Respondeo negans antecedens, cuius falsitatem aperui puncti præcedent. probat. 12. nu. 636.

676 Obijcit decimosextimo, in sua sententia facile declarari, quomodo Deipara fuerit ex meritis Christi passibilis immunis à peccato originali, eiusque debito proximo: Nam ipse statuit, posteros Adæ toto illo tempore, interiacente inter peccatum comestionis, & impoententiam, non incurrisse peccatum originale, nec debitum proximum eius; deinde post peccatum comestionis ponit prædefinitum Christum passibilem, & mortalem, ex cuius meritis præuisis extraxit Deiparam à periculo, in quo erat cum cæteris posteris incurrendi peccatum originale, eiusque debitum proximum, sicque illam exempt, & præservavit; postea ex meritis Christi passibilis dedit gratiam Adæ, ut poeniteret de peccato comestionis, & poenitendo, se, & posteros à peccato liberaret, & ad pristinum statum iustitiæ originalis reduceret; & tandem, gratia, ad id sibi data, ab utens Adam, & poenitere renuens, in omnes alios posteros, in pacto inclusos, peccatum originale, eiusque debitum proximum transmisit: at hæc immunitas Deiparæ ex meritis Christi passibilis non ita facile declarari potest in nostra, aut alijs sententijs: ergo amplectenda est sententia Peñalosa tanquam aptior ad declarandum hanc Deiparæ immunitatem ex meritis Christi passibilis.

677 Re-

677 Respondeo, in primis negans maiorem. Nam Peñalosa ad declarandam Deiparæ immunitatem ex meritis Christi passibilis, asserit, post prædefinitum Christum mortalem, & passibilem, habuisse gratiam Adamum ad recuperandam sibi, & posteris immortalitatem cum cæteris donis iustitiæ originalis per pœnitentiam, quam si egisset Adam, ut potuisset cum illa gratia, essent tunc immortales Adam, & posteris, manente Christo mortali; quod absurdum esset, ut vidimus punct. præcedente probat, 7. nu. 630. Asserere etiam, peccatum originale, eiusque debitum proximum non fuisse incurrendum à posteris usque ad impœnitentiam Adæ, & sententiam divinam, falsum est, ut constat ex dictis. Deinde nego minorem: Nam in nostra sententia potest etiam facillimè declarari immunitas Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis, ut videbimus infra disp. 5. cap. 5. punct. 3.

678 Obijcit decimo octavo. Si via Adæ ut capitis non durasset usque ad eius impœnitentiam, & excusationem cum facultate recuperandi sibi, & posteris iustitiam originalem, amissam per peccatum, non posset definiri tempus, à Deo statutum pro via Adæ ut capitis: ergo &c. Antecedens probat fuisse Peñalosa disp. 5, cap. 1. 2. 3. & 4. impugnando omnes alios modos declarandi tale tempus. Nam cap. 1. probat, tempus viæ Adæ ut capitis non potuisse esse totum tempus viæ Adæ: & cap. 2. probat, falso asserere Doctores ibi citatos, tempus viæ Adæ ut capitis in ordine ad transfusionem iustitiæ originalis fuisse totum tempus viæ Adæ, in ordine vero ad transfusionem noxæ originalis fuisse tempus, quod interesset ab eius creatione usque ad primam eius transgressionem præcepti impositi: & cap. 4. probat contra Scotum, non fuisse à Deo statutum pro tempore viæ Adæ ut capitis tempus, quod ab eius creatione usque ad primam tentationem circa transgressionem præcepti impositi haberetur, vel eam vincendo, vel ei succumbendo: quibus modis declarandi impugnatis, concludit, tempus, pro via Adæ ut capitis statutum, durasse ab eius creatione usque ad impœnitentiam, & excusationem.

679 Respondeo, negans antecedens. Ad probationem admit-

to, nullo ex dictis modis, à Peñalosa impugnatis, declarari rectè tempus, à Deo statutum pro via Adæ ut capitis, ut conuincit ipse locis citatis; sed existimo, tempus, à Deo statutum pro via Adæ ut capitis, computandum esse ab eius creatione usque ad applicationem liberam ipsius ad generandum, ita ut usque ad tempus huius applicationis protrahi posset tale tempus viæ, casu quo usque ad illud tempus Adam non transgredere-tur præceptum; si verò ante illud tempus contingeret transgressio præcepti, finiretur tunc statim tempus illud viæ, nec ultra iam protraheretur. Cum enim Deus statuisset transfundere in posteros Adæ, ex eius semine nascituros, iustitiam originalem, si ipse præceptum obseruaret, vel noxam originalem, si illud transgredere-tur, cum magno fundamento existimare possumus, tempus viæ, illi ut capiti ad id concessam, finendum esse necessario ante filiorum procreationem, sicque non potuisse protrahi nisi usque ad applicationem liberam eius ad generandum, ut posset uniformiter verificari, vel omnes eius posteros, oriundos ex semine eius incorrupto cum iustitia originali, vel omnes ex corrupto cum noxa originali.

DISPUTATIO IV.

De debito peccati originalis.

681 **E**Xplicata natura, conditionibus, & circumstantiis peccati originalis, oportet, de eiusdem debito ex professione pertrahere. Est autem debitum peccati originalis necessitas moralis posterorum contrahendi culpam originalem, eiusque infectionem in instanti generationis, ut docet S. Anselmus lib. 10. de Concept. Virginis, & de peccato originali cap. 7. Quod intelligendum est sine dubio de debito proximo quasi passio peccati originalis, que ita posteris manent proximè necessitati, & astricti ad contrahendam maculam originalem, ut, illo posito, sequatur in ipsis statim indefectibiliter, & inuitabiliter contractio eius absque facultate impediendi, &

euadendi ipsam: nam debitum remotum quasi actiuum, seu formale peccati originalis, à Theologis communiter admissum, quod est causa, vel occasio incurrendi debitum proximum eiusdem, & in qua istud fundatur, non ita constituit posterios necessitados, & astrictos ad contrahendam maculam originalem, vt, illo solum posito, sequatur in ipsis statim indefectibiliter, & ineuitaliter contractio eius, nec requirit impotentiam impediendi ipsam, sed exigit ad summum, quod posterii contrahant maculam originalem, eos constituendo in graui periculo incidendi in illam, relicta tamen facultate eandem euadendi. In quo autem consistat vtrumque hoc debitum, discutiemus capite sequente.

682

CAPVT I.

In quo consistat debitum peccati originalis, eiusque constitutum.

683 **G**rauisima est hæc difficultas, quam paucissimi tractantes: nos autem eam pro dignitate elucidare contendimus, quia ex ipsius intelligentia pendet vera decisio plurium questionum huius nostræ dissertationis Theologicæ, imo & præcipuæ controversiæ eius.

684

PUNCTVM I.

Opiniones Doctorum cum aliquibus, scitu dignis, suppositionibus.

685 **S**ermo est præcipuè in hoc capite de debito proximo quasi passiuo peccati originalis, proximè necessitante, & astringente posterios ad contrahendam maculam originalem, absque

abique facultate impediendi, & euadendi illam; quamuis loquendum sit etiam consequenter de debito remoto quasi actiuo, seu formali eiusdem, quod est quasi causa, vel occasio incurrendi debitum proximum, quodque non necessitat, & astringit posterios ad contrahendam maculam originalem, nec requirit impotentiam impediendi illam, sed exigit ad summum, quod posterii contrahant maculam originalem, eosque constituit in graui periculo incidendi in illam, relicta tamen facultate eandem euadendi, iuxta dicta in initio disputationis. Hæc doctrina plana fit exemplo aquæ, in qua duplex simile debitum frigiditatis, proximum, & remotum, considerari potest: Nam si aqua consideretur præcisè secundum suam entitatem, secundum quam intrinsecè exigit, habere frigiditatem, non est ita necessitata ad habendam illam, vt non possit illa priuari ab igne, aut ab alio agente extrinsecò; & hoc est debitum remotum frigiditatis in aqua, consistens in sola entitate aquæ, & ipsius exigentia intrinseca frigiditatis: Si vero aqua consideretur vt proximè potens, & expedita ad habendam frigiditatem, quo pacto, præter entitatem aquæ, & ipsius exigentiam intrinsecam frigiditatis, inuoluit absentiam, & carentiam agentis contrarij, & cuiuslibet obstaculi ad habendam illam, ita necessitata est ad habendam frigiditatem, vt sine ipsa esse non possit; & hoc est debitum proximum frigiditatis in aqua, consistens in aggregato ex aquæ entitate, intrinsecè exigente frigiditatem, & ex absentia, & carentia agentis contrarij, omnisque obstaculi ad habendam illam.

686 Prima igitur opinio ait, debitum proximum peccati originalis esse moralitatem quandam, mediam inter ens reale physicum, & rationis, posteris inhxerentem, & resultantem ex peccato Adæ vt merito nostræ ruinæ: quam moralitem Suares to. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 4. in fine appellat ordinem ad causas deficientes, quæ necessario inducunt culpam originalem, vel impotentiam vitandi illam, nisi Deus impediat: Vasques in 3. p. disp. 116. cap. 5. nu. 50. illam appellat relationem, in posteris passiuè respicientem peccatum Adæ, & meritum eius, ob quod contrahere debent peccatum originale, eo ipso quo ab illo originem ducant: & Salazar de Concept. cap. 1. §. 8. nu.

Qq

§ 16

51. illam vocat obligationem moralem, seu relationem vinculi, & nexus, quo posterius ob peccatum Adæ ad originalem maculam contrahendam obstricti sunt. Ita præter Suares, Vasques, & Salazar citatos Catherinus lib. de peccato originali cap. ult. §. *vere, & certo*, Peñalosa disp. 1. cap. 4. n. 92. & alij.

687 Debitum vero remotum peccati originalis non eodem modo declarant huius opinionis Doctores. Nam Catherinus apud Salazar citatum §. 10. nu. 63. asserere videtur, tale debitum esse obligationem, & debitum, quod omnes posterius habent ingrediendi legem vniuersalem transfusionis; in hac enim quia vniuersali debent omnes iure comprehendi. Salazar citatus nu. 68. probabile putat, hoc debitum remotum posse dici illam obnoxietatem, & subiectionem, quam ante legem transfusionis latam, habebant posterius, vt possent tali lege comprehendi. Alij apud eundem Salazar citatum nu. 66. volunt, hoc debitum remotum fundari in modo generationis eorum ex semine Adæ, ratione cuius habent exigentiam, & debitum, vt eorum voluntates in Adæ voluntate constituerentur in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati. Peñalosa vero citatus nu. 91. contendit, hoc debitum remotum esse peccatum ipsum Adæ, vt formaliter meritorium nostræ ruinae, quia, hoc posito, necessarium est, contrahere peccatum originale, nisi Deus impediatur. In idem non parum inclinat Salazar citatus nu. 62. §. *Aliter ergo*.

688 Secunda opinio tenet, debitum proximum peccati originalis esse peccatum ipsum Adæ vt capitis, seu vt proprium posterius, ab ipsis moraliter commissum in Adamo, in cuius voluntate erant ipsi moraliter constituti, exigens ex se, denominare posterius peccatores, & maculatos in instanti generationis: debitum vero remotum esse legem ipsam transfusionis latam, posterius omnes generaliter comprehendentem. Primam partem tuentur expressè Ioannes de Lugo de *Incarnat.* disp. 7. sect. 3. nu. 26. & Arriaga de *Incarnat.* disp. 16. sect. 4. subsect. 1. nu. 30. & 31. cum alijs. Secundam vero amplectuntur nonnulli Recentiores.

689 Nunciam ad difficultatis resolutionem suppono primo, sicut distingui solet communiter duplex redemptio à peccato,

vna

vna liberatiua à peccato iam contracto, & alia præseruatiua à peccato imminente, nondum contracto; ita posse distingui duplicem condonationem diuinam peccati originalis: Vnam liberatiuam à peccato originali, iam contracto, qua Deus illud condonet pro instanti aliquo, subsequente instans generationis posterius, in quo contractum iam erat: & aliam præseruatiuam à peccato originali imminente, nondum contracto, qua, ante generationem posterius, Deus illud antecedenter condonet pro instanti generationis eius, in quo contrahendum erat. Hæc autem condonatio diuina præseruatiua à contractione peccati originalis, iuxta dicta disp. 2. cap. 4. punct. 2. esset, vel volitio efficax Dei, nolentis indignari contra posterius pro instanti generationis ob culpam, in Adamo commissam, vel volitio efficax Dei, volentis carentiam talis indignationis, speciali quodam modo, ratione cuius impediretur in posterius pro instanti generationis contractio peccati originalis, & debiti subeundi indignationem diuinam, & in Deo ius habendi illam. Videantur ibi dicta.

690 Suppono secundò, peccatum Adæ vt capitis posse dupliciter considerari. Primò, vt proprium posterius, ab ipsis moraliter commissum præcisè, quo pacto duo dicit, scilicet peccatum ipsum Adæ, & voluntatem diuinam, qua Deus in voluntate Adæ constituerat posterius voluntates in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, vt dictum est supra disp. 3. cap. 3. punct. 2. num. 521. Secundò, vt transfundendum etiam in posterius, quo pacto, præter illa duo, dicit vlteriùs legem, & voluntatem diuinam efficacem conditionatam transfusionis eius in posterius, casu quo committeretur, ex vi cuius peccatum illud Adæ, à posterius in ipso moraliter commissum, transfundendum erat in eos, statimque gignerentur. Hæc autem lex, & voluntas diuina efficax transfusionis peccati in posterius dicit quasi duplicem voluntatem diuinam efficacem; vnam non condonandi præseruatiue peccatum originale pro instanti generationis posterius; & aliam non acceptandi pro illo vllam quantumcunque aptam satisfactionem, quæ voluntas est etiam quodammodo voluntas non condonandi illud, cum spontanea acceptatio diuina

Pp 2

suis

satisfactionis pro peccato sit aliqualis condonatio eius virtute, & æquivalenter, & aliunde ex vi eius ponitur à parte rei carentia satisfactionis, sufficientis ad delendam culpam, cum sine acceptatione diuina, nulla satisfactio exhibita, possit esse sufficiens ad delendam culpam, vt ostendimus in materia de Incarnatione.

691 Hæc enim duplex voluntas diuina efficax habet efficaciam, vt peccatum, à posteris in Adamo moraliter iam commissum, transfundatur in ipsos in instanti generationis: cum, stante hac duplici voluntate diuina, & moraliter commissio peccato à posteris in Adamo, dentur in instanti generationis posterorum omnia, quæ disp. 3. cap. 3. punct. 2. nu. 521. diximus, constituere peccatum originale transfusum, scilicet peccatum præteritum Adæ, à posteris moraliter in ipso commissum, actualis existentia posterorum, carentia satisfactionis condignæ, sufficientis ad delendam culpam, carentia condonationis diuinæ pro instanti generationis, & actualis existentia instantis generationis. Nam quamuis hæc duplex voluntas diuina efficax non inducat efficaciter omnia, quæ constituunt peccatum originale transfusum, cum nec peccatum Adæ, à posteris moraliter commissum vt sic, nec existentiam posterorum, nec existentiam instantis generationis eorum efficaciter inducat, nihilominus dicitur voluntas efficax transfusionis peccati, hancque efficaciter inducere, eo quod, positis peccato Adæ dicto, & existentibus posterorum, & instantis generationis eorum, efficaciter inducat duo illa, quæ vnicè deerant ad esse, & constitutionem peccati originalis transfusi, scilicet carentiam condonationis diuinæ pro instanti generationis posterorum, & carentiam diuinæ acceptationis satisfactionis pro culpa: etenim inducens partem aliquam constitutiui, quæ, positis iam alijs partibus constitutiuis, vnicè deest ad existentiam totius, censetur inducere, & causare totum; sic homo generans, qui, positis iam materia, & anima rationali, inducit vnionem intermediam, quæ vnicè deest ad existentiam hominis geniti, dicitur inducere, & causare hominem genitum.

692 Nec sequitur inde, Deum esse per se causam dictarum carentiarum, & transfusionis maculæ originalis, constitutæ per illas,

illas, easque Deo per se tribuendas esse. Nam Deus efficaciter volens, & inducens dictas carentias, & transfusionem maculæ originalis, non vult, & inducit illas absolutè ex proprio motiuo, sed occasionaliter, & conditionatè solum ex suppositione peccati posterorum in Adamo commissi, merentis, & exigentis dictas carentias, & transfusionem maculæ originalis, & ob exigentiam meriti eius: & propterea inductio dictarum carentiarum, & transfusionis maculæ originalis, non tam tribuenda est per se Deo vt causæ per se eius, quam posteris, qui moraliter commiserunt in Adamo peccatum, merens, & exigens, eas à Deo induci: sicut spiritualis mors, & damnatio peccatoris non tribuitur tanquam causæ per se Deo, efficaciter volenti, & inducenti priuationem vitæ spiritualis gratiæ, & pœnam æternam, sed soli peccatori, qui commisit peccatum, merens, & exigens, eas à Deo induci; quia Deus non vult, & inducit eas absolutè ex proprio motiuo, sed occasionaliter solum ex suppositione peccati, ipsas merentis, & exigentis, & ob exigentiam meriti eius.

693 Suppono tertio, voluntatem diuinam constituendi voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, esse distinctam, independentem, & separabilem ex se à lege, & voluntate diuina transfusionis peccati in posteros, nolente condonare illud præseruatiuè pro instanti generationis eorum, imo & compossibilem cum diuina condonatione eius pro tali instanti. Primo. Quia hæc duæ voluntates respiciunt diuersa instantia ex parte obiecti; prima enim respicit in Adamo ex parte obiecti instans obseruationis, aut transgressionis præcepti impositi, antecedens instans generationis posterorum; secunda vero respicit ex parte obiecti instans subsequens generationis posterorum, pro quo renuit condonare peccatum.

694 Secundo. Quia voluntas diuina, constituens voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, fuit quasi voluntas permissiua peccati posterorum in Adamo pro instanti præuaricationis Adæ: voluntas autem diuina, permissiua peccati pro vno instanti, est compossibilis cum diuina condonatione eiusdem

dem pro alio instanti sequente, vt contingit defacto in peccato personali, quod Deus permittit in vno instanti, & condonat in alio ex sequentibus: ergo etiam voluntas diuina, constituens voluntates posterorum in voluntate Adæ, quæ permissiua fuit peccati posterorum in Adamo pro instanti præuaricationis eius, est composibilis ex se cum diuina condonatione illius pro instanti sequente generationis posterorum.

695 Tertiò. Quia licet peccatum Adæ, vt moralitèr commissum à posteris in ipso, quo pacto inuoluit voluntatem diuinam, constituentem ipsos in voluntate Adæ, exigat ex se maculare posteros in instanti generationis eorum, atque adeo quod nolit Deus condonare ipsam pro tali instanti, tamen hæc exigentia non potest necessitare, & astringere Deum, vt nolit condonare illud, & impedire existentiam, & contractionem eius pro instanti generationis posterorum; imo Deus, non obstante illa exigentia, potest pro libito illud condonare pro tali instanti, sicque in eo impedire existentiam, & contractionem illius: ergo peccatum Adæ, vt moralitèr à posteris commissum in ipso, simul cum voluntate illa diuina, quam inuoluit, est composibile cum condonatione diuina eius pro instanti generationis illorum, & cum non existentia, & non contractione eius in illo. Antecedens declaro duplici exemplo. Peccatum personale, commissum in hoc instanti, exigat ex se maculare delinquentem in instantibus sequentibus, & consequentèr quod nolit Deus ipsum condonare pro illis; & tamen hæc exigentia non necessitat, & astringit Deum ad non condonandum illud, aut ad non impediendam existentiam moralem eius in aliquo ex instantibus sequentibus; imo, non obstante tali exigentia, Deus defacto illud condonat, & impedit moralem existentiam eius in aliquo ex illis. Item licet aqua exigat ex se frigiditatem, & consequentèr quod nolit Deus, eam ipsi impedire; tamen hæc exigentia non necessitat, aut astringit Deum ad non impediendam ipsi frigiditatem; imo, non obstante hac exigentia, permittit Deus, eam naturalitèr frigiditate priuari ab aliquo agente extrinseco contrario: ergo

similitèr discurrendum est in no-

stro casu.

696

PUNCTVM II.

*Aliorum confutatis opinionibus, aperitur
nostra sententia.*

697 Circa debitum remotum peccati originalis, Censeo primo contra Catherinum. Debitum remotum peccati originalis non est obligatio, & debitum posterorum ingrediendi legem vniuersalem transfusionis illius, in qua, quia vniuersali, omnes comprehendi deberent. Probat. Hoc debitum, vel erat in posteris post latam legem vniuersalem transfusionis, vel ante illam. Non primum. Nam, lata semel lege transfusionis vniuersali ad omnes posteros, omnes erant iam inclusi, & comprehensi in illa: ergo non habebant tunc debitum ingrediendi talem legem, sed debitum solum perseverandi inclusi in illa; ad debitum namque ingrediendi legem necessè est, quod debitor habeat iam debitum, antequam sit illam ingressus, & in ea inclusus.

698 Non secundum. Tum quia, cum lex transfusionis non esset naturalis, sed positua diuina, à Deo, prout ipsi placuit, liberè lata, Deusque vt supremus Dominus possit pro libito, suas leges posituas ampliare, & restringere, comprehendendo in illis, aut excipiendo ab illis, quos voluerit, & aliunde lex diuina positua, etiamsi vniuersalis, non exigat absolutè comprehendere omnes, qui sunt eiusdem conditionis, sed omnes illos solum, quos Deus noluerit, ab ea prohibito excipere, profecto, dum Deus non fert legem, & statuit, quos velit comprehendere, aut excipere, nullus potest habere exigentiam, & debitum ingrediendi illam: ergo ante latam legem diuinam vniuersalem transfusionis nullus ex posteris potuit esse debitor ingrediendi illam. Hoc autem aliter contingit in legibus humanis vniuersalibus, quas ingrediendi habent debitum omnes subditi ob imperfectam, & limitatam legislatoris humani potestatem, secundum quam tenetur, in lege vniuersali,

à se lata, omnes subditos comprehendere, & nullum sine causa excipere, & ideo omnes debent ingredi illam. Declaratur amplius. Vel Deus, ante latam legem transfusionis, decreuerat condere illam vniuersalem ad omnes posteros, nullo excepto, vel id non decreuerat. Si primum, profecto omnes fuissent postea comprehensi in lege vniuersali transfusionis, ne ista aduersaretur illi decreto; quod non admittent aduersarij, excipientes Deiparam à tali lege, & in ea ipsam non fuisse comprehensam, statuentes. Si secundum: ergo non erat tunc debitum ingrediendi legem diuinam transfusionis in omnibus, & singulis posteris.

699 Tum quia lex diuina transfusionis erat de transfundenda gratia supernaturali in posteros, si Adam obediens esset, vel de transfundendo peccato, si esset inobediens: sed ante hanc legem latam posteri non poterant habere debitum gratiæ supernaturalis: ergo nec debitum ingrediendi talem legem. Minor probatur. Debitum non potest esse sine exigentia: sed posteri ante hanc legem latam non poterant habere exigentiam gratiæ supernaturalis; hæc enim ratione supernaturalitatis debet esse supra exigentiam, & connexionem totius naturæ, omnisque entitatis naturalis, vt ostendimus in materia de visione Dei: ergo nec poterant habere debitum eius. Tum quia Patres omne peccati originalis debitum agnoscunt ortum ex malitia humana, & non à Deo solum: Debitum autem ingrediendi legem vniuersalem transfusionis non oritur ex malitia humana, sed à solo Deo, & ex natura legis eius: ergo non est hoc debitum remotum peccati originalis, de quo Patres.

700 Censeo secundo contra Salazar. Debitum remotum peccati originalis non potest esse illa obnoxietas, & subiectio posterorum ante latam legem transfusionis, vt possent tali lege comprehendi. Probatur. Vel obnoxietas, & subiectio illa posterorum erat exigentia aliqua subiacendi legi transfusionis, & ingrediendi illam, vel erat capacitas præcisè, vt lege illa comprehendi possent absque vlla exigentia subiacendi illi, & ingrediendi ipsam. Primum dici non potest, vt probatum est conclusione 1. Neque secundum. Nam sola capacitas ad

ad id sine exigentia aliqua non potest esse debitum adhuc remotum; aliàs homo haberet debitum saltem remotum gratiæ supernaturalis, cuius est capax, & aqua caloris sibi oppositi, quem potest recipere, quod est absurdum: ergo &c. Vnde aliud est capacitas, & aliud debitum etiam remotum, hoc enim præter capacitatem dicit etiam exigentiam aliquam, & ideo aqua non dicitur habere debitum adhuc remotum caloris, cuius capax est sine exigentia, sed solius frigiditatis, quam potest, & exigit habere. Confirmo. Nam aliàs humanitas Christi, secundum se spectata, posset dici habere debitum remotum peccati originalis, siquidem secundum se spectata præcisè ab vnione hypostatica, habuit obnoxietatem, & capacitatem, vt posset lege illa transfusionis comprehendi: hoc autem est absurdum: ergo &c.

701 Censeo tertio contra alios, supresso nomine citatos à Salazar vbi supra. Debitum remotum peccati originalis non est debitum, & exigentia, quam haberent posteri ratione modi generationis ex semine Adæ, vt eorum voluntates constituerentur in voluntate Adæ in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati. Probatur primo. Modus generationis posterorum ex semine Adæ est merè naturalis: ergo ratione huius modi generationis non poterant posteri habere debitum, & exigentiam transfusionis gratiæ supernaturalis, cum hæc ratione supernaturalitatis sit supra debitum, & exigentiam omnis entitatis naturalis, vt dictum est iam nu. 699: ergo nec poterant ratione huiusmodi generationis habere debitum, & exigentiam, vt eorum voluntates constituerentur in voluntate Adæ in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati. Probatur secundo. Posteri ratione suæ generationis ex semine Adæ non exigebant, vt ipsorum voluntates constituerentur in voluntate Adæ in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati ex obseruantia, vel inobseruantia aliorum præceptorum, cui defacto non fuit annexa transfusio: ergo nec exigebant ratione illius, vt ipsorum voluntates constituerentur in voluntate Adæ in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati ex obseruantia, vel inobseruantia præcepti de non edendo de ligno interdicto, cui defacto annexa est transfusio; cum non

fit potior ratio vnius, quàm alterius. Probatur tertio. Filij ratione suæ generationis ex semine proximorum Parentum non exigunt, vt ipsorum voluntates constituatur in voluntate illorum in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati ex obseruantia, vel inobseruantia alicuius ex præceptis, eis impositis: ergo nec exigunt, id fieri in primo Parente; in quo si id defacto factum est, prouenit ex eo, quod Deus liberè voluit citra omnem posterorum exigentiam.

702 Censeo quarto contra Peñalosa. Debitum remotum peccati originalis non est peccatum ipsum Adæ, vt formaliter meritorium præscisæ nostræ ruinæ. Probatur. Nam ideo id asserit Peñalosa, quia existimat, peccatum Adæ præscisæ fuisse causam meritoriam nostræ ruinæ, non verò peccatum nostrum proprium, à nobis in ipso moraliter commissum; sed hoc est falsum, vt constat ex præcedente disp. cap. 3. punct. 2. à nu. 504: ergo si peccatum Adæ sit debitum remotum peccati originalis, non debet dici tale præscisæ, vt est peccatum ipsum, formaliter meritorium nostræ ruinæ, sed vt est peccatum nostrum proprium, à nobis in ipso moraliter commissum, iuxta inferius dicenda. Addo, falsum etiam esse, quod peccatum Adæ, vt erat peccatum ipsum præscisæ, & non posterorum, fuit causa meritoria nostræ ruinæ, vt ostensum est præcedente disp. cap. 3. punct. 2. probat. 4. à nu. 516.

703 Censeo quinto contra recentiores supra nu. 688. citatos pro secunda opinione. Debitum remotum peccati originalis non est lex ipsa transfusionis lata, posteros omnes generaliter comprehendens. Probatur. Lex transfusionis erat simul voluntas diuina transfundendi peccatum, si Adam peccaret, & posteri in ipso, & non transfundendi illud, si non peccaret; & sic lex illa secundum se, præsciso peccato Adæ, erat omnino indifferens ex se ad transfusionem peccati, & carentiam eius: ergo, præsciso peccato Adæ, non habebat exigentiam determinatam transfusionis peccati præ carentia eius: ergo nec erat debitum etiam remotum eius; debitum enim etiam remotum alicuius rei stare non potest sine exigentia determinata eius.

704 Confirmo. Transfusio peccati in posteros iuxta legem transfusionis pendet ex positione peccati Adæ tanquam re-

qui-

quisito, vt illud transfundatur: sed lex transfusionis secundum se non exigit positionem peccati Adæ: ergo nec exigit transfusionem peccati in posteros; si enim exigeret transfusionem peccati in posteros, exigeret etiam omnia requisita ad illam, quorum vnum est positio peccati Adæ. Minor probatur. Lex transfusionis est volitio diuina conditionata transfusionis peccati in posteros sub conditione, quod ponatur peccatum actuale Adæ: sed volitio hæc diuina conditionata non potest exigere positionem peccati actualis Adæ: ergo lex transfusionis secundum se non exigit positionem peccati Adæ. Minor probatur. Tum, quia non decet, volitionem diuinam exigere positionem peccati actualis. Tum, quia volitio conditionata nec vult, nec exigit, poni conditionem, sed effectum intentum, si forte ponatur conditio; in quo differt à volitione absoluta, que vult, & exigit poni effectum, & conditionem etiam, ad illum prærequisitam; sic Deus conditionatè vult punire peccatores, si impoenitentes moriantur, & tamen nec vult, nec exigit eorum impoenitentiam, sed punitionem solùm, si cum impoenitentia moriantur: ergo, cum lex transfusionis sit volitio diuina conditionata transfusionis peccati in posteros, si ponatur peccatum actuale Adæ, non potest velle, & exigere positionem peccati actualis Adæ, sed vult solùm transfusionem peccati in posteros casu, quo contingeret, poni peccatum actuale Adæ.

705 Nec refert, volitionem conditionatam inducere debitum, & obligationem conditionatam ad effectum, sub conditione volitum. Nam volitio conditionata non ideo dicitur, inducere debitum, & obligationem conditionatam ad effectum, sub conditione volitum, quasi ante positionem conditionis in re ipsa inducat verum aliquod debitum & obligationem ad illum, sed quia de se apta est, vt, posita conditione, transeat in absolutam, inducatque tunc verum, & absolutum debitum, & obligationem; vnde si promittas librum Petro, si iste illum humiliter petat, ante humilem Petri petitionem, nullum in te verum debitum, & obligatio tradendi librum, neque in Petro verum ius, vt sibi tradatur liber, confurgit, vsquequò sequatur humilis petitio eius, tuaque promissio fiat absoluta: ergo

Qq 4

simi-

similiter lex, & volitio diuina conditionata transfusionis peccati in posteros sub conditione, quod ponatur peccatū Adæ, non inducet verum debitum transfusionis illius, vsquequo ponatur peccatum Adæ, & non nisi ratione istius; quod debitum proinde non consistet in sola lege transfusionis, sed in hac, & peccato Adæ simul, iuxta inferius dicenda.

706 Circa debitum proximum peccati originalis, Censeo sextò contra Doctores primæ opinionis. Debitum proximum peccati originalis non est aliqua moralitas, media inter ens reale physicum, & rationis, in posteros resultans ex peccato Adæ vt meritorio nostræ ruinæ, siue talis moralitas appellatur ordo ad causas deficientes, necessariò inductiuas culpæ originalis, siue relatio posterorum ad peccatum Adæ, & meritum eius, siue relatio vinculi, & nexus, obstringentis posteros ob peccatum Adæ ad contrahendam maculam originalem, secundùm varios discurrendi modos Doctorum primæ opinionis supra n. 686. relatos.

707 Veritas huius conclusionis patet ex disp. 2. cap. 2. punct. 2. conclus. 6. à nu. 301. vbi similem moralitatem pro constitutione peccati habitualis impugnaui. Primò. Quia iudico chimericas has moralitates medias inter entia realia physica, & rationis. Nam huiusmodi moralitates vel sunt entia diuina, & à se, vel creata, & ab alio. Non primum; nam aliàs essent identificatæ cum Deo, quod est absurdum. Si secundum: ergo sunt productæ per aliquam actionem physicam; & realem: ergo sunt entia physica, & realia. Vnde consequenter dicendum est, debitum proximum peccati originalis debere identificari cum aliquo ente physico: dicitur verò, habere esse morale, quia includit aliquod ens physicum, (scilicet peccatum Adæ, in ipso à posteris moraliter commissum, iuxta inferius dicenda,) quod non existit physicè in posteros, & nihilominus constituit eos proximè debitores contractionis peccati originalis, non minus quam si physicè existeret, ita vt in ordine ad hoc censeatur moraliter existere.

708 Secundò. Quia, sublata per possibile, vel impossibile omni moralitate, ordine, & relatione, resultante ex peccato Adæ, adhuc esset in posteros debitum proximum peccati originalis, statim;

statimatque generantur: ergo hoc debitum non constituitur per moralitatem, ordinem, & relationem, resultantem ex peccato Adæ. Antecedens probatur. Sublata omni moralitate, ordine, & relatione, resultante ex peccato Adæ, adhuc essent peccatum, moraliter commissum à posteris in Adamo, & lex, & voluntas diuina transfusionis eius in posteros: sed, his duobus stantibus, esset in posteros debitum proximum peccati originalis, statimatque generantur: ergo sublata omni moralitate, ordine, & relatione dictis, adhuc esset in posteros debitum proximum peccati originalis, statimatque generantur. Maior videtur certa. Nam, cum moralitas, ordo, & relatio dicta iuxta aduersarios resultet ex peccato Adæ, moraliter commissum à posteris in ipso, stante lege, & voluntate diuina transfusionis, supponit sine dubio peccatum Adæ, moraliter commissum à posteris in ipso, & legem, & voluntatem diuinam transfusionis, hæcque duo sunt quasi à priori independentia ab illa: ergo, sublata omni moralitate, ordine, & relatione, resultante ex peccato Adæ, adhuc esset peccatum, moraliter commissum à posteris in Adamo, & lex, & voluntas diuina transfusionis eius in posteros. Deinde probatur minor. Stantibus peccato, moraliter commissum à posteris in Adamo, & lege, & voluntate diuina transfusionis eius, non potest non transfundi peccatum in posteros, nec possunt non contrahere illud posteri, statimatque generantur: ergo, his duobus stantibus, sunt posteri absolute necessitati ad contrahendum illud, statimatque generantur: ergo habent debitum proximum contrahendi illud; cum hoc debitum nihil aliud sit, quam necessitas absoluta contrahendi illud, vt diximus in initio disputationis.

709 Confirmatur. Lex diuina transfusionis, & peccatum, moraliter commissum à posteris in Adamo, per se ipsa necessitant posteros ad contrahendam moralitatem, & relationem, in qua constituunt aduersarij debitum proximum peccati originalis: ergo & per se ipsa necessitare possunt illos ad contrahendum peccatum, ipsum originale, cum non sit potior ratio vnius, quam alterius. Antecedens est certum. Nam, suppositis lege transfusionis, & peccato, moraliter commissum à posteris in Adamo, non est liberum, & contingens in posteros, contra-

trahere illam moralitatem, & relationem, sed penitus necessarium: ergo hæc necessitas contrahendi illam prouenit ab aliquo principio, per se ipsum necessitante: sed non potest esse aliud principium, ad id per se ipsum necessitans, nisi lex diuina transfusionis, & peccatum, moraliter commissum à posteris in Adamo: ergo hæc duo necessitant per se ipsa posteros ad contrahendam moralitatem, & relationem illam in instanti generationis.

710 Dices, quod, sublata moralitate, & relatione, resultante ex peccato Adæ, non esset in posteris necessitas, & debitum formale peccati, sed fundamentale. Si autem inquiramus, cur, sublata moralitate, & relatione resultante, non sit in posteris necessitas, & debitum peccati formale, cum, sublata illa, & statibus lege transfusionis, & peccato, moraliter commissio à posteris in Adamo, non possit non transfundi peccatum in posteros, nec possint non contrahere illud posteri in instanti generationis; responderetur per questionem, quia deficit moralitas, & relatio resultans: in quo questio ipsa redditur pro ratione; quando deberet reddi ratio, cur requiratur illa moralitas, & relatio, ut sit in posteris necessitas, & debitum peccati formale, cum sine illa detur in posteris impotentia non contrahendi illud, cuius rei ratio assignari non poterit. Deinde debitum illud, quod solutio appellat fundamentale, non prouenit à fundamento illius moralitatis, & relationis, nempe à posteris ipsis, sed à lege transfusionis, & à peccato, moraliter commissio in Adamo tanquam à forma, reddente posteros impotentes, euadere contractionem peccati: ergo non est debitum fundamentale, sed formale; debitum enim, proueniens à forma, & non à fundamento, non potest esse fundamentale præcisè.

711 Tertiò. Quia si peccatum Adæ, moraliter commissum à posteris in ipso, fuisset peccatum aliud puræ omissionis contra præceptum aliquod positium, cuius transgressioni annexisset sua lege Deus transfusionem peccati originalis, tunc peccatum illud puræ omissionis nullam moralitatem, & relationem positivam producere posset, cum carentia non possit aliquid positivum producere: at nihilominus posteri contra-

he-

herent debitum proximum peccati originalis: ergo hoc debitum non prouenit à moralitate, & relatione positiva, resultante ex peccato Adæ, moraliter commissio à posteris in ipso.

712 Censeo septimò contra Doctores secundæ opinionis. Debitum proximum peccati originalis non est peccatum Adæ ut capitis, & ut proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in Adamo, exigens ex se, denominare posteros peccatores, & maculatos in instanti generationis eorum, si tale peccatum ut sic per se solum consideretur, præcisè à lege transfusionis. Probat. Quamuis peccatum Adæ ut capitis, & ut proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum, etiam præcisè à lege transfusionis, exigat ex se, quod posteri contrahant peccatum in instanti generationis, tamen hæc exigentia non necessitat, nec astringit posteros ad eius contractionem, sine facultate euadendi illam; imò, non obstante hac exigentia, dictum peccatum ut sic est ex se compossibile cum carentia contractionis eius in instanti generationis: sed debitum proximum peccati originalis requirit exigentiam, non qualemcunque, sed necessitantem posteros ad contrahendum peccatum in instanti generationis, sine facultate euadendi contractionem eius, ut dictum est in initijs disputationis, & puncti primi nu. 681. & 685. ergo peccatum Adæ ut capitis, & ut proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum, præcisè à lege transfusionis, non est debitum proximum peccati originalis. Maior patet. Talis exigentia peccati Adæ ut capitis, & ut proprii posterorum, ab ipsis moraliter commissi, non necessitat, nec astringit Deum, ut nolit præseruativè condonare peccatum, & impedire existentiam, & contractionem eius pro instanti generationis posterorum; imò Deus, non obstante illa exigentia, potest pro libito, illud præseruativè condonare pro tali instanti, sicque impedire in eo existentiam, & contractionem illius: ergo talis exigentia non necessitat, nec astringit posteros ad contractionem peccati, sine facultate euadendi illam; imò, non obstante tali exigentia, dictum peccatum ut sic est ex se compossibile cum non existentia, & non contractione eius in instanti generationis eorum. Antecedens constat ex punct. 1. supposit. 3. præsertim in 3. probat. nu. 695.

713 Con-

713 Confirmo. Nam, ut dictum est supposit. 3. citata in 2. probat. nu. 694. commissio peccati, permessa à Deo pro vno instanti, est ex se composibilis cum diuina condonatione eius pro alio instanti sequente; ut contingit defacto in commissione peccati personalis, quod Deus permittit in vno instanti, & condonat in alio ex sequentibus: ergo etiam commissio moralis peccati posterorum in Adamo, permessa à Deo pro instanti prauaricationis Adæ, est ex se composibilis cum diuina condonatione eius pro instanti sequente generationis posterorum, atque adeo non necessitat posteros ad contractionem eius.

714 Aliorum confutatis opinionibus, pro nostra sententia statuenda, Censeo octauo. Debitum remotum peccati originalis est peccatum Adæ ut capitis, & ut proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, præscisue à lege diuina transfusionis: debitum verò proximum eiusdem includit peccatum dictum ut sic, & legem diuinam transfusionis simul; vel potius legem ipsam conditionatam transfusionis, ut factam absolutam per positionem conditionis peccati dicti ut sic, quo pacto præter legem transfusionis inuoluit etiam peccatum dictum ut sic, cuius positione transijt in absolutam. In hanc sententiam saltem quoad secundam partem inclinat multum Nieremberg in operibus Phartenicis part. 4. de impossibilitate debiti realis in persona Virginis, in omnium opinione concedenda, præsertim §. 6.

715 Prima conclusionis pars probatur. Debitum remotum peccati originalis est exigentia determinata transfusionis, & contractionis maculæ originalis pro instanti generationis posterorum, hos constituens in graui periculo incidendi in illam, non necessitans, & astringens posteros ad contrahendam illam pro tali instanti, nec excludens possibilitatem euadendi illam: sed peccatum Adæ ut capitis, & ut proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, præscisue à lege diuina transfusionis, exigit determinatè transfusionem, & contractionem maculæ originalis pro instanti generationis posterorum, hos constituendo in graui periculo incidendi in illam, cum quodlibet peccatum, commissum in vno instanti, exigit

ex se

ex se maculare delinquentem pro instantibus sequentibus, & quod pro illis non condonetur à Deo; & aliunde non necessitat, & astringit posteros ad contrahendam illam pro instanti generationis, nec excludit potestatem euadendi illam, ut ostensum est conclus. præcedente: ergo peccatum Adæ, sic consideratum, est debitum remotum peccati originalis.

716 Secunda pars probatur. Debitum proximum peccati originalis est necessitas, posteros necessitans, & astringens ad contrahendam maculam originalem in instanti generationis, sine facultate euadendi illam; unde in eo debet consistere debitum proximum peccati originalis, quod ita necessitat, & astringit posteros ad contrahendam maculam originalem in instanti generationis: sed quod ita necessitat, & astringit posteros ad contrahendam maculam originalem in instanti generationis, est aggregatum ex peccato Adæ, ut proprio posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, & ex lege diuina transfusionis: ergo hoc aggregatum includit debitum proximum peccati originalis. Minor patet ex dictis conclus. 6. probat. 2. nu. 708. Nam, stante aggregato ex peccato Adæ dicto ut sic, & ex lege diuina transfusionis, non potest non transfundi macula originalis in posteros, nec possunt isti non contrahere illam, statim atque generantur: ergo hoc aggregatum est, quod necessitat, & astringit posteros ad contrahendam maculam originalem in instanti generationis, sine facultate, & possibilitate euadendi illam. Antecedens declaratur. Lex diuina transfusionis est voluntas diuina efficax conditionata de transfusione maculæ originalis in posteros, statim atque generantur, dato quod Adam peccaret, & posteri in ipso; cumque voluntas diuina efficax conditionata, posita conditione, transeat in absolutam, factaque absoluta, inducat necessariò, & ineuitabiliter effectum volitum, lex diuina transfusionis, seu voluntas diuina efficax conditionata de transfusione maculæ originalis in posteros, posita conditione peccati Adæ, & posterorum in ipso, transibit in absolutam, factaque, & constituta absoluta per illud, inducet necessariò, & ineuitabiliter transfusionem volitam maculæ originalis in posteros, statim atque generentur: ergo, stante peccato dicto ut sic, & lege diuina transfusionis

Rr

fusio

fusionis, non potest non transfundi macula originalis in posterios, nec possunt isti non contrahere illam, statim atque generantur.

717 Confirmo. Aggregatum ex peccato dicto ut sic, & lege diuina transfusionis excludit omnia media, quibus impediri poterat transfusio, & contractio maculae originalis in instanti generationis posterorum: ergo est causa, ob quam necessario, & inuitabiliter sequatur transfusio, & contractio maculae originalis in instanti generationis posterorum: ergo necessitat ad illam. Antecedens probatur. Transfusio, & contractio maculae originalis in instanti generationis posterorum, duobus modis impediri posset, vel per condonationem diuinam praeseruatiuam peccati posterorum, in Adamo moraliter commissi, vel per diuinam acceptationem alicuius satisfactionis condignae pro illo: sed utrumque hoc medium excludit aggregatum ex peccato dicto ut sic, & lege diuina transfusionis, peccatum quidem merendo, & exigendo, ne Deus illud condonet, nec acceptet satisfactionem ullam pro ipso; lex etiam diuina transfusionis, volendo expresse, ne ponatur talis condonatio, & acceptatio satisfactionis, ut patet ex punct. praecedente supposit. 2. à nu. 690: ergo aggregatum ex peccato dicto ut sic, & ex lege diuina transfusionis, excludit omnia media, quibus impediri poterat transfusio, & contractio maculae originalis in instanti generationis posterorum.

718 Censeo nondò. Debitum proximum actuale peccati originalis, praeter peccatum posterorum, moraliter in Adamo commissum, & legem diuinam transfusionis, dicit etiam actualem existentiam posterorum, & actualem existentiam instantis, pro quo lex diuina transfusionis vult transfundi, & contrahi peccatum. Prima pars probatur. Non stante actuale existentia posterorum, quamuis essent iam peccatum posterorum, moraliter in Adamo commissum, & lex diuina transfusionis, non est in illis debitum proximum actuale peccati originalis: ergo hoc debitum proximum actuale, praeter peccatum dictum ut sic, & legem diuinam transfusionis, dicit etiam actualem existentiam posterorum. Antecedens patet. Dum post prauariationem Adae non existerent posteri, sed erant solum futuri, quam

quamuis essent iam tunc peccatum, moraliter ab ipsis in Adamo commissum, & lex diuina transfusionis, non erat in illis debitum proximum actuale peccati originalis, sed erat solum futurum in illis, praescisè quia non erat tunc actualis existentia posterorum: ergo, non stante actuale existentia posterorum, quamuis essent iam peccatum ipsorum, moraliter in Adamo commissum, & lex diuina transfusionis, non est in illis debitum proximum actuale peccati originalis.

719 Secunda pars probatur ex dictis disp. 1. cap. 3. punct. 1. nu. 345. Ponamus, peccatum originale, eiusque debitum proximum contrahi à postero in primo instanti suae generationis, pro quo lex diuina transfusionis volebat, illud transfundi, & postea in instanti sequente sanctificari, & iustificari posterum à peccato originali. Et sic arguo. In instanti sequente sanctificationis, & iustificationis posterum, non est iam in ipso debitum proximum contrahendi peccatum originale, quod erat in primo instanti generationis eius: & nihilominus in tali instanti sequente verificatur, esse peccatum, à postero moraliter commissum in Adamo, existere legem diuinam transfusionis, volentem, transfundi peccatum in primo instanti generationis, & dari existentiam posterum, quae tria in primo instanti generationis constituebant debitum proximum contrahendi peccatum originale: ergo signum est, quod haec tria non sufficiunt ad constituendum debitum proximum contrahendi peccatum originale: ergo praeter haec tria aliquid aliud requiritur ad constitutionem talis debiti proximi: sed hoc non potest esse, nisi existentia primi instantis generationis, pro quo lex diuina transfusionis vult transfundi, & contrahi peccatum: ergo existentia huius instantis requiritur ad constitutionem debiti proximi contrahendi peccatum originale simul cum illis tribus.

720 Confirmo primò. Aliquid est in primo instanti generationis posterum, constituens in eo cum illis tribus debitum proximum contrahendi peccatum originale, quod quia non est in instanti sequente iustificationis eius, non datur in ipso tale debitum proximum: sed in primo instanti generationis posterum non est aliud, potens constituere tale debitum proximum,

quod non sit in instanti sequente iustificationis, nisi existentia primi instantis generationis, pro quo lex diuina transfusionis vult, transfundi, & contrahi peccatum, vt patet: ergo existentia primi instantis generationis constituebat in ipso simul cum illis tribus tale debitum proximum. Confirmo secundò: Id, quo non stante, etsi sint ceteræ aliæ partes, constitutiua totius, non datur totam, est verè constitutum totius: sed, non stante existentia primi instantis generationis, etsi sint ceteræ aliæ partes, constitutiua talis debiti proximi, non datur tale debitum proximum, vt contingit in instanti sequente iustificationis posteris: ergo existentia primi instantis generationis posteris erat constitutiua talis debiti proximi.

721 Vbi aduerte, ex his quatuor, quæ includit debitum proximum peccati originalis, contractum in primo instanti generationis posterorum, solùm dicere in recto peccatum posterorum, moralitèr in Adamo commissum, reliqua verò tria in obliquo, vt dixi similiter de peccato habituali disp. 2. cap. 3. punct. 1. nu. 347. & de peccato originali disp. 3. cap. 3. punct. 2. nu. 521.

722 Hinc iuxta nostram sententiam facilè intelligitur discrimen inter peccatum originale, & debitum proximum contrahendi illud. Nam licèt conueniant inter se in eo, quod vtrumque includat peccatum posterorum in Adamo, existentiam posterorum, & existentiam instantis, pro quo Deus vult, illud transfundi, & contrahi; differunt tamen, quia peccatum originale non includit voluntatem diuinam efficacem conditionatam transfusionis peccati, quam includit debitum proximum contrahendi illud, & aliudè peccatum originale includit carentiam diuinæ condonationis peccati, & carentiam diuinæ acceptationis satisfactionis pro illo, quas carentias non includit debitum proximum contrahendi illud, licèt includat principium, necessariò, & inuitabiliter inductiuum earum, qualis est voluntas diuina efficax conditionata transfusionis peccati, quæ, iuxta superius dicta punct. 1. supposit. 2. à nu. 690. & supra conclus. 8. nu. 716. & 717. posita conditione peccati Adæ, & posterorum in ipso, necessariò, & inuitabiliter inducit duas dictas carentias.

723 Obij.

723 Obijcies. Voluntas diuina efficax conditionata effectus, posita conditione, fit solum virtualitèr absoluta, inducendo tunc, non effectum ipsum volitum, immediatè per se ipsam, sed aliam voluntatem diuinam absolutam eiusdem effectus, vt ostendimus in materia de Prædestinatione: ergo lex, & voluntas diuina efficax conditionata transfusionis peccati in posteros sub conditione peccati posterorum in Adamo, posita hac conditione, fiet etiam virtualitèr solum absoluta, inducendo tunc, non transfusionem ipsam peccati volitam, immediatè per se ipsam, sed aliam voluntatem diuinam absolutam transfusionis peccati in posteros; quæ voluntas diuina absoluta necessitabit proximè, & immediatè ad contractionem peccati in instanti generationis posterorum: ergo hæc voluntas diuina absoluta erit debitum proximum, peccati originalis, & non lex, & voluntas illa diuina conditionata simul cum alijs rebus supradictis.

724 Si hæc obiectio concluderet, iuxta ipsam dicendum esset, præter debitum remotum, consistens in peccato posterorum, in Adamo moralitèr commissum, dari duplex debitum proximum, vnum quasi radicale, consistens in lege, & voluntate illa diuina conditionata, & alijs rebus supradictis, & aliud formale, consistens in voluntate diuina absoluta, inducta à voluntate illa diuina conditionata, posita conditione: Vel dicendum esset, voluntatem hanc diuinam absolutam, inductam à conditionata, esse debitum proximum, & aggregatum ex lege illa diuina conditionata, & alijs rebus supradictis esse debitum remotum, & peccatum posterorum, in Adamo moralitèr commissum, esse debitum remotissimum, vel remotius saltem.

725 Cæterùm, quia obiectio non cõcludit intentum adhuc iuxta doctrinam relatam, à nobis traditam in materia de Prædestinatione, Respondeo, antecedens solùm esse verum, iuxta doctrinam, ibi à nobis traditam, de voluntate efficaci conditionata effectus physici, ad extra producendi: vt patet in voluntate diuina efficaci conditionata dandi gloriam hominibus sub conditione meritorum; nam, vt Deus, positus meritis, donet gloriam merentibus illam, necessaria est scientia absoluta meri-

meritorum, dirigens, & mouens Deum ad eius donationem; cumque hæc scientia absoluta meritorum non sit necessaria ad immediatè dirigendam, & mouendam potentiam diuinam factiuam, & executiuam talis donationis, eo quod potentia ista non intellectui, sed voluntati immediatè subdatur, solum erit necessaria ad immediatè dirigendam, & mouendam voluntatem, à qua postea applicetur potentia diuina factiua, & executiua ad talem donationem: aliud verò, cum hæc scientia absoluta meritorum non sit necessaria ad dirigendam, & mouendam voluntatem illam priorem efficacem conditionatam gloriæ, utpote existentem iam in Deo antecedentèr ad ipsam scientiam, solum erit necessaria ad dirigendam, & mouendam aliam voluntatem diuinam absolutam inductam donandi gloriæ propter merita absolutè præuisa. In ordine verò ad inducendam aliam voluntatem diuinam, vel aliquos effectus morales, falsum est antecedens, ut diximus in materia citata de Prædestinatione; sic voluntas efficax conditionata donandi gloriæ propter merita, si hæc ponantur, per se immediatè inducit in Deo, positis meritis, aliam voluntatem absolutam donandi gloriæ propter merita absolutè præuisa; voluntas etiam efficax conditionata donandi centum aureos, si dederis mihi Equum, posita hac conditione, per se immediatè inducit in me obligationem moralem donandi centum aureos promissos, utpote effectum moralem, à sola voluntate procedentem.

726 Ex quo consequentèr in nostro casu dicendum est, legem, & voluntatem diuinam efficacem conditionatam transfusionis peccati in posteros sub conditione peccati posterorum in Adamo, posita conditione, fieri virtualitèr absolutam, non quidem inducendo tunc aliam voluntatem diuinam absolutam transfusionis peccati in posteros, sed per se immediatè inducendo transfusionem ipsam peccati volitam. Tum, quia transfusio peccati volita, non est effectus physicus ad extra, sed quasi quidem effectus moralis, cui proinde non repugnat, per se immediatè procedere à voluntate efficaci conditionata, posita conditione, iuxta dicta nu. præcedente. Tum, quia transfusio volita peccati in posteros, nihil aliud est, quam trans-

fusio carentiæ, & omissionis condonationis præseruatiuæ à peccato imminente, ut constat ex punct. 1. supposit. 2. à nu. 690: carentia autem, & omisio condonationis præseruatiuæ à peccato imminente, est virtute, & æquivalentèr quasi quidam actus voluntatis diuinæ, nolens præseruatiuè condonare peccatum, cui proinde non repugnat, per se immediatè procedere à voluntate efficaci conditionata, posita conditione, iuxta dicta n. præcedente; omittere enim condonationem præseruatiuam peccati, est virtute, & æquivalentèr nolle, præseruatiuè condonare.

727 Aduertendum est autem, in his, quæ hactenus diximus circa transfusionem peccati originalis, eiusque debiti proximi in posteros, non esse intelligendam Deiparam semper Virginem Mariam, sed alios solum posteros præter ipsam: eam namque, profiteor, immunem à transfusione, & contractione peccati originalis, huiusque debiti proximi in primo instanti suæ Conceptionis, & generationis ex speciali Dei gratia, & priuilegio.

728

CAPVT II.

An posteri, contracto semel debito peccati originalis in instanti generationis, potuerint ex speciali Dei priuilegio in tali instanti fieri immunes à contractione ipsius peccati.

729 **S**upponit titulus, debitum peccati originalis contrahi à posteris in instanti suæ generationis, quia antequàm existerent, non poterant habere actuale debitum contrahendi peccatum; & ideo dubitatur, an sit composibilis contractio debiti peccati originalis cum immunitate, & exemptione à contractione ipsius peccati originalis in instanti generationis posterorum.

730 Prima opinio affirmat, posteros, contracto debito, etiam proximo peccati originalis in instanti generationis, potuisse in eodem instanti dicto ex speciali Dei privilegio eximi, & præservari à contractione ipsius peccati, ita quod in tali instanti simul essent debitores contrahendi peccatum, & sanctificati, & præservati ab ipso: sicut aquæ calefactæ ab igne, est debita frigiditas, quamvis habeat calorem, & carentiam frigiditatis. Ita Vasquez to. 2. in 3. p. disp. 116. à cap. 1. vsque ad 4. Suares to. 2. in 3. p. disp. 3. cap. 4. Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 9. q. 10. & vniuersim omnes, sentientes, Deiparam non contraxisse peccatum originale, & nihilominus debitum eius incurrisse, inter quos numerandi sunt etiam Belarminus to. 3. controu. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16. Valentia in controu. lib. de peccato originali cap. 3. Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Don Ludouicus Crespi à Borgia, Oriolensis, & Placentinæ Ecclesiæ Episcopus, & pro causæ Immaculatæ Conceptionis Philippi 4. Hispaniarum Monarchæ ad Alexandrum PP. Septimum Orator, in suo illo aureo propugnaculo Theologico diffinibilitatis proximæ sententiæ piæ disp. 2. art. 5. subartic. 3. nu. 195. & alij.

731 Secunda opinio negat, potuisse posteros, contracto semel debito saltem proximo peccati originalis in instanti generationis, eximi, & præservari in tali instanti à contractione ipsius peccati, etiam ex speciali Dei privilegio, iudicando omninò impossibile debitum saltem proximum peccati originalis cum sanctificatione, & immunitate ab ipso peccato in tali instanti. Ita Alensis 3. p. q. 9. nu. 2. art. 1. & Richardus in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. apud Suares supra citatum. Idem sentit Ferratiensis lib. 4. contra Gentes cap. 50. apud Salazar de Conception. cap. 15. nu. 35. Scotus in 3. dist. 3. q. 1. §. si autem teneatur. Franciscus del Castillo super Scotum in 3. sent. Franciscus Blondelghem in appendice de Immaculat. Concept. Petrus Posnaniensis in 2. sent. Scoti part. 2. dist. 30. q. 1. disp. 2. Lezana cap. 36. Apologet. apud Nieremberg in operibus Patheñicis part. 4. de impossibilitate debiti realis in persona Virginis, in omnia opinione concedenda §. 1. circa finem. In eandem sententiam inclinant Salazar citatus cap. 1. nu.

nu. 64. & cap. 24. nu. 95. & plures ex Recentioribus, asserentibus, Deiparam fuisse immunem à debito proximo contrahendi peccatum originale, existimantes, non posse eam constitui præservatam à contractione peccati, nisi constituendo eam immunem, & exemptam à debito proximo illius. Eandem tenet Nieremberg citatus.

732 Censeo primò. Si posteri contraxissent solum debitum remotum peccati originalis sine debito proximo eiusdem, potuissent ex speciali Dei privilegio fieri immunes, & exempti à contractione ipsius peccati in instanti generationis. Probatum. Debitum remotum peccati originalis est peccatum Adæ ut propriam posterorum, ab ipsis moralitèr in Adamo commissum, exigens ex se, quod posteri contrahant peccatum in instanti generationis, ut ostensum est cap. 1. punct. 2. conclus. 8. num. 715: sed peccatum Adæ ut proprium posterorum, ab ipsis moralitèr in Adamo commissum, exigens ex se, quod posteri contrahant peccatum in instanti generationis, est impossibile cum condonatione diuina præservatiua à peccato pro instanti generationis posterorū, atq; adeò & cum nō contractione eius in tali instanti: ergo & debitum remotum peccati originalis erit impossibile cum dicta condonatione diuina, & cum non contractione peccati in instanti generationis posterorum: ergo, contracto debito solum remoto peccati originalis sine debito proximo eiusdem, poterant adhuc posteri fieri immunes à contractione ipsius peccati in instanti generationis. Minor, in qua poterat esse difficultas, probata est iam, cap. 1. punct. 2. conclus. 7. nu. 712. & 713. Videantur dicta ibi, & punct. 1. anteriori supposit. 3. nu. 694. & 695.

733 Obijcies. Si esset possibile, esse debitum remotum peccati originalis in instanti generationis posteri simul cum condonatione diuina peccati, & non contractione eius, esset etiam possibile, esse hoc debitum in dicto instanti simul cum gratia sanctificante, cuius infusione condonatur defacto peccatum: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Stante gratia sanctificante in instanti generationis posteri, est impossibile, esse in illo peccatum originale, cum peccatum originale, & gratia sanctificans simul existere non possint in eodem subiecto:

ergo est etiam impossibile, esse in illo debitum remotum peccati originalis. Patet consequentia. Nam debitum etiam remotum debet esse rei possibilis: ergo si, stante gratia sanctificante in instanti generationis posterius, est impossibile in illo peccatum originale, erit etiam in illo impossibile debitum remotum peccati originalis.

734 Respondeo, negans minorem. Ad probationem distinguo antecedens, stante gratia sanctificante in instanti generationis posterius, est impossibile, esse in illo peccatum originale, secundum quid ex suppositione existentiae gratiae sanctificantis in illo, concedo; est impossibile, esse in illo peccatum originale, absolutè ex natura rei, nego: absolutè enim ex natura rei, independentè à suppositione dictae existentiae gratiae sanctificantis, possibile est, existere peccatum originale in instanti generationis posterius, licet id sit secundum quid impossibile ex suppositione existentiae gratiae sanctificantis in illo. Undè nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens, debitum etiam remotum debet esse rei possibilis absolutè, & ex natura rei, licet impossibile sit secundum quid ex aliqua suppositione, concedo; rei possibilis omnimodè, tam absolutè, & ex natura rei, quam ex suppositione, nego: primus enim modus possibilitatis rei sufficit ad debitum remotum eius, quamvis ea sit secundo modo impossibilis secundum quid. Et nego consequentiam in sensu dicto; cum enim, stante gratia sanctificante in instanti generationis posterius, sit absolutè, & ex natura rei possibile in illo peccatum originale, quamvis aliundè sit in illo impossibile secundum quid ex suppositione existentiae gratiae sanctificantis, poterit esse in illo debitum remotum talis peccati. Quod planum fiet exemplo aquae, violentè calefactae ab igne, quam, licet impossibile sit, habere frigiditatem ex suppositione existentiae caloris in illa, tamen, quia possibile est absolutè ex natura rei, eam habere, rectè dicitur, esse tunc in aqua exigentiam, & debitum frigiditatis, quia, relicta suae naturae, debet habere illam, imò tunc calefactio est violenta aquae, quia est contra exigentiam, & debitum frigiditatis, residens tunc in illa.

735 Censeo secundò. Posterius, contracto semel debito proximo

mo

mo peccati originalis in instanti generationis, non possunt eximi, & praeservari in tali instanti à contractione ipsius peccati etiam ex speciali Dei privilegio. Probatum. Debitum proximum peccati originalis, contractum in instanti generationis posterius, dicit inter alia legem, & voluntatem divinam efficacem conditionatam transfusionis, & contractionis peccati in dicto instanti, factam absolutam per positionem peccati Adæ, & posterius in ipso, ut ostensum est cap. 1. punct. 2. conclus. 8. nu. 716. & 717: sed, stante lege, & voluntate divina efficaci conditionata transfusionis, & contractionis peccati in instanti generationis posterius, facta iam absoluta per positionem peccati dicti, implicat omninò impediri transfusionem, & contractionem peccati in tali instanti: ergo & implicat, eam impediri in tali instanti, stante debito proximo peccati originalis in illo; atque adeò, contracto semel debito proximo peccati originalis in instanti generationis, non poterant posterius eximi, & praeservari in illo à contractione ipsius peccati. Minor probatur. Si, stante lege, & voluntate divina efficaci conditionata transfusionis, & contractionis peccati in instanti generationis posterius, facta iam absoluta per positionem peccati dicti, non implicaret, impediri transfusionem, & contractionem peccati in tali instanti, vel id esset, quia posset Deus reuocare voluntatem illam transfundendi peccatum in instanti generationis posterius per aliam voluntatem efficacem non transfundendi illud, vel quia voluntas illa divina efficax transfundendi peccatum in tali instanti, etiam facta absoluta per positionem peccati dicti, & persistens in Deo, posset frustrari suo effectu voluto transfusionis peccati: sed neutrum dici potest: ergo, stante lege, & voluntate divina efficaci conditionata transfusionis, & contractionis peccati in instanti generationis posterius, facta iam absoluta per positionem peccati dicti, implicat omninò, impediri transfusionem, & contractionem peccati in tali instanti.

736 Minor probatur. Non primum. Nam Deo repugnat vitium mutabilitatis in suis decretis, & voluntatibus; mutatio, enim, & reuocatio decreti, & voluntatis, semel habitae, esset contra virtutem Constantiae, residente in voluntate divina,

Ss 2

&

& inclinantem, & necessitantem Deum ad perseverandum in voluntate, semel habita, eamque continuandam semper immutabiliter, & irrevocabiliter ob honestatem, quæ est in perseverantia, & continuatione eius, ut diximus in materia de Fide disp. 2. cap. 3. punct. 1. conclus. 1: ergo non posset impediri transfusio, & contractio peccati in instanti generationis posterorum per revocationem illius voluntatis, semel habitæ, transfundendi illud. Non secundum. Nam voluntatem efficacem absolutam, vel factam absolutam frustrari effectu voluto, dicit imperfectionem; ideo enim nostræ voluntates efficaces absolutæ censentur imperfectæ, quia frustrantur sæpè effectu voluto: ergo implicat, voluntatem illam divinam efficacem conditionatam transfundendi peccatum in instanti generationis posterorum, factam iam absolutam per positionem peccati Adæ, frustrari suo effectu voluto transfusionis peccati; Deo enim repugnat, quidquid dicit imperfectionem. Præterea frustratio illius voluntatis divinæ efficaciæ absolutæ transfusionis peccati, persistentis in Deo, cum non posset fieri à creatura, fieret à solo Deo per aliam voluntatem efficacem absolutam, nolentem transfundi in executione peccatum: sed Deo repugnat hæc voluntas, altera in ipso persistente; sunt enim voluntates oppositæ, & incompatibiles, cum una velit efficaciter absolute, transfundi peccatum, & alia nolit efficaciter absolute, illud transfundi; quæ si simul essent in Deo, inducerent duo contradictoria in instanti generationis posterorum, scilicet transfusionem peccati, & carentiam transfusionis eius: ergo implicat, frustrari voluntatem illam suo effectu voluto transfusionis peccati.

737 Confirmo primò. Nullus effectus potest poni à parte rei, qui sit contra voluntatem divinam efficacem absolutam, aut factam absolutam per positionem conditionis: sed, contracto semel debito proximo peccati originalis in instanti generationis posterorū, exemptio, & præservatio eorum in tali instanti à contractione ipsius peccati, esset contra voluntatem divinam efficacem transfusionis, factam iam absolutam per positionem peccati Adæ, inclusam in tali debito proximo: ergo, contracto semel debito proximo peccati originalis in instanti generatio-

rationis posterorum, non posset poni à parte rei exemptio, & præservatio eorum in tali instanti à contractione ipsius peccati. Minor probatur. Exemptio, & præservatio posterorum in instanti generationis à contractione peccati, deberet fieri, vel per condonationem divinam præservativam peccati, vel per acceptationem divinam satisfactionis pro illo: sed contracto semel debito proximo peccati originalis in instanti generationis posterorum, condonatio divina præservativa peccati, & acceptatio divina satisfactionis pro illo, essent contra dictam voluntatem divinam efficacem transfusionis, factam absolutam, inclusam in tali debito proximo: ergo contra eandem esset exemptio, & præservatio posterorum in tali instanti à contractione peccati. Minor probatur. Dicta voluntas divina efficacem transfusionis, inclusam in tali debito proximo, facta iam absoluta, vult efficaciter absolute, non condonari præservativè peccatum pro instanti generationis posterorum, nec acceptari pro illo ullam satisfactionem, ut patet ex cap. 1. punct. 1. supposit. 2. à no. 690: ergo condonatio divina præservativa peccati pro instanti generationis posterorum, & acceptatio divina satisfactionis pro illo, essent contra dictam voluntatem divinam efficacem transfusionis, inclusam in tali debito proximo, factam iam absolutam.

738 Confirmo secundò. Si, contracto semel debito proximo peccati originalis in instanti generationis posterorum, haberet Deus voluntatem, efficaciter condonantem peccatum, & præservantem à contractione eius pro tali instanti, in tali instanti præter debitum proximum dictum contrahendi peccatum, esset etiam debitum proximum non contrahendi illud, proveniens à voluntate illa divina, efficaciter condonante peccatum, & præservante à contractione eius; nam eo ipso, quod Deus haberet voluntatem, efficaciter condonantem peccatum, & præservantem à contractione eius pro instanti generationis posterorum, esset iam debitum posteris, non contrahere illud pro tali instanti, ratione eius voluntatis: sed hæc duo debita proxima, vnum contrahendi peccatum, & aliud non contrahendi illud, repugnant, existere simul in posteris in instanti generationis eorum: ergo & repugnat, habere Deum volun-

voluntatem, efficaciter condonantem peccatum, & præseruā-
tem à contractione eius pro instanti generationis posterorum,
contracto semel debito proximo peccati originalis in tali in-
stanti. Minor probatur. Hæc duo debita proxima sunt neces-
sariò, & inuitabiliter inductiua terminorum contradictorio-
rum, scilicet contractionis, & non contractionis peccati pro eo-
dem instanti generationis posterorum, utpote includentia
duas voluntates diuinas efficaces eorum, omnino infrustrabi-
les: ergo hæc duo debita proxima repugnant existere simul in
posteris in instanti generationis eorum; aliàs in tali instanti in-
ducerent simul duos illos terminos contradictorios, scilicet
contractionem, & non contractionem peccati, quod manife-
stam inuoluit implicantiā.

739 Confirmiter tertiò. Si Adam obseruasset præceptum, volun-
tas diuina efficax transfundendi iustitiā originalem, quæ cõ-
stitueret tunc debitum proximum iustitiæ originalis, facta iam
absoluta per obseruantiam Adæ, ita necessariò, & inuitabili-
ter induceret transfusionem iustitiæ originalis in instanti ge-
nerationis posterorum, ut ea in tali instanti nullo modo impe-
diri posset: ergo similiter nunc voluntas diuina efficax trans-
fundendi peccatum, constituens debitum proximum peccati
originalis, facta iam absoluta per peccatum Adæ, ita necessa-
riò, & inuitabiliter inducet transfusionem peccati in instanti
generationis posterorum, ut ea in tali instanti nullo modo
impediri possit.

740 Dices primò cum Suares citato, legem, & voluntatem diui-
nam transfusionis peccati in posteros sub conditione peccati
Adæ, non pugnare cum alia voluntate diuina, eximente, &
præseruante aliquem posterum à contractione peccati, eo quòd
prior voluntas sit generalis, & quasi antecedens, & posterior
sit particularis, & consequens. Contra primò. Quia falsum
est imprimis, voluntatem illam diuinam transfusionis peccati
in posteros esse antecedentem. Nam voluntas antecedens est,
quæ ex solo Dei beneplacito absque vlla causa, occasione, &
merito ex parte hominis ortum habet, consequens verò ex ali-
qua causa, occasione, aut merito hominis originem ducit: sed,
quod Deus voluntate illa generali voluerit transfundi pecca-
tum

tum in posteros, non fuit ex mero Dei beneplacito, sed occa-
sione peccati Adæ, & posterorum in ipso, & ratione eius; ab
initio enim voluit; illud transfundi casu solùm, quòd Adam
peccaret, & posteri in ipso, & non aliter: ergo voluntas illa di-
uina generalis transfusionis peccati in posteros non est repu-
tanda antecedens, sed quasi consequens.

741 Contra secundò. Ex eo, quòd prior illa voluntas esset an-
tecedens, & generalis, & posterior particularis, & consequens,
non rectè infertur, eas inter se minime pugnare. Nam opposi-
tio, & repugnantia non est solùm inter vniuersale, & vniuer-
sale, sed etiam inter vniuersale, & particulare, ut constat ex
summulis: ob quòd si Deus voluntate antecedente efficaci ab-
soluta generali voluisset, dare gloriam omnibus hominibus,
non posset postea eam alicui denegare etiam voluntate parti-
culari consequente, occasionata ex peccato, vel aliunde; pu-
gnaret enim hæc voluntas particularis consequens cum illa
generali antecedente, eamque quasi retractaret, & reuocaret
ex parte, quòd repugnat diuinæ voluntati: ergo quamuis prior
illa voluntas transfusionis esset antecedens, & generalis, pu-
gnare posset nihilominus cum posteriori voluntate præserua-
tiua consequente, & particulari.

742 Dices secundò ex eodem Suares citato, legem transfusio-
nis peccati, etiam posito peccato Adæ, non esse voluntatem
diuinam absolutam, & definitam, ut posteri in peccato, & sine
gratia conciperentur, sed ut perderent ius ad gratiam debi-
tam; vnde non priuauit se Deus iure, & libertate eximendi,
quos vellet, à contractione peccati. Contra primò. Posteri
nullum ius ad gratiam perdunt: ergo lex illa diuina transfu-
sionis peccati non voluit, quòd posteri perderent ius ad gra-
tiam. Antecedens probatur. Ut posteri dicantur perdere ius
ad gratiam, opus esset, ut illud antea haberent: sed antea non
habebant ius ad gratiam, nec ista erat debita illis: ergo nul-
lum ius ad gratiam perdunt. Minor probatur. Lex diuina
transfusionis gratiæ, quæ sola potuit posteris dare ius ad gra-
tiam debitam, erat solùm promissio de danda gratia posteris,
si Adam obseruaret præceptum: ergo non poterat esse debita
posteris gratia, nec illi poterant habere ius ad ipsam, nisi Adam obser-
uauerat

obseruaret præceptum: ergo cum defacto Adam non obseruauerit præceptum, nunquam defacto fuit gratia debita posteris, nec isti habuerunt ius ad illam.

743 Contra secundò. Sola perditio, seu priuatio iuris ad gratiam, quod resultaret in posteris, si Adam obseruasset præceptum, non est peccatum originale: ergo lex diuina transfusionis peccati originalis non voluit solùm, quòd posteris amitterent ius ad gratiam, eoque priuarentur; hæc enim voluntas non esset sufficiens ex parte Dei, vt transfunderetur peccatum originale. Antecedens patet ex dictis disp. 3. de peccato originali cap. 3. punct. 1. conclus. 4. à num. 493. vbi contra quartam opinionem ostendimus, peccatum originale non esse priuationem gratiæ: rationes autem, ibi propositæ, conuincunt etiam, peccatum originale non esse priuationem iuris ad gratiam, quæ ad præsens proinde applicari possunt, vtendo in illis, loco priuationis gratiæ, priuatione iuris ad gratiam.

744 Dices tertio, legem diuinam transfusionis peccati, etiam posito peccato Adæ, non esse voluntatem absolutam transfusionis peccati in posteros, sed conditionatam, qua Deus vult transfundi, & contrahi peccatum, si ipse aliud postea non determinet ob aliquam causam, aut sua gratia non præueniat, & impediatur contractionem peccati: vnde adhuc post peccatum Adæ, & dictam voluntatem, potest Deus eximere, quos voluerit, à contractione peccati, ante positionem talis conditionis. Contra primò. Licet Deus potuisset, hoc modo statuere legem illam transfusionis peccati, tamen nullum est fundamentum ad asserendum, ita illam defacto statuisse saltem generaliter in ordine ad omnes, & quoscunque posteros, quidquid sit de Beata Virgine, de qua disp. sequente; imo ex modo loquendi Scripturæ, & Patrum colligi videtur, legem illam, posito peccato Adæ, independentè ab omni alia conditione, velle absolutè, transfundi peccatum in posteros, excepta saltem Beata Virgine: ergo nulla est solutio.

745 Contra secundò. Si lex illa transfusionis peccati, adhuc posito peccato Adæ, erat voluntas conditionata transfundendi peccatum, si poneretur illa alia conditio, vellet sine dubio, transfundere illud, si poneretur talis conditio, & non transfun-

fundere illud, si ea non poneretur: ergo sicut poterat ex se indifferentè componi cum positione, & non positione talis conditionis, ita poterat ex se indifferentè componi cum transfusione peccati, & non transfusione eius: ergo non necessitabat determinatè ad transfusionem peccati ante positionem talis conditionis: ergo nec constituebat debitum proximum peccati originalis ante positionem talis conditionis, quod sine necessitate ad eius transfusionem esse non potest ergo licet, stante illa voluntate conditionata, posset Deus ante positionem talis conditionis eximere aliquos à transfusione, & contractione peccati, non verificaretur, quòd posset illos eximere, stante debito proximo peccati originalis.

746 Ex quo vlteriùs sic arguo. Si lex, & voluntas illa diuina conditionata non constituebat debitum proximum peccati originalis ante positionem talis conditionis: ergo solùm constituet illud, posita tali conditione, & vt facta absoluta per positionem eius: sed vt facta absoluta per positionem talis conditionis, ita necessariò, & inuitabiliter induceret transfusionem peccati, vt hæc nullo modo impediri posset, cum esset iam tunc voluntas diuina efficax absoluta eius: ergo idem erit de dicta lege, & voluntate diuina, vt constituyente debitum proximum peccati originalis: ergo verum erit semper, quòd, stante debito proximo peccati originalis, vtpote constituto per legem, & voluntatem illam diuinam, vt factam absolutam per positionem talis conditionis, nullo modo impediri potest transfusio, & contractio peccati, nec posse Deum, ab ea eximere, & præseruare.

747 Dices quartò ex Vasques citato cap. 4. vt peccatum originale transfunderetur in posteros, non fuisse necessariam legem, & voluntatem diuinam transfundendi illud, sed satis fuisse legem, & voluntatem diuinam transfundendi gratiam, si Adam obediret; nam, stante hac solùm lege, & voluntate diuina, erat iam necessarium, quòd Adam suo peccato inobedientiæ dignè amitteret posteris gratiam, quam in ipsos transfundendam acceperat, merereturque transfusionem priuationis talis gratiæ in posteros, & consequenter etiam transfusionem peccati originalis, quòd in dicta gratiæ priuatione cõ-

fisit. Contra primò. Hæc solutio supponit, peccatum originale consistere in priuatione gratiæ, promissæ Adæ, si obediens esset: hoc autem falsum esse ostensum est iam disp. 3. de peccato originali cap. 3. punct. 1. conclus. 4. à nu. 493. Supponit etiam, peccatum originale non esse peccatum ipsum Adæ ut proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, sed quasi effectum, procedentem à peccato solius Adæ, & pœnam meriti eius: quod falsum etiam esse, constat ex disp. & cap. citatis punct. 2. à nu. 504: ergo nulla est solutio.

748 Contra secundò, permittendo adhuc omnia hæc, quæ falsò supponit solutio. Sola voluntas diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret, sine voluntate diuina transfundendi priuationem gratiæ, & peccatum originale in pœnam peccati inobedientiæ Adæ, non sufficeret, ut Adam suo peccato inobedientiæ necessariò induceret, & mereretur transfusionem priuationis gratiæ, & peccati originalis in posteros, qua in pœnam sui delicti à Deo puniretur: ergo nulla est solutio. Antecedens probatur. Tum, quia voluntas illa diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret, per se solùm considerata sine alia voluntate dicta, stare posset, quin Adam suo peccato inobedientiæ induceret, & mereretur transfusionem priuationis gratiæ, & peccati originalis in posteros, qua in pœnam sui delicti à Deo puniretur: ergo sola illa voluntas diuina non sufficeret, ut Adam suo peccato inobedientiæ necessariò induceret, & mereretur transfusionem priuationis gratiæ, & peccati originalis in posteros, qua in pœnam sui delicti à Deo puniretur. Antecedens probatur. Posset Deus habere voluntatem illam, dicendo, *volo transfundere gratiam in omnes posteros, si Adam obediens sit, si vero sit inobediens, nolo, illam transfundi in omnes posteros, sed in eos solum, in quos mihi placuerit*; qua voluntate habita, posset Deus postea, velle, transfundi gratiam in medietatem posterorum. Nunc sic. In hoc casu Adam suo peccato inobedientiæ non induceret, & mereretur transfusionem priuationis gratiæ, & peccati originalis in medietatem dictam posterorum, nec tali transfusione puniretur Adam à Deo in pœnam sui delicti, quamuis esset voluntas illa diuina transfundendi gratiam in poste-

posteròs, si Adam obediret; non ob aliud, nisi quia non esset illa alia voluntas diuina transfundendi priuationem gratiæ, & peccatum originale in pœnam inobedientiæ Adæ in medietatem dictam posterorum: ergo voluntas illa diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret, per se solùm considerata sine alia voluntate dicta, stare posset, quin Adam suo peccato inobedientiæ induceret, & mereretur transfusionem priuationis gratiæ, & peccati originalis, qua in pœnam sui delicti à Deo puniretur.

749 Tum, quia licet voluntas illa diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret, esset sufficiens, ut Adam, peccans peccato inobedientiæ, diceretur, non mereri transfusionem gratiæ in posteros, non tamen sufficeret, ut diceretur, mereri transfusionem priuationis gratiæ; ad hoc enim necessaria vlteriùs esset alia voluntas diuina, statuens, transfundere priuationem gratiæ in posteros in pœnam peccati inobedientiæ Adæ. Et ratio est: Nam, cum transfusio priuationis gratiæ in posteros non sit pœna, ex natura rei annexa peccato inobedientiæ Adæ, cui iam erat ex natura rei annexa pœna æterna damni, & sensus, infligenda ipsi Adæ in propria persona, solùm potest tali peccato, & merito eius correspondere pro pœna transfusio illa priuationis gratiæ in posteros ex voluntate diuina, statuente, punire tale peccatum transfusione dicta priuationis gratiæ in posteros: ergo sine hac voluntate, id statuente, peccatum inobedientiæ Adæ non diceretur, mereri transfusionem priuationis gratiæ in posteros, nec ipsa ut pœna puniri; atque adeò sine hac voluntate insufficientis esset ad id voluntas illa diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret. Nec negari potest, plus requiri, ut opus aliquod dicatur, mereri priuationem gratiæ ut pœnam, quam ut dicatur, non mereri gratiam ipsam; ut patet in obseruante aliquod præceptum actu merè indifferente, quo licet non mereatur gratiam, promissam obseruantibus illud præceptum, non ideo dicitur, mereri priuationem gratiæ in pœnam talis actus, quia scilicet Deus sua voluntate non statuit, punire talem actum pœna priuationis gratiæ.

750 Contra terciò. Si, stante lege, & voluntate diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret, esset sufficiens, ut Adam, peccans peccato inobedientiæ, diceretur, non mereri transfusionem gratiæ in posteros, non tamen sufficeret, ut diceretur, mereri transfusionem priuationis gratiæ; ad hoc enim necessaria vlteriùs esset alia voluntas diuina, statuens, transfundere priuationem gratiæ in posteros in pœnam peccati inobedientiæ Adæ. Et ratio est: Nam, cum transfusio priuationis gratiæ in posteros non sit pœna, ex natura rei annexa peccato inobedientiæ Adæ, cui iam erat ex natura rei annexa pœna æterna damni, & sensus, infligenda ipsi Adæ in propria persona, solùm potest tali peccato, & merito eius correspondere pro pœna transfusio illa priuationis gratiæ in posteros ex voluntate diuina, statuente, punire tale peccatum transfusione dicta priuationis gratiæ in posteros: ergo sine hac voluntate, id statuente, peccatum inobedientiæ Adæ non diceretur, mereri transfusionem priuationis gratiæ in posteros, nec ipsa ut pœna puniri; atque adeò sine hac voluntate insufficientis esset ad id voluntas illa diuina transfundendi gratiam in posteros, si Adam obediret. Nec negari potest, plus requiri, ut opus aliquod dicatur, mereri priuationem gratiæ ut pœnam, quam ut dicatur, non mereri gratiam ipsam; ut patet in obseruante aliquod præceptum actu merè indifferente, quo licet non mereatur gratiam, promissam obseruantibus illud præceptum, non ideo dicitur, mereri priuationem gratiæ in pœnam talis actus, quia scilicet Deus sua voluntate non statuit, punire talem actum pœna priuationis gratiæ.

fundendi gratiam in posteros, si Adam obediret, erat iam necessarium, quòd Adam suo peccato inobedientiæ amitteret gratiam posteris, & quòd mereretur, transfundi in ipsos priuationem gratiæ, & peccatum originale, sine dubio illa lex, & voluntas diuina esset virtualis voluntas transfundendi in illos priuationem gratiæ, & peccatum originale, si Adam peccaret, in poenam huius peccati: cumque hæc voluntas virtualis diuina esset efficax, deberet esse infrustrabilis: ergo, stante hac voluntate diuina virtuali, facta absoluta per peccatum Adæ, non poterat impediri transfusio priuationis gratiæ, & peccati originalis in posteros; & consequenter non poterant isti præseruari à tali transfusione, stante debito proximo peccati originalis, constituto per dictam voluntatem diuinam virtualem talis transfusionis.

751 Dices quintò, legem, & voluntatem diuinam transfusionis peccati non posse velle efficaciter absolute, inducere transfusionem peccati in posteros, adhuc posito peccato Adæ, & posterorum in illo: hoc enim esset indecens Deum, cum inde sequatur, Deum esse per se causam transfusionis peccati, eique dictam transfusionem tribuendam esse. Infirmitas huius solutionis constat iam ex cap. 1. punct. 1. supposit. 2. nu. 691. & 692. vbi ostendimus, voluntatem diuinam non aliter velle efficaciter absolute, inducere transfusionem peccati in posteros, nisi quia, positis peccato dicto, & existentia posterorum, & instantis generationis eorum, vult efficaciter absolute, inducere carentias condonationis diuinæ, & diuinæ acceptationis satisfactionis pro culpa, quæ vnice deerant ad esse, & constitutionem peccati originalis transfusi, volendo ipsas inducere, non absolute ex proprio motiuo, sed occasionaliter solum ex suppositione peccati posterorum in Adamo, merentis, & exigentis, transfundi dictas carentias, & peccatum originale, & ob exigentiam meriti eius, in quo nulla est indecentia: nec inde sequitur, Deum esse per se causam dictarum carentiarum, & transfusionis peccati originalis, constituti per illas, easque Deo per se tribuendas esse, vt declarauit loco citato.

752 Dices sextò, ad debitum proximum peccati originalis non requiri tantam illam necessitatem ad contractionem illius, qua-

qualis prouenit ex lege, & voluntate diuina efficaci transfusionis peccati in instanti generationis posterorum, facta iam absoluta per positionem peccati Adæ, & posterorum in ipso, sed sufficere minorem aliam necessitatem, qualis prouenit ex peccato Adæ, & posterorum in ipso, exigente ex se maculare posteros in instanti generationis; quæ minor necessitas non tolleretur Deo facultatem eximendi, & præseruandi posteros, aut quos vellet ex eis, à contractione peccati in instanti generationis. Contra primò. Quia hæc solutio impugnata est iam fusè cap. 1. superiori punct. 2. conclus. 7. & 8. à nu. 712. vbi ostendimus, peccatum Adæ vt proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, exigens ex se maculare posteros in instanti generationis, si per se solum consideretur, præscisive à lege transfusionis, non esse debitum proximum peccati originalis, sed remotum dumtaxat. Videantur ibi dicta.

753 Contra secundò. Negari non potest, necessitatem ad contractionem peccati originalis, prouenientem à lege, & voluntate diuina efficaci transfusionis peccati in instanti generationis posterorum, facta iam absoluta per positionem peccati Adæ, & posterorum in ipso, constituere aliquod debitum peccati originalis: sed non debitum remotum dumtaxat: ergo debitum proximum: ergo quælibet alia minor necessitas, in qua maior illa necessitas fundetur, non constituet iam debitum proximum peccati originalis, sed remotum tantum: sed necessitas, si quæ prouenit à peccato Adæ, & posterorum in ipso ratione exigentiæ eius maculandi posteros in instanti generationis, præscisive à lege transfusionis, est multò minor, quàm necessitas illa proueniens à dicta lege, & voluntate diuina transfusionis peccati, facta iam absoluta per positionem peccati dicti, vt patet ex dictis loco citato, & in hoc capite; & aliunde hæc maior necessitas fundatur in minori illa necessitate, proueniente à peccato dicto, vt constat: ergo necessitas, proueniens præscisive à peccato Adæ, & posterorum in ipso, non constituet debitum proximum peccati originalis, sed remotum tantum.

754 Obijcies primò. Si Rex legem ferat, statuendo poenam mortis corporalis pro aliquo delicto, non ideo efficaciter vult, quòd

quòd omnes delinquentes subeant talem pœnam, sed præsci-
sè vult, esse reos pœnae mortis; & ideo potest in illa lege di-
spensare, & pœnam remittere: ergo similiter Deus, ferens le-
gem transfusionis peccati, statuendo pœnam mortis spiritua-
lis posterorum pro peccato, committendo in Adamo, non vo-
lebat efficaciter, quòd omnes posteri subirent pœnam mortis
spiritualis, posito peccato, sed quòd essent obnoxij & rei talis
pœnae; atque adeò retenta facultate dispensandi in illa lege, &
remittendi pœnam, quibus vellet. Respondeo imprimis, le-
gem regiam, statuentem pœnam mortis corporalis pro aliquo
delicto, non velle, quòd delinquentes sint rei pœnae mortis,
& obligati ad subeundam illam, sed per se ipsam reddere ipsos
formaliter reos pœnae mortis, & formaliter obligatos ad sub-
eundam illam, ex speciali modo volendi talem pœnam, iuxta di-
cta in materia de Legibus disp. 1. cap. 2. vbi ostendimus, le-
gem non velle obligationem subditorum ad rem præceptam,
sed per se ipsam formaliter reddere subditos obligatos ad il-
lam, ex speciali modo volendi rem præceptam: ex quo simili-
ter discurrenda est de lege divina transfusionis, statuente
pœnam mortis spiritualis posterorum pro peccato, commit-
tendo in Adamo, quæ non volebat, quòd posteri essent rei, &
obligati ad talem pœnam subeundam, sed per se ipsam redde-
bat posteros formaliter reos, & obligatos, ex speciali modo
volendi talem pœnam, posito peccato eorum in Adamo.

755 Deinde dico, Regem ferentem legem, absolutè statuentem
pœnam mortis pro aliquo delicto, posse in lege sua dispensa-
re, & pœnam remittere, reuocando saltem ex parte suam le-
gem, & voluntatem priorem: hoc autem est imperfectio, quæ
in Deum cadere non potest, cui repugnat, legem, & volunta-
tem suam absolutam, aut factam absolutam, reuocare ob im-
mutabilitatem suæ voluntatis; & ideo non potest Deus dispē-
sare in lege illa, & voluntate, statuente pœnam mortis spiri-
tualis, subeundam à posteris, si in Adamo peccarent, postquam
ea facta est absoluta per positionem peccati dicti. Quòd si
Rex dicatur, posse, in sua lege dicta dispensare, & pœnam sta-
tutam remittere sine vitio reuocationis legis, hoc ideo erit,
quia ab initio tali lege statuerat pœnam mortis in omnes de-

lin;

linquentes sub conditione tacita, nisi ipsi, aliquos, à pœna exi-
mere, placeret: hoc autem modo etiam potuit Deus ferre le-
gem transfusionis peccati, statuendo pœnam mortis spiritua-
lis posterorum sub conditione, nisi aliud postea ipsi præstare
placeret in ordine ad illos, vel aliquos ex illis; cæterùm defa-
cto non sic eam tulit saltem in ordine ad posteros, à Deo para-
distinctos, vt diximus supra in impugnatione tertiæ solutionis
nu. 744. Quòd si illam sub dicta conditione tulisset, ea non
constitueret debitum proximum peccati originalis ante posi-
tionem talis conditionis, vt ibidem ostendi nu. 745: vnde
quamuis Deus post talem legem, sic conditionatè latam, posset
aliquos eximere à contractione peccati, non eximeret illos,
stante iam debito proximo peccati originalis. Videantur ibi
dicta.

756 Instabis. Deus sine vitio mutabilitatis, & reuocationis
suæ voluntatis dispensauit in præcepto absoluto, imposito
Abrahæ, de sacrificando filio, impediendo immolationem
eius: ergo similiter sine dicto vitio potuit dispensare cum ali-
quibus posteris in lege transfundendi in ipsos mortem spiri-
tualem, etiam facta iam absoluta per positionem peccati eo-
rum in Adamo. Respondeo, Deum solùm præcepisse Abrahæ
immolationem filij animo tentandi illum, & explorandi eius
virtutem, & obedientiam; vnde tali præcepto solùm obliga-
uit Abrahamum vsque ad tempus, in quo vidit eius obedien-
tiam, & animi promptitudinem ad exequendam immolatio-
nem filij, non verò pro tempore sequente, imo pro tempore
sequente obligauit ipsum nouo præcepto ad nō exequendam
immolationem filij: hoc ergo nouum præceptum non fuit di-
spensatio in priori præcepto, quia non impediuit immolatio-
nem filij pro tempore, pro quo prius præceptum obligabat, sed
pro tempore sequente obedientiam visam, pro quo iam non
obligabat; & ideo nulla facta est mutatio, & reuocatio prio-
ris præcepti, & voluntatis diuinæ, qualis fuisset, dispensando
in tali præcepto, & voluntate pro tempore, pro quo obliga-
bat, quod fuisset maxima imperfectio in Deo. Ex quo conse-
quentè ad consequentiam dicendum est, non potuisse Deum
sine vitio mutationis, & reuocationis suæ voluntatis dispensa-

re

re cum aliquibus posteris in lege transfundendi in ipsos mortem spirituales, facta iam absoluta per positionem peccatorum in Adamo, ut colligitur ex dictis circa exemplum ipsum aduersariorum.

757 Obijcies secundò. Alia debita proxima sunt ex se compossibilia cum carentia rei, cuius sunt debita proxima: ergo etiam debitum proximum peccati originalis erit compossibile cum carentia contractionis peccati in instanti generationis posterorum. Antecedens probatur exemplis. Debitum proximum frigiditatis in aqua, consistens in exigentia, quam ea habet frigiditatis, est ex se compossibile cum calore, & carentia frigiditatis, ut patet in aqua calida. Debitum proximum mortalitatis, consistens in conditione, & temperamento hominis, coalescente ex quatuor contrarijs qualitibus, est ex se compossibile cum dote immortalitatis in corpore glorioso, & idem esset in hominibus in statu innocentie. Debitum proximum visus, consistens in exigentia, quam homo habet illius, est ex se compossibile cum cecitate. Debitum proximum damnationis æternæ, consistens in peccato læthali commisso, merente, & exigente ex se talem damnationem, est ex se compossibile cum carentia damnationis, ut patet in prædestinatis, qui peccauerunt, & postea de peccato poenituerunt; & idem est de alijs debitis proximis: ergo &c.

758 Respondeo, negans antecedens. Ad probationem dico, inprimis debitum proximum frigiditatis in aqua non esse solum exigentiam eius habendi frigiditatem, hæc enim exigentia est solum debitum remotum frigiditatis, sed præter exigentiam dictam inuolueret carentiam agentis contrarij, omnique obstaculi ad habendam frigiditatem; hoc enim aggregatum ex exigentia frigiditatis, & carentia dicta, magis, & proximius necessitat aquam ad habendam frigiditatem, quam sola exigentia frigiditatis, ut diximus iam superiori cap. i. punct. 1. nu. 685. Deinde debitum proximum mortalitatis non est solum temperamentum hominis, coalescens ex quatuor contrarijs qualitibus, exigens ex se mortalitatem, hoc enim temperamentum, compossibile ex se cum immortalitate, & dote eius, est tantummodo debitum remotum eius, sed præter dictam

dictum temperamentum includit etiam carentiam dotis immortalitatis, & omnis obstaculi ad mortem, & mortalitatem; negari enim non potest, hoc aggregatum ex temperamento, & carentia dicta, fortius, & proximius necessitare ad mortalitatem, quam solum temperamentum. Vbi aduerte iuxta superioris dicta, quòd, posita lege, & voluntate diuina efficaci conditionata transfundendi peccatum, & mortalitatem in posteros in primo generationis instanti, eaque facta iam absoluta per positionem conditionis, quo pacto constituit debitum proximum mortalitatis eorum, non potuit Deus conferre posteris in tali instanti dotem immortalitatis, nec ipsos in eo à mortalitate præseruare; hoc enim contradiceret, & repugnaret legi, & voluntati diuinæ efficaci dictæ.

759 Similiter debitum proximum visus in homine non est solum exigentia eius habendi visum, hæc enim exigentia, compossibilis ex se cum cecitate, est solum debitum remotum visus, sed præter dictam exigentiam visus dicit etiam carentiam obstaculi ad posse videre; cum dubitari non possit, hoc aggregatum ex exigentia visus, & carentia obstaculi ad posse videre, efficacius, & proximius necessitare ad visum, quam sola illa exigentia. Rursus debitum proximum damnationis æternæ non est solum peccatum commissum, merens, & exigens ex se talem damnationem, hoc enim peccatum ut sic, compossibile ex se cum carentia damnationis æternæ, est dumtaxat meritum dignum ex se damnatione æterna, & debitum remotum eius, sed præter peccatum dictum dicit ulterius impoenitentiam finalem cum decreto diuino efficaci damnandi irremissibiliter, decedentes sine poenitentia; cum negari non possit, hoc aggregatum ex peccato dicto, & impoenitentia finali cum præfato decreto diuino, proximius necessitare ad damnationem æternam, quam solum peccatum dictum, & aliundè ante impoenitentiam finalem esset adhuc in potestate libera peccatoris, poenitere de peccato, & sic euadere damnationem æternam. Et simili modo respondendum est ad alia, si quæ afferantur, exempla.

760 Instabis contra dicta ad secundum exemplum. Lex, & voluntas diuina transfusionis, non erat solum de transfundenda

mortalitate, sed etiam de infligenda suo tempore posteris morte actuali in pœnam peccati Adæ, ut à posteris moraliter commissi in illo: at nihilominus, stante dicto peccato, & lege, potest Deus, eximere, quos voluerit ex posteris, à morte actuali, eos viuos in cælum transferendo, aut in infernum detrudendo: ergo etiam poterit, quos voluerit, eximere à mortalitate. Respondeo, legem, & voluntatem diuinam transfusionis non eodem modo voluisse posterorum mortalitatem, & mortem actualem; mortalitatem enim voluit directè, mortem verò actualem in consequentiam solùm, quatenus ex statu mortalitatis voluto, ea aliquando futura erat, nisi eam Deus ex aliqua causa impediret: Vnde asserendum etiam est, sub diuersa conditione voluisse posterorum mortalitatem, & mortem actualem; nam mortalitatem voluit solùm sub conditione peccati Adæ, & posterorum in ipso, iuxta verba illa *Genes. 2. In quocunque die comederis ex eo, morte morieris, id est, mortalis eris*, ubi comminatur Deus mortalitatem sub cõditione solùm peccati Adæ, & posterorum in ipso, quæ voluntas proinde facta est absoluta in ordine ad mortalitatem volitam, posito solùm peccato dicto, & sic, eo posito, non potuit mortalitas impediri saltem in instanti generationis: at mortem actualem posterorum non voluit solùm sub conditione peccati dicti, sed etiam sub conditione, nisi Deus ob aliquam causam, aliquos ab ea eximere, voluerit, ut docent Patres communiter; & sic potest Deus, non posita hac conditione, quos velit, ab actuali morte præseruare. Adde, quòd voluntas diuina dicta mortis actualis posterorum, non stante hac conditione, non constitueret debitum proximum mortis actualis, eùm tunc non necessitaret ad ipsam; vnde Deus præseruans tunc aliquos à morte actuali, non præseruaret ab ipsa, stante debito proximo eius, quod ut sic præter voluntatem diuinam dictam, & peccatum Adæ, inuolueret debet carentiam voluntatis diuinæ eximendi à morte actuali, quæ tunc non esset. Quòd si tenaciter virgeas, etiam voluntatem diuinam mortalitatis posterorum, non voluisse illam sub conditione solùm peccati Adæ, sed etiam sub conditione, quòd Deus nolit aliquos ab ea præseruare: Quamuis id sine fundamento dicatur, eo tamen permisso, dico, quòd talis voluntas

voluntas diuina, ante positionem secundæ conditionis, non constitueret debitum proximum mortalitatis, eùm tunc non necessitaret ad contrahendam mortalitatem; vnde si Deus tunc eximeret aliquos à contractione mortalitatis, non verificaretur, eximere illos, stante debito proximo mortalitatis, sed stante solùm debito remoto eius, iuxta dicta supra in impugnatione tertie solutionis nu. 745. & 746.

761 Obijcies tertio. Quamuis, posito peccato Adæ, & lege transfusionis peccati originalis, posterii nascantur in peccato, tamen potest Deus aliquorum natiuitatem præseruare à peccato: ergo similiter licet, posito dicto peccato, & lege, posterii concipiantur in peccato, poterit Deus aliquorum conceptionem præseruare à peccato. Respondeo, in posteris, à Deo parata distinctis, Deum diuerso modo voluisse conceptionem, & natiuitatem in peccato, posito peccato Adæ; nam conceptionem eorum in peccato voluit directè, natiuitatem verò in peccato in consequentiam solùm, quatenus, conceptis semel posteris in peccato, necessarium est, eos nasci in illo, nisi Deus ante natiuitatem eos liberet ab ipso ob merita Christi, ut contigit in Ioanne Baptista. Vnde sub diuersa conditione voluit conceptionem eorum in peccato, ac natiuitatem in peccato: nam conceptionem in peccato voluit sub conditione solùm peccati Adæ, quæ voluntas facta est absoluta in ordine ad conceptionem in peccato, posito solùm peccato Adæ, ut sæpè dictum est; ac proinde, posito peccato Adæ, non potuit impediri conceptio dictorum posterorum in peccato: at natiuitatem eorum in peccato non voluit Deus sub conditione solùm peccati Adæ, sed etiam sub conditione, quòd Deus nolit, eos ante natiuitatem à peccato liberare ob merita Christi, & sic potest Deus, non posita hac conditione, eos ante natiuitatem à peccato liberare; quod non est inconueniens, nam voluntas diuina, volens posteros nasci in peccato sub dicta conditione, non stante tali conditione, non constitueret debitum proximum nascendi in peccato, eùm tunc non necessitaret ad nascendum in peccato; vnde non verificaretur tunc, quòd Deus præseruaret à natiuitate in peccato, stante debito proximo nascendi in illo. Quòd si Deus voluisset, aliquem posterum concipi

icipi in peccato non solum sub conditione peccati Adæ, sed etiam sub conditione, quod ipse nollet, eum à peccato in conceptione præservare ob merita Christi, ut de Deipara prædici potest, iuxta inferius dicenda disp. sequente, voluntas divina, non stante tali conditione, non constitueret debitum proximum conceptionis in peccato, cum tunc non necessitaret ad contrahendum peccatum in conceptione; & sic Deus, tunc præservans conceptionem eius posterius à peccato, non diceretur, præservare illam à peccato, stante debito proximo eius, iuxta superius dicta in impugnatione tertiæ solutionis nu. 745. & 746.

762 Obijcies quartò. Lex fertur semper à legislatore, retenta facultate eximendi, quos voluerit, ab eius obligatione: ergo idem erit de lege divina transfusionis peccati. Respòdeo, quidquid sit de legislatore humano, qui in ferendis legibus, & in earum dispensatione, subire potest multas imperfectiones, loquar solum in præsentia de legislatore divino. Nam vel Deus fert legem absolutè, independentèr à conditione eximendi ab ea, quos voluerit, postea, vel fert illam sub conditione, volendo scilicet obligare, nisi aliquem, vel aliquos postea eximere voluerit. Si primum, non potest retinere facultatem eximendi aliquem ab eius obligatione, hoc enim esset, retinere facultatem renocandi suam legem, & voluntatem, quod repugnat Deo. Si secundum, retineret Deus facultatem eximendi postea aliquos ab eius obligatione, dum non poneretur illa conditio. Et hoc idem contingere posset in lege, & voluntate divina transfusionis peccati in posteros: Nam si lex illa esset voluntas divina efficax absoluta transfundendi peccatum in posteros, aut esset iam facta absoluta per positionem peccati Adæ, non posset Deus retinere facultatem eximendi etiam posterum à transfusione peccati, absolutè volita, quia hæc exemptio esset contra dictam legem, & voluntatem, per renocatio eius, quod implicat. Si verò esset lex, & voluntas divina, conditionatè volens, transfundi peccatum in posteros, nisi, aliquos, vel aliquem à transfusione peccati eximere, voluerit, retineret Deus facultatem eximendi, quos voluerit, dum non poneretur conditio illa; ceterùm lex, & voluntas illa divina,

uina, dum non poneretur conditio illa, non constitueret debitum proximum transfusionis peccati, cum non necessitaret tunc ad talem transfusionem, unde non verificaretur tunc, quod posset Deus, eximere posteros à transfusione peccati, stante debito proximo eius. Defacto autem non est hæc secundo modo lata lex transfusionis peccati sub dicta conditione saltem respectu posterorum, à Deipara distinctorum, ut constat ex hætenus dictis.

763

CAPVT III.

Infertur ex dictis, Deiparam, qua laudabiliter prædicatur præservata à peccato originali, non contraxisse defacto debitum proximum eius.

764 IN principio huius nostræ Dissertationis Theologicæ præferrim nu. 3. diximus, quod quamvis in ea pertractandum non esset de actuali immunitate, & præservatione Deiparæ à peccato originali in primo instanti animationis, sed præcisè an, & quomodo præservari potuerit à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis, & redemptoris, tamen ad plenam huius controversiæ declarationem obiter decidendum erat, an defacto immunis, & præservata fuerit à debito peccati originalis; quod in hoc, & sequenti capite præstabitur, agentes in hoc cap. de debito proximo, & in sequente de debito remoto, ut statim, appareat, quomodo in hoc negotio loquendum sit de Deipara, consequenter ad nostram doctrinam, cap. 1. & 2. præcedentibus traditam circa debitum proximum, & remotum peccati originalis.

765 Deiparam contraxisse debitum proximum peccati originalis, tenent tam Doctores sententiæ minùs piæ, qui Deiparam in peccato originali conceptam volunt; tum Doctores sententiæ piæ, citati præcedente cap. 2. pro prima opinione nu.

no. 730. & citandi sequente disp. 5. cap. 5. punct. 1. pro secunda opinione nu. 1169.

766 Communissima tamen nunc sententia Deiparam constituit immunem, & præservatam etiam à debito proximo peccati originalis. Ita Salazar de Concept. à cap. 7. Luzero de Concept. B. Virginis p. 2. Cornelius Mussus Episcopus Biontinus in cap. 5. ad Roman. Clitouxus lib. de Concept. Virginis cap. 8. & 9. Tuerrianus de peccato originali, §. *sed iam*, Benedictus Fernandez in Genes. cap. 9. sect. 8. nu. 1. Barradas to. 1. in Euangelia lib. 6. cap. 3. Bernardinus à Bustis 1. part. Marialis serm. 9. in 2. sermonis part. Granado opusc. de Immaculata Virginis Conceptione lib. 1. cap. 3. Lezana in lib. Apologet. pro Immaculata Conceptione c. 32. Ludouicus de Ponte in Cant. lib. 7. exhortation. 20. §. 3. nu. 5. Petrus Hurtado de Incarnat. disp. 13. sect. 4. subsect. 5. Ioannes de Lugo de Incarnat. disp. 7. sect. 3. Arriaga de Incarnat. disp. 16. sect. 4. subsect. 3. Aldrete to. 1. de Incarnat. disp. 22. sect. 4. & 9. Peñañosa in vindicijs Deiparæ disp. 9. & 10. Nieremberg de perpetuo obiecto Festi Concept. cap. 30. §. 1. Catherinus de Concept. 1. p. cap. 1. & alibi, Galatinus lib. 6. cap. 2. 6. & 10. Viguerius ad verba Pauli ad Roman. 5. *in quo omnes peccaverunt* pag. 45. & alibi, Mayron in 3. dist. 3. q. 2. art. 10. Sotus ad verba Pauli citata. Canisius lib. 2. de Deipara cap. 6. Iodocus lib. de puritate Conceptionis cap. 8. & 9. Mendez Dominicanus in Mariali lib. 2. cap. 34. Ioannes Suarius conclus. 23. Apocal. Perlinus volumine de hac re, Salmeron in cap. 5. ad Roman. disp. 49. Angles in floribus 2. sentent. dist. 31. q. 5. de contractione peccati originalis appendic. 6. Loaysa tract. de pura Concept. p. 3. Isambertus in 3. p. q. 27. art. 1. & in 1. 2. q. 31. disp. 5. art. 1. Franciscus à Cruce Dominicanus de Purit. Concept. Sylvester Saavedra lib. de peccat. origin. & de Deipara vestig. 3. disp. 19. Nouarinus in umbra virginea lib. 8. excursu 18. Andreas Pintus to. de Concept. in examine textus S. Thomæ ad quæst. 29. 3. p. Ioannes Prudentius in 3. p. to. 1. Velasques de Concept. lib. 3. dissertat. 3. annotat. 3. Vega in Theolog. p. 5. Escobar in Euang. to. 3. lib. 4. obseruat. 3. Martinus Martines lib. 3. Hypotyposeon cap. 3. Istella in cap.

cap. 3. Lucæ, Sherlogus to. 2. in Cant. cap. 1. nu. 8. ad illud *equitati meo*, sect. 1. Oña libello de peccat. origin. & de præservat. Virginis, Valdivia tract. de Concept. art. 8. Alvarus Picanus de Palacios tract. de Concept. punct. 1. Hieronymus Guevara to. 2. in Matthæum sect. 12. §. 2. & sect. 16. §. 6. Iosephus Spuces in paneg. in Cant. 3. nu. 7. Ludouicus Cardinalis serm. Dominicæ 2. aduentus, Martinus Peres de Incarnat. disp. 33. sect. 6. & disp. 14. sect. 4. & disp. 15. sect. 4. Merinerus tract. de Concept. par. 1. rat. 3. Petrus Posnaniensis in 2. sentent. Scoti dist. 30. q. 1. disp. 2. & 3. Bernal de Incarnat. disp. 10. sect. 3. nu. 30. Felix tract. de peccatis cap. 1. diffic. 5. nu. 3. Olzina tract. de Concept. disp. 2. cap. 3. Caramuel in Hercule logico positionum Metaphysicarum thesi 8. & 21. & alij, quos refert, & sequitur Nieremberg in operibus Parthenicis de concordia debiti peccati negati in Deipara cum gratia redemptionis in prothomate.

767 Hæc secunda sententia, quam veriore existimo. Probatum primò ex Patribus. S. Anselmus in sermone, quem recitabat olim Ecclesia in officio Conceptionis Nogarolico, in cuius prima lectione quartæ diei, hæc ex dicto Anselmi sermone canebantur de Deipara, *Te veni lege naturæ aliorum in tua Conceptione deum factam esse, op. 100*. Vbi, cum negetur, fuisse Deiparam deum factam lege naturæ aliorum, negatur sine dubio debitum proximum peccati originalis, quo ligata, & deum facta mansisset lege naturæ aliorum posterorum cum necessitate contrahendi peccatum tali lege comminatum. Dicitur autem Deipara non deum facta lege naturæ aliorum posterorum: Quia lex transfusionis peccati in posteros continebat quasi duplicem legem saltem æquivalentes, vnam generalem, volentem, transfundi peccatum in omnes posteros, à Deipara distinctos, sub conditione solùm, si Adam ut caput peccaret, quæ, posito solùm peccato Adæ, facta est absoluta, & induxit debitum proximum peccati originalis, necessitans ad eius contractionem; & aliam quasi particularem, volentem, transfundi peccatum in Deiparam, non sub conditione præcisè, si Adam peccaret, sed etiam sub conditione, si Christus absolutè passibilis non offerret sua merita pro impedienda transfusione peccati in ipsam

ipsam pro instanti generationis, quæ nunquam facta est absoluta, eo quòd non fuerit purificata hæc ultima conditio, sicque nunquam induxit in Deiparam debitum proximum peccati originalis, necessitans ad eius contractionem: Deipara igitur, licet fuerit deuincta lege hac secunda particulari, ad ipsam pertinente, quæ non induxit debitum proximum peccati originalis, tamen non fuit deuincta lege illa prima generali aliorum posterorum, quæ, posito peccato Adæ, induxit debitum proximum illius, & sic verissima sunt verba Anselmi. Et in prima lectione sextæ diei, *Te igitur, Domina, minime credere, quæ, morte peccati in tuo conceptu potuisse prægruari: si autem contraxisset debitum proximum peccati originalis, non solum potuisset, sed debuisset, morte peccati prægruari, ad eamque fuisset omnino necessitata. Et de Concept. cap. 18. Decens erat, ut ea puritate niteret Virgo illa, quæ maior sub Deo nequit intelligi: debitum autem proximum peccati originalis, aliqualis impuritas est, ut videbimus.*

768 Richardus de S. Victore, relatus in Breuiario Romano, edito Lugduni anno 1544. in lect. 6. Matutin, festi Conceptionis, *Non decuit, ut caro Mariæ qualicumque foret obnoxia culpæ: quod non ita esset, si habuisset debitum proximum originalis; hoc enim debitum redderet eam obnoxiam, & necessitatum ad contrahendam culpam originalem. Et in cap. 26. Cant. Nullum in ea locum habuit peccatum: si autem habuisset debitum proximum peccati, locum in ea habuisset peccatum. Similiter loquitur S. Petrus Damianus serm. de Natiuit. Virginis, Quid vitij in eius corpore, aut mente vendicare sibi potuit locum? Rupertus lib. 6. in Cant. ad illa verba duo vbera tua, Inquit, libera es ab omni iugo peccati: iugum autem peccati est sine dubio debitum proximum illius, quod reddit animam subiugatam, & obligatam ad contrahendum peccatum. Germanus Patriarcha serm. de fascijs, & Zona B. Mariæ, vocat B. Mariam, nulli penitus culpæ affinem; quæ autem maior culpæ affinitas cogitari posset, quàm debitum proximum eius, necessitans ad eius contractionem.*

769 Hieronymus in Breuiario Hispalensi in festo Conceptionis lect. 1. secundæ diei, *Quidquid in Mariæ gestum est, totum purè.*

puritas, totum gratia fuit; non ergo habuit impuritatem debiti proximi peccati. S. Augustinus in expositione symboli, & orat. Dominic. conueniens erat, ut lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei mater non teneretur obnoxia. S. Laurentius Iustinianus tract. de casto connubio verbi cap. 7. Quotquot ipsa nati sunt progenie, exceptis dumtaxat mediator Dei, & hominum homine Christo Iesu, & ipsius matre, sub hac peccati lege sunt conditi: hæc duo testimonia coincidunt cum testimonio primo S. Anselmi, & testimonio Richardi de S. Victore, supra citatis, & eodem modo intelligenda sunt. Arnoldus Carnotensis in opere sex dierum, penitus aliena fuit ab huius conscriptionis chirographo; per conscriptionis chirographum aptè significatur debitum proximum peccati originalis. S. Ildephonus lib. de parturition. & Virginit. Deiparæ, Quid est, quod legem naturæ requirunt in Maria, ubi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus.

770 Probatur secundò. Debitum proximum peccati originalis, consistens in obligatione morali, necessitante ad contrahendum illud inuitabiliter, iuxta dicta cap. 1. & 2. præcedentibus, est turpe, foedum, & indecorum Matri Dei: ergo non potest ei sine iniuria imponi tale debitum. Antecedens probatur primò. Debitum, moraliter obligans, necessitans, & astringens ad contrahendum peccatum, potest quodammodo seruitus peccati appellari: sed seruitus peccati, quæcunque illa sit, non potest non esse turpis, foeda, & indecora Matri Dei; sicut & quælibet alia seruitus est turpis, foeda, & indecora personæ, eâ patienti, eo quòd eius libertati, ingenuitati, & nobilitati repugnet, eiusque ius imminuat, eam alteri submittendo, ut est constans inter Iurisperitos: ergo idem erit de debito proximo dicto. Maior probatur. Tum, quia debitum, & obligatio ad corruptionem, & mortem corporis subeundam, appellatur seruitus corruptionis, & mortis à Paulo ad Roman. 8. *ipse creatura liberabitur a seruitute corruptionis*; ergo etiam debitum proximum, & obligatio ad corruptionem, & mortem animæ per peccatum, poterit appellari seruitus peccati. Tum, quia Fomes peccati inclinans solum ad materiale peccati sine necessitate ad illud, appellatur seruitus, & captiuitas sub lege peccati

ti ad Roman. 7. *Sensio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captiuam me sub lege peccati*: ergo potiori iure debitum proximum, necessitans ad formale peccatum contrahendum, appellabitur seruitus, & captiuitas peccati.

771 Secundò. Quamuis debitum proximum, & obligatio ad contractionem peccati originalis non esset seruitus formalis peccati, negari non poterit, esse seruitutem radicalem, obligantem, & necessitantem ad formalem seruitutem peccati, & diaboli, contentam in peccato: ergo ex hoc capite erit turpe, foedum, & indecorum Matri Dei. Patet consequentia. Tum, quia hoc debitum, & obligatio, eo ipso quòd necessitet, & cogat ad peccatum contrahendum, non potest esse laudabile, honorificum, & decorum: ergo turpe, foedum, & indecorum. Tum, quia ob hanc rationem physica prædeterminatio ad peccatum, & occasiones proximæ peccandi censentur turpes, foedæ, & indecoræ, quia necessitant, vel saltem inclinant, & inducunt infallibilitèr peccatum, & seruitutem formalem eius: ergo idem erit de debito proximo, necessitante ad peccatum, & seruitutem formalem eius. Tum, quia si quis de præsentis non esset seruus, esset tamen obligatus, subire aliquando seruitutem, talis obligatio esset turpis, foeda, & indecora illi: ergo etiam obligatio ad subeundam seruitutem peccati in instanti generationis, esset turpis, foeda, & indecora, quamuis illa in se formalis seruitus non esset. Antecedens, præterquam quòd ex ipsis terminis innotescit, probatur ex eo, quòd olim obligatio ad Seruorum pœnas, qualem subibant damnati ad metalla, vel ad Bestias, vel ad pœnam aliquam capitalem, censebatur turpis, foeda, & indecora, hi enim serui pœnæ dicebantur lege 6. §. *irritum* ff. de iniusto Reip. & lege 6. ff. de statu liberorum, & lege 24. §. *quis plane* ff. de acquirend. dignitat: ergo potiori iure esset turpis, foeda, & indecora obligatio ad seruitutem ipsam. Tum, quia debitum, & obligatio subeundi pœnas aliquas peccati originalis, præsertim molestiam, & grauamen gestationis prolis in utero, dolores, & gemitus partus, fæces, & sordes puerperij, & immunditiam legalem, contrahi solitam ex fæcibus, & sordibus puerperij; quòd debitum in pœnam peccati originalis incurrunt mulieres concipientes, & parientes

tes ex semine virili, censeatur turpe, foedum, & indecorum; & ideo remouetur à Matre Dei, vt diximus in tract. in Valentina Vniuersitate dictato, *De Redemptione præseruatiua Deiparæ a peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris*: ergo potiori iure censendum est turpe, foedum, & indecorum debitum proximum, & obligatio ad peccatum ipsum originale, dictarum pœnarum inductiuum. Vis huius consequentiæ deducitur ex eo, quòd Christus non recusauit subire debitum pœnæ moriendi, & patiendi in modum serui, iuxta illud ad Philip. 2. *Semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, & statim, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; & tamen abhorruit ab omni prorsus debito etiam remotissimo peccati; non ob aliud, nisi quia debitum peccati est magis turpe, foedum, & indecorum, quàm debitum pœnæ.*

772 Tertiò. Debitum proximum peccati originalis prouenit in alijs posteris ex lege diuina, volente, transfundi peccatum in illis sub conditione solùm peccati Adæ vt capitis, quo posito, talis lex facta est absoluta, & necessitans ad contractionem peccati, vt constat ex cap. 1. & 2. præcedentibus: sed Matri Dei est turpe, foedum, & indecorum, subiacere huic legi aliorum posterorum, sic latæ: ergo & subiacere debito proximo peccati originalis. Minor probatur. Tum, quia in Republica humana esset turpe, foedum, & indecorum, nobiles subiacere vilibus plebeiorum legibus, & ideo viliores pœnæ statuuntur pro delictis plebeiorum, quàm pro delictis nobilium: ergo cum Dei Mater ratione suæ dignitatis sit longè nobilior cæteris posteris, turpe, foedum, & indecorum esset in Republica diuina, eam subiacere legi illi vili transfusionis peccati, prout latæ contra cæteros posteros. Tum, quia minùs turpe, foedum, & indecorum esset Matri Dei, subiacere legibus aliarum foeminarum de sustinendo molestiam, & grauamen gestationis prolis in utero, dolores, & gemitus partus, fæces, & sordes puerperij cum immunditia legali, ex ipsis contrahi solita, de purificatione post partum, & de redimendo filio suo primo genito quinque siclis cum oblatione agni, vel turturum, aut columbarum, quàm subiacere legi transfusionis peccati, prout

lata in alios posteros: sed Matrem Dei ratione suæ dignitatis non decuit subiacere illis legibus: ergo multò minùs decuit, eam subiacere illi. Verum est, Matrem Dei subiacuisse legi transfusionis peccati, volenti, illud transfundi in ipsam, non sub conditione solùm peccati Adæ, sed etiam sub conditione, quòd Christus absolutè passibilis non offerret sua merita pro impedienda transfusione peccati in ipsam, quæ nunquam facta est absoluta, eo quòd non fuerit purificata hæc secunda conditio: cæterùm non subiacuit legi transfusionis peccati volenti, illud transfundi sub conditione solùm peccati Adæ, quo modo lata est in alios posteros, quæ facta est defacto absoluta per positionem solùm peccati Adæ, induxitque debitum proximum peccati in ipsos.

773 Probatur tertio conclusio. Deiparæ non conceditur Formes peccati tanquam indecorum dignitati Matris Dei, ex eo quòd inclinet, & alliciat ad peccatum materialitèr acceptum, etiamsi absque necessitate, & coactione ad illud: ergo potiori iure non est ipsi concedendum debitum proximum peccati originalis, tanquam indecorum dignitati Matris Dei, quod nõ allicit, & inclinatur solùm, sed necessitat, & cogit ad peccatum, non materiale tantùm, sed formale; si enim inclinatio solùm ad peccatum materiale reputatur dedecens Matrem Dei, quo modo talis etiam non reputabitur necessitas, & coactio ad peccatum formale?

774 Probatur quarto. Deipara fuit immunis, & præservata à debito proximo incidendi in peccata venialia, imò & à potentia morali committendi illa: ergo multò magis à debito proximo incidendi in peccatum originale. Patet consequentia: Nam magis turpe, foedum, & indecorum est debitum proximum incidendi in peccatum originale, quàm debitum proximum incidendi in peccata venialia, & potentia morali committendi illa. ergo multò magis debet esse immunis, & præservata Deipara ab illo, quàm ab isto. Antecedens patet. Debitum proximum incidendi in peccatum originale est debitum maioris, & grauioris culpæ, utpote hominem constituentis mancipium diaboli, inimicum Dei, dignum odio, & graui indignatione diuina, & poena damni æterna, priuatum gratiæ sanctificante,

&

& virtutibus per se infusis, ac iure ad Beatitudinem, quàm debitum proximum venialium, & potentia morali committendi illa, quæ nihil eorum præstant; & aliundè illud debitum magis necessitet ad culpam originalem, quàm istud ad veniales: ergo magis turpe, foedum, & indecorum est debitum illud, quàm istud.

775 Probatur quinto. Si Deipara contraxisset debitum proximum peccati originalis, ex hoc redundaret aliqua ignominia, & dedecus in filium eius: sed hoc admitti non potest: ergo nec illud. Maior patet ex nostro, supra nu. 771. citato, tract. *De Redemptione præseruatiua Deiparæ a peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolute passibilis, & redemptoris*, disp. 6. cap. 4. vbi citauimus S. Thomam 3. p. q. 27. art. 4. asserentem, dedecus, & ignominiam matris redundare in filium, ex qua doctrina infert, Deiparam nunquam actualitèr peccasse etiam venialitèr, ne scilicèt dedecus, & ignominia peccati actualis etiam venialis Deiparæ redundaret in Filium: sed debitum proximum peccati originalis est indecorum, & ignominiosum Deiparæ, vt constat ex superius dictis: ergo ex tali debito, à Deipara contracto, aliquod dedecus, & ignominia redundaret in Filium eius.

776 Probatur sexto. Si Deipara contraxisset debitum proximum peccati originalis, contraxisset etiam peccatum ipsum originale: sed hoc non contraxit, vt est solemne inter Doctores, & fatentur etiam aduersarij, cum quibus disputamus: ergo nec illud. Maior constat ex dictis cap. 2. præcedente, vbi ostendimus fusè, contracto semel debito proximo peccati originalis, non posse vilo modo impediri contractionem ipsius peccati originalis. ergo si Deipara contraxisset debitum proximum peccati originalis, contraxisset etiam peccatum ipsum originale.

777 Probatur septimo. Nihil est, quod cogat, constituere in Deipara debitum proximum peccati originalis: ergo non est constituendum in ipsa. Antecedens probatur. Si aliquid cogeret, constituere in Deipara debitum proximum peccati originalis, maximè, vt volunt aduersarij, redemptio præseruatiua eius à peccato originali ex meritis Christi absolute passibilis.

lis,

lis, ad quam, necessarium esset, præcedere in ipsa debitum proximum peccati originalis: sed ad Redemptionem præseruatiuam à peccato, propriè, & strictè talem, ex meritis Christi absolutè passibilis, non debet præcedere in persona redimenda debitum proximum eius, sed sufficit, præcedere aliquod eius debitum, etiam remotum tantum; & aliudè hoc debitum remotum peccati originalis verè præcessit defacto in Deipara, eo quòd peccauerit in Adamo, vt ostendemus cap. 4. sequente: ergo nihil est, quod cogat, constituere in Deipara debitum proximum peccati originalis. Minor quoad primam partem liquet. Tum ex dicendis sequente disp. 5. cap. 5. punct. 2. Tum, quia Deipara fuit propriè, & strictè redempta præseruatia à peccatis actualibus, tam mortalibus, quàm venialibus, ex meritis Christi absolutè passibilis; & tamen in ipsa non præcessit debitum proximum incidendi in illa, sed debitum solùm remotum ratione peccati, ab ipsa moralitèr in Adamo commissi, quod exigebat ex se, ne Deus daret Deiparæ auxilia ad vitanda peccata dicta: Aliqui etiam Sancti, qui nunquam mortalitèr peccauerunt, fuerunt propriè, & strictè redempti præseruatius à peccatis mortalibus ex meritis Christi absolutè passibilis, in quibus non præcessit debitum proximum incidendi in illa, sed debitum solùm remotum ratione peccati, ab eis moralitèr in Adamo commissi, quod exigebat ex se, ne darentur ipsis auxilia ad vitanda illa: ergo ad Redemptionem præseruatiuam à peccato, propriè, & strictè talem, ex meritis Christi absolutè passibilis, non debet præcedere in persona redimenda debitum proximum eius, sed sufficit, præcedere aliquod eius debitum, etiam remotum tantum. Tum, quia ad Redemptionem præseruatiuam à peccato, propriè, & strictè talem, solùm requiritur, quòd per illam persona præseruetur à peccato, quod aliàs infallibilitèr incurreret, nisi ab eo gratiosè præseruaretur: sed ad hoc sufficit debitum remotum peccati, exigens ex se illius positionem à parte rei, & quod Deus nō impediatur illud, nec prouideat medium ad ipsum euadendum; stante enim hoc debito remoto, verificatur iam, quòd peccatum esset aliàs infallibilitèr incurrendum à persona, nisi ab eo gratiosè præseruaretur: ergo ad Redemptionem præ-

præseruatiuam à peccato, propriè, & strictè talem, non requiritur debitum proximum eius præexistens.

778 Dices, hanc doctrinam de Immunitate, & Præseruatione Deiparæ à debito peccati originalis, propositam olim Toleti à Patribus Franciscanis in thesibus, prelo mandatis, delatam esse ad Tribunal S. Inquisitionis, à quo prohibitum fuit, ne defenderentur theses. Nam licèt id verum sit, tamen postea occasione huius delationis consulti doctissimi quique Theologi Vniuersitatum Complutensis, Hispalensis, Cordubensis, Granatensis, & Ossunensis, omnes dictæ doctrinæ subscripserunt, eam asserentes probabilissimam, & nulla etiam leuissima nota dignam. Imo & supremum Inquisitionis Tribunal, præside[n]te Cardinali Toletano, tanquam supremo generali fidei quæsitore, re diligentèr examinata, & accurate discusa, edidit Decretum die 22. Ianuarij anni 1616. quo declarauit, nihil esse, quod impediret, dictam doctrinam defendi, præcipiendo, quòd, theses prelo mandatas, in quibus dicta doctrina continebatur, liberè tueri, liceret, missa ad hoc Toletum à Supremo Tribunali Nuntio, præfatum decretum deferente; quòd factum est cum ingenti plausu, & lætitia omnium serè Toletanorum, vt referunt Salazar de Concept. cap. 8. §. 3. Granada de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 22. §. 2. num. 249. & alij.

779 Obiectiones contra doctrinam traditam omitto, quia maior pars earum est Doctorum sententiæ minùs piæ, quibus probare contendunt in Deipara debitum proximum, & peccatum originale simul, quas proinde passim videre poteris solutas apud Doctores sententiæ piæ, & in nostro tractatu supracitato, *De Redemptione præseruatua Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris*, disp. 6. cap. 14. Aliæ verò obiectiones, quæ solùm debitum proximum probare nituntur in Deipara, excluso peccato originali, ex dictis in hoc, & præcedente capite facillè solui possunt.

(.O.)

(.O.)

CA-

*An similiter dicenda sit præseruata Deipara
à debito remoto peccati originalis.*

781 **S**ermo est in hoc capite de debito remoto peccati originalis, prout à nobis constitutum est supra cap. 1. punct. 2. conclus. 8. nu. 714. & 715. in peccato ipso Adæ vt capitis, & vt proprio posterorum, ab eis moraliter commissio in illo, eo quòd fuerint à Deo constituti in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi. Vnde inquirere, an Deipara fuerit defacto præseruata à debito remoto peccati originalis, idem est, ac inquirere, an Deipara fuerit defacto præseruata à constitutione in pacto, & voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius, an verò fuerit defacto inclusa cum cæteris posteris in pacto, & voluntate Adæ, & cum eis in illo peccauerit, ad illius peccatum moraliter concurrente.

782 Prima opinio est affirmans, Deiparam fuisse defacto præseruatam à debito remoto peccati originalis, prout à nobis constituto. Ita tenentur asserere omnes ferè Doctores, citati cap. 3. præcedente nu. 766. pro 2. sententia, qui constituentibus communitèr debitum proximum peccati originalis in peccato Adæ vt capitis, (quod nos appellamus debitum solùm remotum,) aiunt nihilominus, Deiparam fuisse defacto præseruatam à debito proximo peccati originalis, existimantes, eam fuisse præseruatam à constitutione in voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius. Secunda opinio est negans, Deiparam fuisse defacto præseruatam à debito remoto peccati originalis, prout à nobis constituto. Ita Doctores, citati cap. 3. præcedent. nu. 765. pro prima sententia.

(.O.)

PVN-

Negans opinio amplectenda.

784 **P**ro opinione igitur negante Cæseo. Deipara non fuit defacto præseruata à debito remoto peccati originalis, prout à nobis constitutum est in peccato Adæ vt capitis, & moraliter commissio à posteris, constitutis in voluntate illius; sed asserendum est, eam defacto fuisse in voluntate Adæ constitutam cum cæteris posteris, & cum ipsis peccasse in illo, ad eius peccatum moraliter concurrente. Probatum primò ex Scriptura Sacra. Tum ex verbis illis Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quæ verba continent præceptum, impositum Adæ vt capiti morali, moraliter continenti in sua voluntate omnes posteros, ab ipso per feminalem propagationem descendentes, atque adeò impositum etiam omnibus posteris dictis, vt constat ex disp. 3. cap. 5. punct. 1. probat. 1. nu. 607: ergo omnes posteri, ab Adamo per feminalem propagationem ex viro, & foemina descendentes, poterant cum eo moraliter concurrere ad peccatum comestionis, aliàs non posset illis tali præcepto prohiberi comestio, imò & defacto cum eo moraliter concurrerunt ad peccatum comestionis: ergo, cum Deipara ex viro, & foemina per feminalem propagationem descendat ex Adamo, poterat etiam cum ipso moraliter concurrere ad peccatum comestionis, & defacto concurrere ad illud cum cæteris posteris, præsertim cum nulla sit ratio eam excipiendi ab hoc concursu, vt videbimus: sed non poterat concurrere moraliter ad peccatum comestionis Adæ, nisi esset in eius voluntate moraliter constituta cum cæteris posteris: ergo fuit cum his moraliter constituta in voluntate Adæ, & cum ipso peccauit; atque adeò non fuit libera à debito remoto peccati originalis.

785 Tum ex Paulo ad Roman. 5. v. 12. *in quo* (scilicet Adamo) *omnes peccauerunt.* Vbi generaliter dicitur, omnes peccasse in

Yy

Ada;

Adamo, ad quod omnes debuerunt esse constituti in voluntate eius, quibus verbis manifestè significatur debitum peccati remotum, nec est fundamentum excipiendi ab illis Deiparam. Tum ex illo Pauli ad Roman. 3. *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, scilicet gratia, quæ est gloria ipsius Dei. Vbi cum tam vniuersaliter asserat Paulus omnes egere gloria, & gratia Dei, quam omnes peccasse, sicut verba illa, *omnes egent gloria Dei*, comprehendunt etiam Deiparam, ita & illa alia, *omnes peccauerunt*, comprehendunt etiam Deiparam, tanquam exprimentia peccatum eius in Adamo. Tum ex 1. ad Corinth. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificantur*: sicut ergo non licet excipere Deiparam à numero eorum, qui in Christo uiuificantur, ita nec à numero eorum, qui in Adam moriuntur; omnes enim homines possunt dici in Adam mortui, vel formaliter ratione peccati originalis contracti, & radicaliter proximè ratione debiti proximi eius, ut cæteri posterii distincti à Deipara, vel radicaliter remotè ratione debiti remoti peccati, exigentis, quantum est ex se eorum mortem, & hoc modo mortua est in Adam Deipara, ut notauit Peñalosa disp. 10. cap. 7. nu. 50.

786 Tum ex 2. ad Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Ut hæc Pauli consequentia efficax sit, opus est, esse mortuos omnes, pro quibus mortuus est Christus: cum ergo Christus mortuus sit pro omnibus etiam Deipara, debent in Adam esse mortui omnes etiam Deipara, alij quidem formaliter, & radicaliter proximè, Deipara autem radicaliter remotè modo proximè explicato. Et similiter intelligenda sunt verba Pauli ad Roman. 5. v. 12. dicentis, *per peccatum intrasse mortem in omnes homines*, scilicet formaliter, & radicaliter proximè in alios, & radicaliter remotè in Deiparam. Tum ex illis eiusdem Pauli verbis ad Roman. 5. v. 18. *Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem*: in quibus verbis sicut ex iustitia Christi dicitur vniuersaliter oriri iustificatio omnium hominum etiam Deiparæ, ita ex delicto Adæ dici debet vniuersaliter promanare condemnatio omnium hominum etiam Deiparæ, formaliter quidem, & radicaliter proximè

ximè in cæteris hominibus, in Deipara autem radicaliter remotè, in debito scilicet remoto peccati, exigente, quantum est ex se, condemnationem eius, sicut & cæterorum: & cum hac vniuersalitate æquali sine exceptione vllius accipit sæpè hæc verba Augustinus de natura, & gratia cap. 4. & lib. 6. contra Iulianum cap. 1. & 8. & lib. 2. de peccat. merit. cap. 20. 29. & 35. & epist. 28. ad Hieronymum.

787 Nec refert primò, Deiparam ratione maternitatis Dei esse excipiendam à legibus vniuersalibus, easque semper intelligendas esse, excepta Deipara. Nam licet Deipara ratione eius dignitatis excipièda sit à legibus vniuersalibus, inuoluentibus foeditatem, & impuritatem peccati, sed non à legibus vniuersalibus, quæ non inuolunt foeditatem, & impuritatem peccati; & ideo eam præceptis naturalibus, & multis legalibus subiectam, censent communiter Doctores: leges autem vniuersales de peccato omnium in Adamo, & de morte, & condemnatione in ipso, intellectæ de morte, & condemnatione radicali remotæ respectu Deiparæ modò dicto, nullam inuolunt foeditatem, & impuritatem peccati; Deiparam enim peccasse in Adamo, & in eo mortuam, & condemnatam fuisse radicaliter remotè modo dicto, nullam dicit foeditatem, & impuritatem peccati, ut constabit ex inferiùs dicendis: ergo non est, cur excipiatur à dictis legibus vniuersalibus Deipara.

788 Nec refert secundò, testimonia Pauli citata eodem modo loqui de omnibus posteris, nullam faciendo differentiam inter illos; cumque de alijs posteris intelligantur de morte, & condemnatione formali, & radicali proxima, inducta per peccatum, si Deipara in dictis testimonijs comprehenderetur, similiter ea intelligerentur de morte, & condemnatione formali, & radicali proxima Deiparæ, quod falsum est: vnde ut hoc inconueniens vitetur, melius est, Deiparam in citatis testimonijs non comprehendere. Nam, cum peccatum Adæ ut capitis exigat, quantum est ex se, quasi necessariò inducere mortem, & condemnationem formalem in posteros, profectò testimonia citata intelligentur absolutè de morte, & condemnatione formali, & radicali proxima, inducta per peccatum, respectu eorum, qui non habent priuilegium exemptionis, quales sunt omnes

posterii, à Deipara distincti, & de morte, & condemnatione radicali remota respectu Deiparæ, habentis priuilegium exemptionis.

789 Probatur secundò ex Patribus, eodem modo loquendi Scripturæ Sacræ utentibus, & vniuersaliter asseuerantibus, omnes in Adam peccasse, nullius etiam Deiparæ exceptione facta, præsertim Augustino lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap. 10. *Manifestum est, alia esse cuique propria peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo omnes peccauerunt, quando omnes ille vnus homo fuerunt.* Et li. 3. de peccator. merit. cap. 7. *In Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Et lib. 4. contra duas epist. Pelagianor. cap. 4. *Restat, vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in eo fuerunt omnes, quando ille peccauit.* Idemque repetit alijs in locis. Anselmo lib. 10. de Concept. Virgin. cap. 7. *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit.* Basilio hom. 1. de laudibus ieiunij, *Quia non ieiunauimus, exulamus.* Bernardo ser. in coena Domini, *In casu primi hominis cecidimus omnes.* Et similiter loquuntur plures alij Patres. Si autem Patres intelligerent, Deiparam in Adam non peccasse, sed fuisse à peccando in illo præseruatam, non ita vniuersaliter dicerent, omnes in Adam peccasse, nulla facta mentione exceptionis Deiparæ.

790 Probatur tertio. Deipara poni debet defacto præseruata à peccato originali, mediante infusione gratiæ sanctificantis, & dependentèr ab ipsa, vt docent communiter Doctores; tantum enim beneficium non potest constitui concessam nisi ratione sanctitatis, & vt illi annexum: sed si Deipara esset defacto præseruata à constitutione in voluntate Adæ, & à peccando in ipso, non esset præseruata à peccato originali, mediante infusione gratiæ, & dependentèr ab ipsa: ergo non fuit defacto præseruata à constitutione in voluntate Adæ, & à peccando in ipso. Minor probatur. Tum, quia præseruatio Deiparæ à constitutione in voluntate Adæ, & à peccando in ipso facta esset, quando posterii fuerunt constituti in voluntate Adæ, & quando iste nomine eorum peccauit: sed tunc non fuit Deiparæ infusa gratia sanctificans, sed multò post in instanti Con-

ceptionis ipsius, quando supponebatur iam facta talis præseruatio: ergo non esset præseruata Deipara, mediante infusione gratiæ sanctificantis, & dependentèr ab ipsa. Tum quia si semel Deipara ponatur non constituta in voluntate Adæ, nec cum eo peccasse, quamuis postea Deus non infunderet ipsi gratiam sanctificantem in instanti Conceptionis, non esset concepta in peccato, sed in puris naturalibus: ergo præseruatio eius à peccato non esset facta per infusionem gratiæ sanctificantis, & dependentèr ab ipsa.

791 Probatur quarto. Si Deipara fuisset exclusa à cõstitutione in voluntate Adæ, vel esset exclusa à constitutione in voluntate Adæ, tam in ordine ad obseruantiam præcepti, & fœlicitates inde oriundas, quàm in ordine ad transgressionem eius, & damna inde sequenda, vel in ordine solùm ad transgressionem præcepti, cùm tamen fuerit constituta in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam præcepti: neutrum dici potest: ergo &c. Minor probatur. Non primum. Nam sic esset Deipara peioris conditionis, ac alij posterii, cùm per illam exclusionem fieret incapax recipiendi ab Adamo iustitiam originalem, eiusque priuilegia, quæ alij posterii acciperent ab ipso, si obseruaret præceptum, quando tot auxilijs in eo statu munitus, facile illud poterat obseruare. Non secundum. Nam cùm constitutio posterorum in voluntate Adæ esset indiuisibilitèr in ordine ad obseruantiam, & transgressionem præcepti simul, si Deipara fuit constituta in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam præcepti, fuit etiam constituta in illa in ordine ad transgressionem præcepti.

792 Probatur quinto. Si Deipara esset defacto præseruata à debito remoto peccati originalis, prout à nobis constituitur, esset ab eo præseruata ex meritis Christi absolutè passibilis: sed non potest esse defacto præseruata ab illo ex meritis Christi absolutè passibilis: ergo non est defacto præseruata ab illo. Minoris probationem omitto in præsentem, quia ex professo probanda est disp. 5. sequente cap. 5. punct. 3. conclus. 1. à nu. 1206. Maior probatur. Tum, quia omne donum, & priuilegium, posteris Adæ collatum defacto, ex meritis Christi absolutè passibilis dimanat, vt constanter tenent Doctores communi-

munitè: ergo etiam præseruatio dicta Deiparæ deberet esse ex meritis Christi absolutè passibilis. Tum, quia præseruatio à labe, defacto competens, & concessa Deiparæ, ab Ecclesia tribuitur expressè meritis mortis, & passionis Christi, vt patet ex oratione, quam ante Pium V. vniuersalitè canebat Ecclesia in Missa Festi Conceptionis Deiparæ, quæque adhuc nunc ex Pontificio Indulto canitur in dicta Missa in tota Religione Fratrum Minorum, *vt sicut ex morte filij tui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita &c.* ergo eidem meritis debet tribui præseruatio eius à debito remoto peccati originalis, si hæc defacto constituatur in illa, præsertim cū n, sola præseruatione ab hoc debito remoto, & à peccando in Adamo, maneret Deipara immunis, & libera omnino à labe originali. Tum, quia præseruatio dicta dicitur ab aduersarijs propriè, & strictè redemptio Deiparæ, scilicèt præseruatiua; negari enim non potest, Deiparam fuisse propriè, & strictè redemptam per Christum, scilicèt præseruatiuè, vt docet Suares disp. 9. de Peccatis sect. 4. nu. 13; sed redemptio quælibet, propriè, & strictè talis, debet esse ex meritis passionis, & sanguinis Christi, iuxta illud 1. ad Corinth. 6. *empti enim estis pretio magno: & ad Roman. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiacionem per fidem in sanguine ipsius.* Et ad Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et ad Hebræos 9. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta: & Apocalip. 5. & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Quem loquendi modum imitantur etiam Patres, præsertim August. lib. aduersus articulos sibi falso impositos, vbi, loquendo de peccato Adæ, ait, *Sanguis Christi redemptio est totius mundi: & paulo infra, redempti omnes rellè dicuntur: & Gregorius in Job lib. 17. cap. 15. apud Peñalofam disp. 3. cap. 4. nu. 28: ergo & præseruatio dicta Deiparæ.*

793 Confirmatur. Vt Deipara præseruaretur defacto à peccato originali, indiguit redemptione Christi absolutè passibilis, ita vt si non redimeretur à Christo absolutè passibili, contraheret sine dubio peccatum originale in instanti Conceptionis: sed, si semel ponatur, Deiparam non peccasse in Adamo, quã-

uis

uis postea non fuisset Christus absolutè passibilis, nec redemptio eius post præuultum peccatum Adæ, non contraheret Deipara peccatum originale in instanti Conceptionis; hoc enim non contrahunt in tali instanti, nisi qui in Adamo peccarunt: ergo asserendum est, Deiparam peccasse in Adamo, sicque à debito remoto peccati originalis præseruatam non fuisse.

794 Probatum sextò. Deipara fuit propriè, & strictè redempta à peccato originali, speciali redemptione præseruatiua, vt docent omnes Doctores cum Suares disp. 9. de Peccatis sect. 4. qui nu. 24. contrarium putat censura dignum: sed si Deipara in Adamo non peccasset cum cæteris posteris, non fuisset propriè, & strictè redempta præseruatiuè à peccato originali: ergo asserendum est, Deiparam in Adamo peccasse. Minor probatur. Ad Redemptionem, propriè, & strictè præseruatiuam, non sufficit præseruatio à peccato, quod quis poterat incurrere, sed vlteriùs requiritur, quòd præcedat debitum aliquod eius saltem remotum, exigens, quantùm est ex te, poni peccatum à parte rei, exigendo, quòd non condonet illud Deus præseruatiuè, aut impediatur contractionem eius, nec prouideat medium ad illud impediendum: sed si Deipara in Adamo non peccasset, non præcessisset aliquod debitum adhuc remotum peccati originalis, exigens contrahi tale peccatum in instanti Conceptionis Deiparæ, nec exigens, quòd Deus non condonet illud præseruatiuè, aut impediatur contractionem eius, & quòd non prouideat medium ad impediendum illud; hæc enim exigentia in solo peccato, in Adamo ab ipsa commisso, reperiri posset: ergo si Deipara in Adamo non peccasset, non fuisset propriè, & strictè redempta præseruatiuè à peccato originali. Maioris probationem omittimus nunc, eo quòd ea fusè probanda sit disp. 5. sequente cap. 5. punct. 4. conclus. 2. à nu. 1234. Videantur ibi dicenda.

795 Dices primò cum nonnullis Doctoribus, suppresso nomine citatis à Salazar de Concept. cap. 24. à nu. 125. & à Bernal de Incarnat. disp. 10. sect. 3. nu. 34. Deiparam non fuisse propriè, & strictè redemptam præseruatiuè per Christum absolutè passibilem à peccato originali, sed à peccatis solùm actualibus, & hoc sufficere, vt ea redempta dicatur, nec ex scri-

ptura

ptura, Concilijs, & Patribus colligi posse aliam eius redemptionem præterquam ab actualibus. Hanc solutionem impugnat eruditè Peñalosa disp. 3. cap. 4. nu. 28. & 29. Tum, quia Patres asserentes, omnes homines esse à Christo redemptos, locuntur præcipuè de peccato originali, Augustinus lib. aduersus articulos sibi falso impositos, Gregorius in Iob lib. 17. cap. 15. & alij Patres communiter. Idem significant propositiones vniuersales Scripturæ, in quibus innuitur, Christum reparasse damna, orta ex præuacatione Adæ, ad Roman. 5. & 2. ad Corinth. 5. & 1. ad Timoth. 2. & alibi passim. Tum, quia fides, & motiuum primarium aduentus Christi in carne absolute passibili fuit redemptio à peccato originali: Si autem Deipara non fuisset præseruatiuè redempta à peccato originali, non intrasset in primarium finem, & motiuum aduentus Christi in carne passibilis; quod videtur absurdum. Tum, quia si Deipara non peccasset in Adamo, nullum habuisset debitum adhuc remotum incidendi in peccata actualia, & carendi auxilijs ad ea vitanda: ergo adhuc à peccatis actualibus non posset esse præseruatiuè redempta propriè, & strictè, cum ad hanc redemptionem, præter possibilitatem peccandi, debitum aliquod saltem remotum prærequiratur, vt dictum est.

796 Dices secundò, quòd licet Deipara non peccauerit in Adamo, nec in voluntate eius constituta fuerit, habuit tamen debitum ingrediendi legem vniuersalem constitutionis, & inclusionis posterorum in voluntate Adæ, & transfusionis peccati in ipsos, in qua quia vniuersali omnes comprehendi debebant etiam Deipara; & hoc debitum sufficit, vt Deipara dicatur propriè, & strictè redempta præseruatiuè à peccato originali. Contra. Nam imprimis falsum est, Deiparam, & singulos posteros habuisse debitum ingrediendi dictam legem vniuersalem, vt ostendimus cap. 1. punct. 2. conclus. 1. nu. 697. & 698. Videantur ibi dicta. Deinde falsum est etiam, hoc debitum ingrediendi dictam legem vniuersalem, qualecunque sit, sufficere, vt Deipara dicatur propriè, & strictè redempta præseruatiuè. Nam aliàs etiam humanitas Christi secundum se, per vnionem hypostaticam præseruata defacto ab omni peccato originali, & actuali, in quæ aliàs ex se incidere poterat, si non

nō haberet vnionem hypostaticam, dici posset propriè, & strictè redempta præseruatiuè: sed hoc est absurdum, & pias aures offendit, audire, fuisse propriè, & strictè redemptam humanitatem Christi, quæ vt vnita Verbo fuit causa redemptionis omnium: ergo &c. Sequela maioris probatur: Humanitas Christi secundum se, attento ordine causarum naturalium, debebat carere subsistentia diuina, & oriri ex Adam per seminalem propagationem, sicque erat ex se obnoxia ad ingrediendam dictam legem vniuersalem: ergo habebat ex se debitum ingrediendi illam, non minus quam Deipara, & singuli posterij: ergo si hoc debitum sufficit in Deipara, vt dicatur propriè, & strictè redempta præseruatiuè, idem sufficet in humanitate Christi, vt dicatur etiam propriè, & strictè redempta præseruatiuè. Quod huic argumento responderi posset, impugnabitur disp. 5. sequente cap. 5. punct. 4. §. dices primo num. 1240.

797 Probatur septimò ex proximè dictis probatione præcedente. Non potest esse gloriosum Deiparæ, non peccasse in Adamo: ergo non est, cur id Deiparæ tribuatur. Antecedens probatur. Non potest esse gloriosum Deiparæ, quod esset ingloriosum Christo, quodque ipsius dignitatem vniuersalis Redemptoris, & excellentiam redemptionis eiusdem deuenustaret: sed Deiparam non peccasse in Adamo, esset ingloriosum Christo, eiusque dignitatem vniuersalis Redemptoris, & excellentiam redemptionis eiusdem deuenustaret: ergo non potest esse gloriosum Deiparæ, non peccasse in Adamo. Minor probatur. Eo ipso quòd ponatur, Deiparam non peccasse in Adamo, neque à peccato originali, neque à peccatis actualibus esset propriè, & strictè redempta adhuc præseruatiuè, vt probatum est: ergo Christus non esset propriè, & strictè Redemptor eius adhuc præseruatiuè, nec suam redemptionem in eam exerceret, sicque non esset vniuersalis omnium hominum Redemptor propriè, & strictè: ergo Deiparam non peccasse in Adamo, esset ingloriosum Christo, eiusque dignitatem vniuersalis Redemptoris, & excellentiam redemptionis eiusdem deuenustaret.

798 Nec dicas, fuisse gloriosum Deiparæ, non constitui in vo-

luntate Adæ in ordine ad peccandum; quia Deus noluit, eam constituere in voluntate Adæ, ne in illo peccaret, quando per scientiam conditionatam præsciebat, peccaturum Adamum, & Deiparam in illo, si in eius voluntate constitueretur. Tum, quia Deiparam peccasse in Adamo, nullam ei affert foeditatem, ut statim ostendo, nec est ipsi ingloriosum: ergo non potuit esse ei gloriosum, non constitui in voluntate Adæ, ne in illo peccaret. Tum, quia non potest esse Deiparæ gloriosum, quod esset ingloriosum Christo, & contra eius dignitatem vniuersalis Redemptoris omnium: sed Deiparam non constitui in voluntate Adæ, & in illo non peccare, esset ingloriosum Christo, & contra eius dignitatem vniuersalis Redemptoris omnium, ut probatum est: ergo id non potest esse gloriosum Deiparæ. Tum, quia sicut Deus per scientiam conditionatam præsciebat lapsum Adæ, & Deiparæ in illo, ita præsciebat, peccante Adamo, Christum illam redempturum præseruatiuè ab infectione, & foeditate peccati, quod sine dubio esset Deiparæ magis gloriosum: ergo si ob illam præscientiam dicitur gloriosum Deiparæ, non constitui in voluntate Adæ, etiam ob istam præscientiam erit Deiparæ magis gloriosum, constitui in voluntate Adæ, & in eo peccare.

799 Probatur octauò ex dictis disp. 3. cap. 3. punct. 3. in responsione ad instantiam contra solutionem septimæ obiectiõnis à nu. 537. Deiparam in Adamo peccasse, nullam ipsi affert foeditatem, infectionem, & maculationem: ergo non est, cur negetur, eam in Adamo peccasse. Antecedens probatur. Si peccasse Deiparam in Adamo, afferret ipsi aliquam foeditatem, infectionem, & maculationem, vel eam ipsi afferret in instanti Conceptionis, sicut cæteris posteris, vel in instanti in quo in, & cum Adamo, physicè peccante, moralitèr peccauit cum cæteris posteris. Primum dici non potest. Nam pro instanti Conceptionis fuit iam præseruata Deipara ab omni foeditate, infectione, & maculatione peccati, in Adamo commissi, ex meritis Christi absolutè passibilis, Deo illi peccatum in Adamo commissum, præseruatiuè condonante pro tali instanti ob dicta merita, iuxta dicenda disp. 5. sequente cap. 5. punct. 3. à conclus. 2. à nu. 1213: ergo Deiparam in Adamo peccasse, nulla

nullam ipsi affert foeditatem, infectionem, & maculationem in instanti Conceptionis.

800 Secundum etiam dici non posse, colligitur apertè ex modo loquendi Scripturæ, Patrum, & Doctorum. Nam licet apertè asserant, posteros peccasse in Adamo, quando ille peccauit, quod non potest esse verum, nisi peccatum Adæ ut capitis denominaret tunc illos moralitèr peccantes, tamen aliudè constantèr asseuerant Patres, & Doctores, posteros non tunc, sed in instanti Conceptionis incipere foedari, infici, & maculari: quod denotat planè, quod peccatum Adæ ut capitis non poterat denominare posteros foedatos, infectos, & maculatos, quando ille peccauit, sed moralitèr peccantes præscisè, atque adeò nec Deiparam, etiam si moralitèr peccantem tunc cum ipsis in Adamo.

801 Ratio autem discriminis inter dictas denominationes deducenda est ex dictis loco citato. Nam huiusmodi denominationes non possunt cadere in posteros, nisi quando sunt subiectum capax earum, scilicet quando vel physicè existunt in se, vel sunt moralitèr existentes in alio, physicè existente, cum quo sint moralitèr vnum in ordine ad tales denominationes sed quando Adam caput physicè peccauit, non existebant in se physicè posteri, nec erant moralitèr existentes in capite, physicè existente, nec moralitèr vnum cum ipso in ordine ad denominationem foedati, infecti, & maculati, sed in ordine solum ad denominationem peccantis: ergo quando caput physicè peccauit, peccatum eius non poterat denominare posteros foedatos, infectos, & maculatos, sed moralitèr peccantes præscisè. Maior est certa. Nam nisi personæ posterorum aliquo ex duobus dictis modis existant, non capio, qua ratione possint esse subiectum capax ad recipiendam vllam ex illis denominationibus.

802 Minor quoad secundam partem probatur. Posteri solum possunt esse moralitèr existentes in capite, physicè existente, & moralitèr vnum cum ipso in ordine ad eam denominationem, quam habent omnino indiuisibilitèr, & inseparabilitèr à simili denominatione, cadente in caput, & quasi dependentes ab ipsa, non verò in ordine ad eam denominationem, quam

habent diuisibilitèr, & separabilitèr à capite, & quasi indepè-
dentèr à simili denominatione, cadente in caput; quomodò
enim poterunt esse moralitèr existentes in capite, & moralitèr
vnum cum ipso in ordine ad denominationem, quam non ha-
bent in capite, sed in se ipsis diuisim, & separatim à capite, &
independentèr à simili denominatione, cadente in illud? sed
posterii habent denominationem foedati, infecti, & maculati
diuisim, & separatim à capite, & independentèr à simili deno-
minatione, cadente in caput, licèt denominationem peccantis
habeant indiuisibilitèr, & inseparabilitèr à simili denomina-
tione, cadente in caput, & quasi dependenter ab illa: ergo non
erant moralitèr existentes in capite, nec moralitèr vnum cum
ipso in ordine ad denominationem foedati, infecti, & macula-
ti, sed in ordine solùm ad denominationem peccantis.

803 Minor declaratur. Nam nunc posterii dicuntur foedati, in-
fecti, & maculati, quando iam caput non est foedatum, infe-
ctum, & maculatum, sed sanctificatum in cœlo; nunc verò non
dicuntur peccantes de præsentì in capite, sed peccasse in illo de
præterito, quando illud peccauit, nec potuerunt dici morali-
tèr peccantes de præsentì in capite, nisi in instanti, in quo ca-
put physice peccabat: ergo posterii habent denominationem
foedati, infecti, & maculati diuisim, & separatim à capite, &
independentèr à simili denominatione, cadente in caput, &
solam denominationem peccantis habent indiuisibilitèr, & in-
separabilitèr à simili denominatione, cadente in caput, & qua-
si dependentèr ab illa. Ex quo constat, denominationem fo-
edati, infecti, & maculati non committari, nec esse annexam
denominationi peccantis in peccato originali ob rationem di-
ctam, sed in peccato solùm personali, in quo peccans, quando
illud committit, existit physice. Videantur hæc omnia fusiùs
declarata loco supra citato, ex ibi enim dictis facilè diluentur
omnia, quæ contra hanc doctrinam proponi possent.

804 Confirmatur vteriùs hæc doctrina ex dictis loco supra ci-
tato nu. 543. Nam cum denominatio dicta maculati, Dei ini-
mici &c. afferat secum pœnalitates, & misérias, subsequentes
peccatum originale, scilicèt priuationem gratiæ, & amicitæ
Dei, ac visionis Beantis, mortalitatem, rebellionem appetitus
con-

contra rationem, & similes, solùm cadere potest in subiectum
capax præfatarum pœnalitatum, & misérias: sed posterii,
physicè non existente in se, sed moralitèr solùm in capite non
sunt capaces earum: ergo nec dictæ denominationis maculati,
Dei inimici &c. Minor probatur. Et in primis de mortalitate,
& rebellionem appetitus contra rationem, patet. Nam posterii,
solùm quando physice existunt, iam generati, possunt esse ca-
paxes moriendi, & in eisdem solùm vt talibus potest appetitus
rebellare, & operari contra rationem. Deinde de priuatione
gratiæ, & amicitæ Dei, ac visionis Beantis, constat. Nam pri-
uatio harum perfectionum requirit subiectum capax, & po-
tens possidere illas: sed posterii, physice non existentes in se,
sed moralitèr solùm in capite, non sunt capaces, nec posside-
re possunt dictas perfectiones, vt liquet: ergo nec priuatio-
nem earum. Vnde in posteris, moralitèr solùm existentibus
in capite, negatio potiùs, quàm priuatio esset dictarum perfe-
ctionum pro eo statu.

805 Probatur nonò ratione formata ex doctrina, in superiori-
bus probationibus tradita. In generalibus Scripturæ, & Pa-
trum locutionibus curandum semper est, eas cum tota sua vni-
uersalitate absque vllius exceptione intelligere, & verificare,
quando commodè fieri potest, præsertim si vniuersali hac ea-
rum intelligentia, & verificatione honorificentius declarentur
excellentiæ aliquæ Deiparæ, & Christi filij eius; hic enim cen-
sendus est proculdubio aptior modus eas intelligendi, & ex-
plicandi. Vnde præferenda est semper ea sententia, quæ gene-
rales Scripturæ, & Patrum locutiones commodè intelligit, &
verificat cum tota sua vniuersalitate absque vllius exceptio-
ne, præsertim quando tali ipsarum intelligentia, & verificatio-
ne faciliùs, & honorificentius declarat excellentias aliquas
Deiparæ, & Christi filij eius: sed nostra sententia generales
Scripturæ, & Patrum locutiones, asserentes, omnes in Adam
peccasse, & ratione peccati eius omnes mortuos, & damnatos
esse, commodè intelligit, & verificat cum tota sua vniuersali-
tate absque vllius, etiam Deiparæ, exceptione; & aliundè
vniuersali hac earum intelligentia, & verificatione faciliùs, &
honorificentius declarat excellentiam præseruatiuæ redem-
ptio-

ptionis Deiparæ ab omni peccato, originali, & actuali ex merito Christi absolutè passibilis, & dignitatem vniuersalis omnium Redemptoris in Christo, vt constat ex superioribus probationibus: ergo præferenda est nostra sententia.

PUNCTUM II.

Respondetur obiectionibus.

807 **O**bjicies primò. Si Deipara comprehenderetur in propositionibus illis vniuersalibus Pauli, citatis punct. 1.º precedente, probat. 1. nu. 785. & 786. sequeretur, ipsam non solum peccasse in Adamo cum cæteris posteris, sed contraxisse etiam peccatum originale cum illis in instanti Conceptionis: sed hoc est falsum: ergo & illud. Maior probatur. Ex propositionibus illis vniuersalibus Pauli citatis colligunt Concilia, Patres, & Doctores, cæteros posteros non solum peccasse in Adamo, sed contraxisse etiam peccatum originale in instanti Conceptionis: ergo si Deipara in illis comprehenderetur, non solum colligetur, eam peccasse in Adamo, sed contraxisse etiam peccatum originale in instanti Conceptionis; præsertim cum propositiones illæ vniuersales nullam faciant differentiam inter ipsam, & cæteros posteros, sed vniuersaliter loquantur de omnibus. Respondeo ex dictis punct. 1.º precedente nu. 788. negans maiorem. Ad probationem, concessa antecedente, nego consequentiam. Nam cum peccatum Adæ vt capitis, à posteris in ipso moraliter commissum, exigat, quantum est ex se, inficere, & maculare in instanti Conceptionis omnes posteros, à quibus fuit moraliter commissum, profectò ex citatis propositionibus, afferentibus, omnes peccasse in Adamo &c. rectè colligunt Concilia, Patres, & Doctores, contraxisse formaliter infectionem, & maculam peccati originalis in instanti Conceptionis omnes illos, qui non habent priuilegium exemptionis à contractione formali eius, quales sunt omnes posterii, à Deipara distincti; id autem colligi non potest de Deipara, habente priuilegium exemptionis à contractione formali eius.

eius, sed ad summum colligi poterit, eam in Adamo peccasse præcisè, sicque radicaliter remotè illam contraxisse.

808 **O**bjicies secundò. Tridentinum sess. 5. in Decreto de peccato originali, postquam decreuit, peccatum Adæ sibi, & posteris nocuisse, transfundendo in posteros non solum pœnas, sed etiam culpam peccati, idque confirmauit testimonio illo Pauli ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, afferendo, contradicere huic testimonio, contrarium dicentes, & sentientes, subdit in fine decreti, *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis, in eis Constitutionibus contentis, quas innouat. Vbi cum Concilium noluerit, Deiparam comprehendere in hoc decreto, noluit etiam sine dubio, eam comprehendere in verbis illis generalibus Pauli, omnes in Adamo peccauerunt, allegatis in hoc decreto in confirmationem eius, ex quibus tota Decreti doctrina deducta est.*

809 **R**espondeo, Tridentinum in hac declaratione solum intendisse, non includere Deiparam in suo decreto de peccato originali, quantum ad id, quod in eo statuerat circa nocumentum, illatum posteris generaliter ex peccato Adæ per transfusionem pœnarum, & culpæ peccati in illos, intendendo, peccatum Adæ non nocuisse Deiparæ, sicut nocuit cæteris posteris, nec in eam transfudisse pœnas, & culpam peccati, sicut in cæteros posteros: nihil autem dixit de comprehensione, aut non comprehensione eius in verbis illis generalibus Pauli allegatis, *omnes in Adamo peccauerunt*, id relinquendo Theologorum disputationi, & discussioni. Quod patet: Tum ex verbis Concilij, declarantis, *non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam*; nomine autem peccati originalis absolutè intelligitur peccatum vt nocens, & transfusum, non vt præcisè commissum in capite: Tum, quia Concilium remittit ad Constitutiones Sixti IV. contentas in Extrava-

gante *Grave nimis*, ubi solum agitur de immunitate Deiparæ à peccato originali ut nocente, & transfuso, non à debito eius remoto, seu à peccato ut in Adam commisso, præscisive à transfusione eius, ut est certum. Quod si permittamus, Concilium noluisse includere Deiparam in illis verbis, *omnes in Adam peccaverunt*, dicendum est, noluisse eam includere in dictis verbis eo modo, quo decreuerat, includi ceteros posteros, scilicet quantum ad transfusionem peccati, & nocentorum, sequutam ex peccato Adæ, quo pacto decreuerat, includi in dictis verbis ceteros posteros, eo quod non haberent privilegium exemptionis à dicta transfusione, quale habet Deipara: de inclusionem autem eius, aut non inclusionem in illis verbis, quantum ad concursum moralem eius ad peccatum Adæ, præscisive à dicta transfusione, nihil decreuit Concilium.

810 Obijcies tertio plura Patrum testimonia apud Granado de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 22. §. 3. satis clarè inuentia, Deiparam non peccasse in Adamo. Primo Anselmus in serm. illo, quem olim recitabat Ecclesia in officio festi Conceptionis, ordinato à Leonardo de Nogarolis, & approbato à Sixto IV. in lect. 1. quartæ diei festiuitatis Conceptionis, *Paulus, omnes homines in Adam peccasse, fatetur; vera vitæque sententia, & cui contradici, nefas esse, pronuncio; sed cum eminentiam gratiæ Dei in te, Maria Virgo, considero, sicut te non intra omnia, sed supra omnia, que facta sunt, ineffabili modo contusor, ita te non lege naturæ aliorum in tua Conceptione denotam esse, opinor.* Et in lect. 1. sextæ diei, *Te igitur, Domina, minime credere, quæ, morte peccati in tuo conceptu potuisse prægruari:* Si autem Deipara in Adamo peccasset, esset sine dubio in Conceptione denotata lege naturæ aliorum, potuissetque morte peccati prægruari. Secundò S. Iacobus in sua Liturgia appellat Deiparam, *modis omnibus irreprehensam;* esset autem quodammodo reprehensione digna saltem in Adamo, si in ipso peccasset. Tertio in altero ex libris, repertis in monte Granatensi anno 1595, legitur, *Mariam non tetigit primum peccatum;* tetigisset autem, si esset ab ea cum cæteris posteris commissum in Adamo. Quarto Hieronymus in serm. qui recitatur in secundo nocturno officij Fratrum Minorum, approbato à Pio V. *Maria ideo*

immaculata

immaculata, quia in nullo corrupta, esset autem corrupta, si in Adamo peccasset. Quintò, Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 36. *Excepta sancta Virgo Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem;* sicque non vult habere questionem de ipsa, cum agitur, an omnes in Adam peccauerint? Sextò, Cyprianus tract. de Cardinalibus Christi operibus serm. de Natiuitate Christi, *Non sustinebat iniuria, ut Virgo Maria communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa:* si autem in Adam peccauit cum cæteris posteris, communibus lassaretur iniurijs, vereque culpa communicasset, & non sola natura. Septimò, Anselmus, iam supra citatus, in illa verba 2. ad Corinth. 5. *si vnus pro omnibus mortuus est, et ergo omnes mortui sunt,* inquit, *omnes mortui sunt in peccatis, dempta matre Dei, siue originalibus, siue etiam voluntate additis.* Et lib. de Concept. Virginal. cap. 18. *Decens erat, ut ea puritate, quæ maior sub Deo nequit intelli, virgo illa niteret:* non niteret autem tanta hac puritate, si in Adam peccasset, quia maior puritas esset, non peccasse in eo. Octauò, Richardus de S. Victore in 2. Cantic. *Tota fuit pulchra, quia nullum in ea locum habuit peccatum:* habuisset autem, si in Adamo peccasset. Nonò, Petrus Damianus serm. de Natiuitate Virginis, *Quid vitij in eius corpore, aut mente vendicare sibi potuit locum, quæ totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* si autem peccasset in Adamo, certè aliquid vitij potuisset in ea sibi locum vendicare. Decimò, Rupertus lib. 6. in Cant. in illa verba, *duo vbera tua,* sic alloquitur Deiparam, *libera es ab omni iugo peccati:* talis autem non esset, si in Adamo peccasset. Undecimò, Germanus Patriarcha in serm. de fascijs, & Zona Beatæ Mariæ ait, *eam nulli penitus culpæ affinem fuisse:* esset autem culpæ affinis, si in Adamo peccasset.

811 Respondeo vno verbo, hæc omnia testimonia solum excludere à Deipara contractionem peccati, & debiti proximi eius in Conceptione, contendendo, peccatum Adæ non nocuisse Deiparæ, eam constituendo mortuam, morte peccati grauata, reprehensibilem, culpata, corruptam, iniurijs lassatam, impuram, vitiatam, subiugatam peccato, & culpæ affinem;

Aaa

finem;

finem; quod verissimum est, nam peccatum Adæ non potuit inducere has foeditates in posteros in instanti, in quo est à posteris commissum in Adamo, iuxta dicta punct. præcedent. probation. 8. à nu. 799. sed in instanti solùm Conceptionis, in quo Deipara fuit iam ab his foeditatibus exempta per præseruatiuam Dei condonationem peccati, ab ipsa in Adamo commissi. Hoc clariùs constabit, percurrendo singula testimonia.

§12 Primum Anselmi testimonium expressè asserit, Deiparam non fuisse deuictam lege naturæ aliorum, nec morte peccati prægrauatam in instanti Conceptionis, ex eo scilicet, quòd Deus iam ei condonauerat præseruatiuè peccatum pro tali instanti; nihil autem dicit de concursu eius morali ad peccatum Adæ, nam, non obstante hoc concursu, potuit in instanti Conceptionis non esse deuicta lege naturæ aliorum, & morte peccati minimè prægrauata ratione dictæ condonationis diuinæ. Secundum testimonium S. Iacobi appellat Deiparam, *omnibus modis irreprehensam*, quia, quando peccauit in Adamo, non poterat illud peccatum, eam reddere reprehensibilem, & reprehensione dignam, postea verò in instanti Conceptionis iam condonatio diuina dicta præseruauerat ipsam ab omni reprehensibilitate, & dignitate reprehensionis. Tertium testimonium libri Granatensis verè dicit, Mariam non tetigisse primum peccatum, etiamsi ab ipsa in capite moralitèr commissum, quia ei non nocuit, nec vllam vnquam attulit foeditatem, iuxta dicta. Quartum Hieronymi testimonium rectè asserit, Mariam in nullo fuisse corruptam, quia peccatum, ab ipsa in Adamo commissum, nec reddidit tunc eam corruptam, nec postea in instanti Conceptionis, in quo per dictam condonationem diuinam etat iam præseruata ab omni peccati corruptione. Quintum Augustini testimonium nullam vult habere quæstionem de Deipara, cum agitur de peccatis inficientibus, & maculantibus, quale non erat peccatum, moralitèr in Adamo commissum præcisè, dum non contrahebatur in Conceptione, vt contigit in Deipara.

§13 Sextum Cypriani testimonium verè affirmat, Deiparam non fuisse lassatam communibus iniurijs, quia eis nunquam fuit

fuit infecta, & foedata, vt dictum est; nec ei communicasse culpam, quia peccatum, ab ipsa in Adamo moralitèr commissum, non potuit ei imputari ad culpam, nec quando Adam peccauit, quia tunc nec physicè, nec moralitèr erat existens saltem in ordine ad denominationem culpata, iuxta dicta punct. præcedent. probat. 8. à nu. 799. nec in instanti Conceptionis, pro quo condonata ei erat iam præseruatiuè omnis culpa. Septimum Anselmi testimonium rectè ait, Matrem Dei non fuisse mortuam morte peccati, scilicet formalitèr in Conceptione, licet debitum huius mortis remotum non euaserit, peccando in Adamo. Item verè dicit, puritatem Deiparæ fuisse maiorem sub Deo, licet peccauerit in Adamo; quia peccasse in Adamo, nullam ipsi communicauit impuritatem, nec quando in Adamo peccauit, nec quando concepta fuit ratione dictæ condonationis diuinæ præseruatiuæ. Octauum Richardi testimonium asserit, peccatum, nullum habuisse locum in Deipara, quia quamuis in Adamo peccauerit, eam tamen non infecit, nec foedauit peccatum. Nonum Petri Damiani testimonium ait similiter, vitium non vendicasse sibi locum in corpore, aut mente Deiparæ, quia non mansit vitiata, & maculata peccato, ab ipsa in Adamo commisso. Decimum Ruperti testimonium Deiparam clamat liberam à iugo peccati; quia peccatum Adæ eam non subiugauit, nec ipsam miserijs suis subiecit, & foedauit. Vndecimum Germani testimonium vocat Deiparam nulli culpæ affinem, quia peccatum, ab ipsa in Adamo commissum, eam non reddidit culpata, nec proximè debitricem contractionis culpæ, vt dictum est.

§14 Obijes quartò ex eodem Granado citato §. 4. Si Deipara peccasset in Adamo, non esset digna mater Christi: ergo non peccauit in Adamo. Antecedens probatur primò. Deiparam peccasse in Adamo, non posset non esse ignominiosam Christo: ergo si in Adamo peccasset, non esset digna mater Christi. Antecedens probatur. Ignominia matris redundat in filium: sed Deiparam peccasse in Adamo, est ignominia eius, cum sit culpa: ergo talis ignominia redundat in Christum filium eius: ergo Deiparam peccasse in Adamo, non posset non esse ignominiosam Christo. Secundò. Cùm Christus non

possit habere conventionem cum Belial, scilicet Dæmone, iuxta illud 2. ad Corinth. 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* nec mater eius, utpote ipsi coniunctissima, & affinisissima, potest habere conventionem cum Belial: sed Deiparam peccasse in Adamo, esset habere conventionem cum Belial: ergo si in Adamo peccasset, non esset digna mater Christi. Minor patet. Nam peccans censetur recedere à Deo, & accedere ad Dæmonem per peccatum: ergo &c. Tertio. *Sapientia non habitabit in corpore subdito peccatis*, ut dicitur Sapientia 1: sed Sapientia Incarnata Christi habitauit in corpore Deiparæ: ergo corpus Deiparæ non fuit subditum peccato: at fuisset illi subditum, si Deipara in Adamo peccasset: ergo non esset dignum habitaculum Sapientia Incarnatæ, nec digna mater eius.

§15 Respondeo, negans antecedens. Ad primam probationem nego antecedens. Ad probationem nego minorem: nam Deiparam peccasse in Adamo non fuit formalitèr ignominia, & culpa eius, quia peccatum, ab ipsa in Adamo commissum, non reddidit ipsam fœdatam, maculatam, & culpam, neq; quando illud in Adamo commissit ob defectum existentia tunc, neque in Conceptione, in qua erat iam ei præseruatiuè condonatum peccatum: licet possit dici ignominia, & culpa eius radicalitèr remotè in debito remoto eius, quatenus peccatum, in Adamo commissum, exigebat ex se, reddere Deiparam ignominiatam, & culpam in instanti Conceptionis, quodq; eam ignominiatam, & culpam in tali instanti reddidisset, nisi Deus ei præseruatiuè condonasset peccatum pro eo instanti; hoc autem non est, esse verè, & propriè ignominiam, & culpam.

§16 Ad secundam probationem nego minorem. Nam, cum per peccatum, in Adamo commissum, non fuerit fœdata, & maculata Deipara, neque quando illud commissit in Adamo, neque in sua Conceptione, per illud non est facta inimica Dei, & recedens ab ipso, nec mancipium dæmonis, & accedens ad ipsum, ac proinde non habuit conventionem ad Belial. Ad probationem distinguo antecedens, peccans censetur recedere à Deo, & accedere ad Dæmonem per peccatum, quando hoc inficit, fœdat, & maculat peccantem, concedo; quando id non præ-

præstat, ut in Deipara, nego.

§17 Ad tertiam probationem dico, personam non esse propriè, & strictè subditam peccato, nisi quando commitens peccatum, inficitur, fœdatur, & maculatur ab eo, sicque manet subiecta miserijs eius. Vnde in forma concedo totum syllogismum, & nego minorem sequentem: Nam, cum peccasse Deiparam in Adamo, ipsam non infecerit, fœdauerit, aut maculauerit, ut dictum est, sicque non manserit subiecta miserijs peccati, non potest ob id esse propriè, & strictè subdita peccato: licet possit dici subdita peccato cum addito, scilicet radicalitèr remotè in debito remoto eius, quatenus commisit peccatum, exigens ex se subijcere eam suis miserijs, & fœditatibus, quodque eam ipsis subiecisset in Conceptione, nisi eam Deus à tali subiectione præseruatiuè liberasset.

§18 Obijcies quintò ex eodem Granado citato. Sapientissimus Idiota in contemplation. Virginis cap. 2. ait, *Sanctorum omnium privilegia esse in Maria*. Et Bernard. 10 epist. 175. *Quod, vel paucis mortalium, constat, fuisse collatum, fas certe non est, suspicari, tanta Virgini fuisse negatum*: sed sancti Angeli habuerunt priuilegium non peccandi in alio: ergo simile etiam priuilegium debuit esse in Deipara. Confirmatur. Deipara est regina Angelorum: incongruum autem foret, Reginam non esse immunem à peccato, commissio in alio, quando ab eo prædicantur immunes Angeli, subditi illi: ergo &c. Respondeo, doctrinam Idiotæ, & Bernardi non esse vniuersaliter accipiendam de omni priuilegio aliorum Sanctorum: nam defacto Angeli sancti sunt producti in cælo, impassibiles, & immortales, & tamen Deipara non est producta in cælo, nec fuit impassibilis, & immortalis. Solùm ergo accipienda est ea doctrina de priuilegijs aliorum Sanctorum in ordine ad gratiam sanctificationem, & immunitatem à peccato inficiente, & maculante: si enim Angeli sancti sunt producti in gratia, & sine peccato inficiente, Deipara est etiam producta in gratia excellentiori, quàm Angeli, & cum immunitate à peccato inficiente, & maculante, quia habere hæc, & similia priuilegia, est gloriosum Deiparæ. Alia autem priuilegia Angelorum Sanctorum, quorum possessio non esset gloriosa Deiparæ, non sunt ipsi communi.

municata, cuiusmodi est immunitas à peccato non inficiens, aut maculante, commissio in alio; cum enim hæc immunitas esset in gloria Christo, eiusque dignitatem vniuersalis Redemptoris deueniret, non posset esse gloriosa Deiparæ, vt ostensum est punct. 1. præcedent. probation. 7. nu. 797. Ad confirmationem dico, non esse incongruum, Reginam non esse immunem à peccato, commissio in alio, à quo immunes sunt Angeli, subditi ipsi, quando talis immunitas non esset gloriosa Reginæ Angelorum, eo quòd deueniret dignitatem vniuersalis Redemptoris Christi filij sui.

§ 19 Obijcies sextò aliquos Patres apud Salazar de Conception. cap. 20. asserentes, Deiparam fuisse à Deo decretam producendam ex meritis Christi absolutè passibilis, atque adeò post absolutè præuisum peccatum Adæ: ergo non potuit constitui in voluntate Adæ, nec cum ipso, physicè peccante, moralitèr peccare, vtpote nondum tunc futura. Respondeo, hos Patres solùm velle, Deiparam fuisse decretam producendam ex meritis Christi absolutè passibilis quoad corpus, & vniõnem determinatam; cum antea in primo signo fuisset iam decreta producenda determinatè quoad animam, & indeterminatè, & distinctiuè quoad corpus, & vniõnem cum cæteris posteris, vt ostendimus disp. 5. sequent. cap. 4. punct. 2. conclusion. 2. à nu. 1065. & hoc modo decreta, potuit constitui in voluntate Adæ, & in ipso peccare, iuxta dicenda disp. & cap. citatis punct. 6. in solutione 8. obiectionis nu. 1144. & 1145.

§ 20 Obijcies septimò. Videtur indecens, quòd mancipium diaboli, quale fuit Adam per peccatum, esset caput morale Reginæ Angelorum, & hominum, & quòd ab illo eius foelicitas, aut infœlicitas dependeret: ergo Adam non fuit caput morale Deiparæ, in cuius voluntate constituta fuerit, & peccauerit. Respondeo, Adamum fuisse constitutum caput morale Deiparæ ante peccatum, quando non erat mancipium diaboli, sed sanctus, & amicus Dei. Et quamuis in instanti, in quo peccauit Adam, factus iam mancipium diaboli, esset adhuc caput morale Deiparæ, hoc non fuit indecens ipsam, quando id necessarium erat, vt Deipara præseruatiuè redimi posset propriè, & strictè ex meritis Christi absolutè passibilis, præ-

sertim cum in tali instanti non esset caput morale absolutè Deiparæ in ordine ad transfusionem peccati in ipsam, sed conditionatè solùm, casu quo Christus non offerret sua merita pro præseruatione eius à transfusione peccati pro instanti generationis; conditio autem contingens, & nondum purificata, nihil ponit in esse, iuxta commune proloquium. Esset quidem indecens, Adamum esse caput morale Deiparæ, si, peccante Adamo, esset necessariò transfundendum peccatum in ipsam pro instanti Conceptionis, sicut in cæteros posteros, vel si post peccatum Adæ non esset locus eximendi eam à tali transfusione ex meritis Christi absolutè passibilis, nec speraretur, eam ab illa eximendam ex dictis meritis; quod non ita contigit defacto respectu Deiparæ.

§ 21 Obijcies octauò. Si Deipara in Adam peccasset, fuisset constituta saltem in maximo periculo incurrendi, & contrahendi peccatum originale, quamuis illud defacto non incurrit: sed hoc non potest non esse inglorium, & indecens Matrem Dei: ergo non peccauit in Adam. Maior patet. Peccatam, in Adamo commissum, exigebat ex se, quòd Deipara incurreret, & contraheret peccatum originale, illudque defacto incurrisset, & contraxisset in Conceptione, si Christus, vt potuit, eam misericorditèr ab illius incurso, & contractione non præseruasset, offerendo sua merita pro condonatione præseruatua eius: ergo, peccando in Adam, fuit constituta in maximo periculo incurrendi, & contrahendi peccatum originale.

§ 22 Dupliciter responderi potest obiectioni. Primò, negando maiorem: & ad probationem negando consequentiam: non enim erat maximum in Deipara periculum illud incurrendi, & contrahendi peccatum originale in Conceptione, sed periculum minimum, & satis remotum; solùm namque erat periculum incurrendi, & contrahendi tale peccatum, si Christus, facile potens, nollet misericorditèr offerre sua merita pro liberatione præseruatua illius: non erat autem credibile de pietate Christi, quòd nollet offerre sua merita pro liberatione præseruatua suæ dilectissimæ Matris à peccato originali, imò haberi poterat tanquam moralitèr certum, eum sine dubio oblaturum sua merita pro impetranda dicta liberatione præseruatua.

tiva, quam tam facile impetrare poterat.

823 Secundò, permilla maiore, negando minorem. Non enim est inglorium, & indecens, personam constitui in maximo periculo incurrendi peccatum ex causa laudabili, ut patet in sanctis Virginibus, quæ ob fidei confessionem ducebantur à Tyrannis ad Lupanar, ut ibi earum castitas violaretur, ubi constituebantur in maximo periculo peccandi; imo nec se ipsam constituere in tali periculo ex causa honesta, & laudabili, ut patet in Parochis, & viris Apostolicis, qui ob spiritualem animarum salutem laudabiliter se exponunt sæpè maximo periculo peccandi cum foeminis, cum quibus tractant, quarumque audiunt confessiones. Unde nec est inglorium, & indecens, Deiparam, peccando in Adam, fuisse constitutam in maximo periculo incurrendi, & contrahendi in Conceptione peccatum originale; id enim oportebat, ut ipsa propriè, & strictè redimi posset præservatiuè à Christo absolute passibili, sicque non deueniret dignitas vniuersalis Redemptoris in Christo.

824 Obijcies nonò. Negari non potest, esse aliquam imperfectionem, Deiparam peccasse in Adamo; excellentiùs enim fuisset, non peccasse, quam peccasse in illo: ergo remouendum est id à Deipara. Respondeo, à Deipara remouendam esse omnem imperfectionem peccati, eam moraliter foedantem, & maculantem, non verò omnem imperfectionem, præsertim quæ ipsam non foedat, & maculat moraliter, & aliundè necessaria est ad aliquam excellentiam ipsius, & Christi filij eius; sic Deipara fuit defacto passibilis, & mortalis, quòd quidem est aliqua imperfectio eius, cum illustrius fuisset ipsi, esse impassibilem, & immortalem, quia hæc imperfectio non foedat, aut maculat moraliter ipsam, & aliundè necessaria est, ut Deipara esset conformis filio suo, & corredemptrix cum illo generis humani. Similiter ergo, licet Deiparam peccasse in Adamo, sit aliqua imperfectio, quia tamen non est imperfectio, moraliter foedans, & maculans ipsam, sitque aliundè necessaria, ut Deipara sit propriè, & strictè redempta præservatiuè, & ut Christus habeat dignitatem vniuersalis Redemptoris, ideo talis imperfectio non est remouenda ab illa.

825 Obijcies decimò. Propter peccatum Adæ ut capitis caruit
Dei

Deipara aliquibus donis, & priuilegijs iustitiæ originalis, quæ habuisset in statu innocentie, si Adam non peccasset, præsertim impassibilitate, & immortalitate, iuxta illud Augustini in Psal. 34. *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ*: ergo peccatum Adæ, ut ab ipsa moraliter in eo commissum, reddidit ipsam dignam carentie impassibilitatis, & immortalitatis: sed hoc non potest non esse aliqua foeditas, & maculatio Deiparæ: ergo peccatum Adæ, ut ab ipsa moraliter in illo commissum, eam quodammodo foedauit, & maculauit: sed hoc non potest dici de Deipara: ergo nec quòd peccauerit in Adamo. Respondeo, falsam esse maiorem, si ly, *propter peccatum Adæ ut capitis*, intelligatur causaliter, & meritorie, significando, quòd peccatum Adæ ut capitis, ut à Deipara in illo moraliter commissum, fuerit causa meritoria carentie impassibilitatis, & immortalitatis, reddens Deiparam dignam talis carentie, & quòd hanc patiatur in pœnam illius; hoc enim esset aliqua foeditas, & maculatio, tantam Matrem indecens, ut conuincit obiectio: esse autem veram, si ly, *propter peccatum Adæ ut capitis*, intelligatur occasionaliter, significando, quòd peccatum Adæ ut capitis fuit occasio, ut Deus vellet, Deiparam esse passibilem, & mortalem; nam eo ipso quòd illud peccatum fuit occasio, ut Christus decerneretur passibilis, & mortalis ad redimendos homines sua passione, & morte, debuit etiam esse occasio decernendi Deiparam passibilem, & mortalem, non quidem in pœnam peccati, sed ut sic filio suo conformaretur, & cum eo esset saltem de congruo corredemptrix hominum per passiones, dolores, & mortem suam.

826 Obijcies vndecimò. Si in instanti, in quo physicè peccauit Adam, dicebantur posteri simul cum Deipara actu peccantes, & offendentes Deum in illo: ergo denominabantur etiam tunc maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina: hoc autem falsum esse, constat ex eo, quòd Patres, & Doctores constantè asserant, posteros in instanti solum Conceptionis incipere maculari peccato, & fieri Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina. Patet consequètia. Tum, quia denominatio maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina comitatur necessariò denominationem

peccantis, & offendentis Deum, estque ei annexa, ne dicam idemptificata cum illa: ergo si in instanti, in quo physicè peccavit Adam, denominabantur posteri simul cum Deipara actu peccantes, & offendentes Deum in illo, denominabatur etiam tunc maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina. Tum, quia si non existentia physica posterorum tunc non impediabat denominationem peccantis, & offendentis Deum: ergo nec denominationem maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina. Tum, quia denominatio, & effectus formalis formæ impediri non potest, quando forma afficit subiectum: sed peccatum Adæ vt capitis afficiebat tunc posteros, cum eos peccantes denominaret: ergo non poterat impediri tunc eius denominatio, & effectus formalis maculati, inimici Dei, & digni odio, & indignatione diuina.

§ 27 Huic obiectioni respondi iam disp. 3. cap. 3. punct. 3. in responsione ad instantiam contra solutionem obiectionis septimæ à nu. 535. vbi declaratum est fusè, cur in instanti, in quo peccavit Adam, dicebantur posteri peccantes, & offendentes Deum in illo, non verò maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina; & rationem huius differentię, ibi assignatam, proposui etiam punct. 1. præcedente, probation. 8. à nu. 799. Videantur dicta locis citatis, non enim videtur congruum, ea hic iterum repetere. Adde autem, quòd licet in instanti peccati Adæ nec posteri, nec Deipara dicerentur absolute infecti, foedati, maculati, Dei inimici, & digni odio, & indignatione diuina, tamen poterant tunc dici tales cum addito, scilicet radicaliter remotè in debito remoto peccati: hoc autem non erat, esse verè, & propriè infectos, foedatos, maculatos, Dei inimicos, & dignos odio, & indignatione diuina: sed erat solùm, concurrisse moraliter ad peccatum Adæ, quod exigebat ex se, reddere illos tales in instanti Conceptionis, quodque tales reddidit in dicto instanti omnes posteros, à Deipara distinctos, imò & quòd Deiparam talem similiter reddidisset, nisi Deus ei præseruatiuè condonasset peccatum pro eo instanti.

§ 28 Obijcies duodecimò. Peccatum Adæ vt capitis, vt moraliter commissum à Deipara, exigebat, quantum est ex se, transfu-

fusionem peccati in ipsam in Conceptione, & quasi ad illud transfundendum inclinabat: sed hoc est foeditas aliqua, dedecens Dei Matrem: ergo & ipsam moraliter commississe peccatum Adæ. Minor probatur. Patres communiter aiunt, extinctum fuisse in Deipara fomitem peccati, quem Paulus membrorum legem appellat, iudicantes, talem fomitem fore foeditatem aliquam, dedecentem Dei Matrem, quia inclinatur ad materiale peccatum, illudque exigit inducere: ergo ob eandem rationem erit foeditas aliqua, dedecens Dei Matrem, quòd sit ab ipsa moraliter commissum peccatum Adæ vt capitis, quòd quasi inclinatur ex se ad transfundendum peccatum in Conceptione, illudque exigit tunc inducere.

§ 29 Respondeo, negans minorem. Ad probationem, concessò antecedente, nego consequentiam. Nam fomes peccati inclinatur subiectum, vt pote existens, ad peccatum materiale, denominando illud inclinatum, & exigens ipsum elicere, & habere, ob quòd censetur communiter foeditas, dedecens tantam Dei Matrem: peccatum autem Adæ vt capitis, vt præcisè commissum à posteris, & à Deipara in illo, licet inclinatur ex se ad transfundendum peccatum in Conceptione, illudque inducere tunc exigit, tamè non denominaret posteros, & Deiparam, vt pote tunc non existentes, inclinatos ad contrahendum peccatum in Conceptione, nec exigentes habere illud, & ideo non est foeditas vlla tunc, dum non contrahitur in Conceptione; sicut enim peccatum Adæ vt capitis non tribuebat posteris non existentibus ante Conceptionem illas alias denominationes foedantes, supra memoratas, ita nec istas.

§ 30 Obijcies decimotertiò illud Ester 15. cum enim Rex Assuerus tulisset legem vniuersalem, capitalem poenam mortis statuentem in omnes, qui sine obtenta licentia regiam stationem ingrederentur, & Regina Ester sine licentia ingressa esset, tremens, ac timens executionem mortis corporalis in se ipsa, Rex Assuerus sic eam blandè allocutus est, *noli timere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hac lex constituta est.* Regiam Ester fuisse figuram Deiparæ, & legem Assueri, mortem comminantem omnibus, sine licentia ingredientibus, fuisse figuram legis Dei, comminantis mortem spiritualem peccati

omnibus posteris, in Adamo peccantibus, compertum est inter Patres, & Doctores: ergo sicut Regina Persarum Ester non fuit comprehensa in lege illa Assueri vniuersali ad omnes Persas, ita nec Regina posterorum Deipara fuit comprehensa in lege illa Dei vniuersali ad omnes posteros: ergo nec peccauit in Adamo, in quo solum potuerunt peccare, qui in lege illa Dei comprehensi erant.

831 Respondeo, in presenti posse considerari quasi tres leges Dei circa peccatum Adæ vt capitis, & posterorum in ipso, vel potius duas leges, & vnam ex eis bipartitam in duas. Prima lex fuit de constituendis posteris in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, præcisivè à transfusione peccati in ipsos. Secunda de transfusione peccati in posteros pro instanti Conceptionis. Et hæc fuit quasi bipartita in duas: vnam generalem de transfusione peccati in omnes posteros, à Deipara distinctos, sub conditione solum, si Adam peccaret: & aliam quasi particularem de transfusione peccati in Deiparam, non sub conditione præcisivè, si Adam peccaret, sed sub conditione etiam, si Christus absolute possibilis non offerret sua merita pro impetranda illi condonatione præservatiua peccati pro instanti Conceptionis. Hinc lex illa Assueri, cum non fuerit de constituendis Persis in voluntate alterius, non fuit figura primæ legis diuinæ: imo nec tertiæ legis, cum lex illa Assueri fuerit generalis ad omnes Persas, hæc verò tertia lex fuerit particularis in ordine ad Deiparam. Solum ergo fuit lex Assueri figura secundæ legis vniuersalis de transfusione mortis spiritualis peccati in posteros sub conditione solum peccati Adæ, in qua non fuit comprehensa Deipara, sicut nec Regina Ester in lege illa vniuersali Assueri, licet fuerit comprehensa in prima illa lege Dei vniuersali, ratione cuius fuit constituta in voluntate Adæ, & in eo peccauit.

832 Obijcies decimoquarto. Adam non fuit constitutus caput morale Deiparæ in ordine ad transfusionem gratiæ in ipsam: ergo nec in ordine ad transfusionem peccati; atque adeo Deipara non fuit constituta in voluntate Adæ. Antecedens probatur. Tum, quia non decebat, vt tanta, & tam sancta Dei Mater

Mater agnosceret pro capite morali, & origine suæ sanctitatis Adamum hominem purum, longe inferiorem sanctitatem habentem. Tum, quia Christus erat caput morale sufficiens Deiparæ in ordine ad communicandum ipsi gratiam sanctificantem: ergo sine iniuria Christi non potest constitui Adam in ordine ad id caput morale Deiparæ. Tum, quia Deipara totam suam gratiam, omniaque dona, & priuilegia debet vnicè dignitati Matris Dei: sed hæc dignitas Matris Dei non potuit pendere ex merito Adæ, sed solius Christi: ergo nec gratia, & dona, ipsi concessa intuitu talis dignitatis.

833 Respondeo, negans antecedens. Ad primam probationem dico, non esse indecens, quod tam sancta Dei Mater agnosceret pro capite morali, & origine alicuius sanctitatis suæ Adamum hominem purum, longe inferiorem sanctitatem habentem, casu quo Adam non peccasset; præsertim cum tunc non esset futura Mater Dei, nec euecta ad tam excellentem sanctitatem, qualis deberur maternitati Dei, iuxta dicenda disp. 5. sequente, cap. 4. punct. 6. in solutione 1. obiectionis nu. 1124. Ad secundam probationem assero, quod licet Christus ex se esset caput morale primarium sufficiens in ordine ad communicandam gratiam sanctificantem Deiparæ, potuit tamen, vellet, eam ipsi communicare partim, dependentè ab Adamo vt capite morali minùs præcipuo, casu quo iste non peccaret; sicut defacto communicauit ipsi gratiam aliquam dependentè à Sacramentis, quæ defacto suscepit Deipara, & dependentè à Ministris, ea ipsi ministrantibus. Ad tertiam probationem negari posset inprimis maior: Nam Deipara non debet totam suam gratiam dignitati Matris Dei, cum partem illius debeat etiam Sacramentis susceptis, & bonis operibus, à se elicitis. Deinde concedi potest totus syllogismus, loquendo defacto, licet enim defacto post peccatum Adæ debeat Deipara dignitati solum Matris Dei totam suam gratiam, independentè ab Adamo, tamen casu quo Adam non peccasset, in quo non esset Mater Dei, vt dictum est, non haberet à dignitate Matris Dei totam suam gratiam, sed eam haberet quasi hæreditatam ab Adamo, sicut cæteri posteri, dependentè tamen à meritis Christi.

Christi tunc impassibilis, iuxta dicenda disp. 5. sequente.

- 834 Instabis. Deipara fuit Mater moralis Adæ, & cæterorum hominum, quatenus cooperata est cum Christo ad eorum omnium redemptionem reparatiuam saltem de congruo: ergo non potest esse filia moralis Adæ, constituta in ipso tanquam in capite, & Patre morali eiusdem in ordine ad communicandam ipsi gratiam originalem casu, quo non peccaret; implicat enim, esse filiam, & matrem moralem respectu eiusdem personæ Adæ. Respondeo, negans consequentiam: non enim implicat, Deiparam esse simul filiam, & matrem moralem eiusdem personæ Adæ in ordine ad diuersam gratiam, filiam quidem moralem in ordine ad gratiam originalem hæreditandam ab ipso Adamo, si non peccasset, & matrem moralem eiusdem in ordine ad gratiam redemptricem à peccato, quam ipsi, & cæteris hominibus meruit de congruo.

DISPUTATIO V.

An, & quomodo Deipara potuerit præseruari à peccato originali, eiusque debito ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris in hoc diuinorum decretorum ordine.

- 836 **H**æc est primaria, & præcipua huius nostræ dissertationis Theologicæ difficultas, ad cuius decisionem quatuor præcedentes disputationes præmittere oportuit. Eius autem intelligentia pendet maximè ex discussione illius grauissimæ Theologorum controuersæ,

Quomodo

Quando, quomodo, & ex quo motiuo prædefinitus fuerit Christus,

- & ideo prius in præsentì pertractanda, & discutienda est ex professo hæc controuersia, vt superior difficultas exactè, & pro dignitate declarari possit. Præcipuum autem controuersix dubium est, an defacto fuerit decretus, & prædefinitus Christus, independentèr à peccato primi hominis, ita vt ex vi talis decreti veniret Christus, quamuis ille non peccasset, an verò fuerit decretus, & prædefinitus Christus dependentèr à tali peccato, ita vt ex vi illius decreti non veniret, si primus homo non peccasset.
- 837 In hac controuersia varix sunt Doctorum opiniones, quæ ad quatuor reduci possunt. Prima opinio ait, Deum defacto decreuisse Christum independentèr omnino à peccato primi hominis, atque adeò venturum Christum ex vi talis decreti, quamuis ille non peccasset. Ita Scotus in 3. d. 7. q. 3. §. *sed hic sunt duo dub.* & d. 19. q. vnic. §. *in ista quest.* & in report. d. 7. q. 4. §. *tertio declarandum.* Alensis 3. p. q. 2. memb. 13. Albert. d. 20. art. 4. Mayron d. 19. q. 4. Gabriel d. 32. q. vnic. art. 1. notab. 3. Albertus Pygus lib. 8. de libero arbitrio cap. 3. Catherin lib. 1. de eximia prædestinatione Christi, Iacobus de Valentia in psal. 81. & 102. Rada in 3. controu. 5. art. 3. Faber. & Pytigan. super dist. 7. q. 3. & alij, quos referunt, & sequuntur Franciscus del Castillo Velasco de Incarnat. disp. 4. & Christophorus Delgadillo de Incarnat. cap. 6. difficult. 2. à dub. 2. Adhærerere videntur Vigerius de institution. Theologic. cap. 20. §. 1. Salmeron to. 15. disp. 3. assert. 5. Petrus Hurtado de Incarnat. disp. 13. sect. 13. Martinus Peres de Incarnat. disp. 14. & 15. eandem opinionem iudicant probabilem S. Thomas in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. S. Bonaventura in 3. dist. 1. art. 2. q. 2. & plures Recentiores.
- 838 Nec conueniunt inter se Doctores huius opinionis in eius declaratione. Nam maior pars eorum existimat, decretum illud Christi, independentèr omnino à peccato, voluisse illum ex motiuo solùm excellentiæ mysterij Incarnationis, & nullo modò ex motiuo redemptionis peccati. Alij verò contendunt, voluisse

voluisse illum absolutè ob excellentiam mysterij Incarnationis, & conditionatè ob redemptionem peccati, si committeretur. Item aliqui, præter decretum illud, ponunt aliud decretum Christi passibilis absolutè quoad substantiam, & circumstantiam passibilitatis, post præuisum peccatum absolutè futurum. Alij verò solum ponunt decretum circumstantiæ passibilitatis Christi, post absolutam peccati præuisionem.

839 Secunda opinio docet, Deum, solum post permissum, & præuisum peccatum absolutè futurum, decreuisse Christum, eumque passibilem, dependentè à tali peccato, & in remedium eius, atque adeò non venturum Christum ex vi talis decreti, si non esset peccatum. Ita Caietanus in 3. p. q. 1. art. 3. Medina ibidem, Ferrara 4. contra Gentes cap. 55. Capreolus, & Deza in 3. dist. 1. q. vnic. art. 1. conclus. 1. Abulensis in cap. 4. Matthæi q. 44. Arboreus lib. 3. Theosophiæ cap. 8. Vincentius relect. de gratia Christi q. 6. conclus. 4. Azor to. 1. lib. 3. instit. cap. 33. Maldonatus in cap. 9. Matthæi, Vasques in 3. p. disp. 10. à cap. 4. Gaspar Hurtado disp. 1. diffic. 25. & 26. & alij apud Franciscum del Castillo Velasco citatum q. 1. nu. 3. Tenent etiam Tannerus de Incarnat. disp. 1. sect. 3. Ioannes de Lugo de Incarnat. disp. 7. sect. 1. Bernal de Incarnat. disp. 16. sect. 1. & 2. Salazar de Concept. cap. 24. præsertim, Peñalosa disp. 1. cap. 5. Vuadingus de Incarnat. disp. 3. dub. 2. Arriaga de Incarnat. disp. 14. à sect. 2. Aldrete de Incarnat. disp. 17. & alij.

840 Est tamen dissidium inter Doctores huius opinionis. Nam aliqui dicunt, ex vi huius decreti prædefinitum fuisse Christum passibilem in remedium peccati Adæ, vt imminentis, & propagandi in posteros eius, non verò vt contracti iam in illis; vel, vt alij loquuntur, in remedium peccati, vt commissi à posteris in Adamo, non verò vt propagati iam in illis. Alij sentiunt, prædefinitum fuisse Christum passibilem in remedium peccati originalis vt commissi in capite, & vt propagati, & contracti iam in posteris, non verò in remedium peccatorum actualium, antecedentè præuisorum absolutè. Alij verò in remedium etiam peccatorum actualium, antecedentè præuisorum absolutè.

841 Tertia opinio asserit, permissionem peccati non fuisse priorem decreto Christi passibilis, sed Deum primo suo decreto efficaci absoluto efficacitè voluisse Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, vt causam finalem rerum omnium creatarum, caput Angelorum, & hominum, causam meritoriam omnium donorum gratiæ, & causam exemplarem prædestinatorum, ita vt vnicum indiuisibile decretum diuinum Christi terminetur ad totum hunc ordinem rerum, volens quidem directè Christum modo dicto, & reliqua omnia indirectè iuxta eorum naturam, scilicèt peccatum permissiuè, alia verò obiecta bona positiuè. Vnde hoc decretum fuit simul volitio efficax producendi omnes creaturas vniuersi, prædestinatio hominum, & Angelorum, & permissio omnis peccati tam actualis, quàm originalis; & ideo ex vi huius decreti non veniret Christus, si peccatum nõ esset. Tribuitur hæc opinio Molinæ 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 7. & 8. Albertino to. 1. corolar. 1. ex principio 6. philosophico q. 1. cap. 25. Granada de Incarnat. tract. 3. disp. 1. sect. 4. & de Concept. Virgin. disp. 3. cap. 25. Luzero disc. 1. *Quod Virgo non peccauit in Adamo*, cap. 5. Iacobo Pinto de Christo crucifixo lib. 2. tit. 1. loco 1. à nu. 14. Lorcæ disp. 10. & alijs: Eandem opinionem probabilem iudicat Arriaga de Incarnat. disp. 15. sect. 4. nu. 33.

842 Doctores huius opinionis communiter eam tuerentur ex directione scientiæ conditionatæ, asserentes, quòd, quia Deus per scientiam conditionatam vidit, quòd, si Adam crearetur in his circumstantijs, peccaret, voluit in primo signo habere præfatum decretum modo dicto. Aliqui Recentiores constituent præfatum primum decretum diuinum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris, directum etiam à scientia visionis peccati absolutè futuri. Quod dupliciter declarant. Primò iuxta sententiam, negantem virtualem diuinorum decretorum futuritionem, iuxta quam existimant nihilominus, scientiam visionis esse priorem à quo suo obiecto absolute futuro, atque adeò directiuam decreti de illo: vnde consequenter asserunt, præfatum primum decretum diuinum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, volens saltem indirectè totum

tum hunc ordinem rerum, haberi à Deo ex directione scientiæ visionis futuritionis absolutæ totius huius ordinis rerum, atque ad eò & peccati. Secundò, admittendo virtualem diuinorum decretorum futuritionem, ad quod statuunt in Deo triplex signum, in quorum primo cognoscit Deus suas perfectiones necessarias, & omnia alia obiecta necessaria extra Deum: in secundo cognoscit Deus sua decreta libera vt virtualitèr futura, & consequentèr etiam eorum obiecta vt futura: & in tertio cognoscit sua decreta vt existentia. Ex quo deducunt, Deum in secundo signo per scientiam visionis cognoscere præfatum Christi decretum vt futurum, & similitèr omnia eius obiecta, atque ad eò in tali signo cognoscere iam peccatum absolutè futurum, & ex hac præscientia visionis peccati absolutè futuri dirigi Deum in tertio signo ad actu habendum tale decretum primum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè in remedium talis peccati, præuisi absolutè futuri.

§43 Quarta opinio potest esse Soarij de Incarnat. disp. 5. sect. 2. 3. & 5. qui licet ponat in primo signo prædefinitum Christum ex motu, independente à peccato absolute futuro, asserit tamen, talem Christi prædefinitionem ex modo volendi Christum fuisse defacto dependentem à peccato, tanquam à requisito ad exequendam productionem Christi, & sic defacto non venturum Christum ex vi talis decreti, si non poneretur à parte rei peccatum: Nam talis prædefinitio voluit defacto exequi productionem Christi optimo, & meliori modo possibili in hoc ordine rerum ad manifestandam Dei bonitatem, sapientiam, iustitiam, & misericordiam; optimus autem, & melior modus exequendi productionem Christi in hoc ordine rerum, in quo per scientiam conditionatam præuisus fuerat homo peccaturus, si in eo poneretur, est mediante permissione peccati, quam cognouerat necessariam ad ostendendam, & manifestandam misericordiam, in liberando homine à miseria peccati.

§44 Ex his opinionibus primam existimo veriore, eamque sequentibus capitibus declarandam, & propugnandam suscipio.

CA.

845

CAPVT I.

Christus per primum Dei decretum efficax absolutum non est prædefinitus absolute passibilis, & Redemptor liberatiue ex directione scientiæ conditionatæ peccati futuri.

§46 Impugnanda est in præsentis capite tertia opinio supra posita nu. 841. & 842. asserens, permissionem peccati non fuisse priorem decreto Christi, & nihilominus Christum per primum Dei decretum efficax absolutum fuisse prædefinitum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè modo supradicto loco citato ex directione scientiæ conditionatæ peccati futuri, ex cuius directione constituunt communiter hoc decretum Doctores dictæ opinionis.

847

PUNCTVM I.

Probatio nostra sententiæ.

§48 Probatur primò. Deus reliquit in potestate libera Christi, eligere, vel non eligere vitam passibilem, & mortalem, atque ad eò & redimere, vel non redimere genus humanum per passionem, & mortem Crucis: ergo decretum efficax absolutum Christi non voluit ipsum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè. Patet hæc consequentia. Nam aliàs non esset in potestate libera Christi, non eligere vitam passibilem, & mortalem, & non redimere genus humanum per passionem, & mortem; cum Christus non possit agere contra decretum Dei efficax absolutum, id enim esset peccatum, quod Christo repugnat.

Ccc 2

849 An 2

849 Antecedens illud, cuius probatio ex professo est alterius loci, nunc breuiter ostendimus. Tum ex Isaia 53. vbi dicitur de Christo, *oblatus est, quia ipse voluit*, scilicet liberè potens, se non offerre. Tum ex Ioannis 10. *ego pono animam meam*, (id est vitam meam,) *ut iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam a me ipso*, scilicet ex mea libera electione, & voluntate,) *& potestatem habeo ponendi eam*, scilicet liberam cum potestate, & facultate non ponendi eam. Tum ex Matthæi 26. vbi Petro, contendenti deffendere Christum à Ministris, missis ad eum comprehendendum, sic loquitur Christus, *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* ut scilicet liberem me de manibus istorum, & de morte Crucis? Tum ex Paulo ad Hebræos 12. sic loquente de Christo, *Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta*, id est, vice gaudij, sibi propositi, elegit Crucem, non attendendo ad ignominiam eius, nec curando de illa, & ideo Græci etiam codices legunt, *Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem*, & ita legendum esse, ait Ribera: cùm enim Christo ex vna parte proponeretur status vitæ impassibilis, immortalis, gloriosæ, & omni gaudio plenæ, qualis debita erat filio Dei, & ex alia parte status vitæ passibilis, mortalis, & contemptibilis, tot laboribus, & ignominijs vsq; ad Crucis mortem subiectæ, cum facultate eligendi, quam ex eis maluerit, liberè elegit istam præ illa, ut homines à peccato redimeret, ut declarant Chrysostomus, Theodoretus, Theophil. & Oecumenius apud Cornelium à Lapid. super hunc locum, propterea ait Chrysostomus hom. 28: in epist. ad Hebræos, *licebat illi, nihil pati, si voluisset*. Et Ambrosius, *vnus morte mundus redemptus est, potuit enim Christus non mori, si voluisset*. Et lib. 10. in Lucam de tristitia, & dolore Christi, *sequestrata deiectione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur*. Tum ex illo ad Philipens. 2. *Semetipsum exhibuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus* &c. vbi dicitur, Christum se exhibuuisse, quia, potens eligere statum vitæ immortalis, & gloriosissimæ, sibi debitum titulo vnionis hypostaticæ, maluit pro libito statum vitæ mortalis, tot laboribus, supplitijs, & ignominijs plenum,

quo

quo videretur seruus, cæterisque hominibus similis fieret, sicque se euacuauit perfectione, & foelicitate, sibi debita, ut ingeniosè, & eruditè declarat Velasques super hunc locum.

850 Probatur secundò. Existentia primorum parentum, ipsorumque gratia, ante peccatum habita, est omnino independens à peccato absolutè futuro ex vi præsentis decreti: ergo & est independens à Christo absolutè passibili, & Redemptore liberatiuè, qui vt sic dependet à peccato absolutè futuro, saltem concomitanter permissio per dictum decretum Christi, vt ait contraria sententia: ergo in primo signo non fuit Christus efficaciter prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè vt causa finalis rerum omnium, & meritoria omnium donorum gratiæ. Antecedens probatur. Deus ex vi præsentis decreti creauit primos Parentes, eisque contulit gratiam cum hoc pacto, & conditione, quòd si Adam peccaret, amitteret gratiam sibi, & posteris, si verò non peccaret, eis non amitteret gratiam, sed hanc in eos transfunderet: ergo ex vi præsentis decreti existerent primi Parentes cum gratia transfundenda in posteros, si Adam non peccaret: ergo existentia primorum Parentum, ipsorumque gratia, ante peccatum habita, est omnino independens à peccato absolutè futuro ex vi præsentis decreti. Idem argumentum fieri posset de gratia, data Angelis in statu vitæ, quæ independens etiam fuit à peccato Adæ.

851 Probatur tertio. Si Deus per primum decretum dictum vellet efficaciter absolutè producere Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, vellet etiam efficaciter ponere peccatum à parte rei: sed hoc non potest Deus efficaciter velle: ergo nec illud. Minor est certa. Maior probatur. Volens efficaciter existentiam finis, eo ipso vult efficaciter, ponere à parte rei medium, essentialiter requisitum ad illam, si tale medium non supponatur iam existens: sed positio peccati à parte rei est medium essentialiter requisitum, vt Christus sit actu absolutè Redemptor liberatiuè illius, & aliunde iuxta aduersarios non supponitur existens ante primum decretum dictum diuinum Christi absolutè Redemptoris liberatiuè: ergo Deus volens absolutè efficaciter per primum decretum dictum pro-

duce-

ducere Christum absolutè Redemptorem liberatiuè, vellet etiam efficacitèr ponere peccatum à parte rei. Minor est certa. Si enim non esset à parte rei peccatum, quod redimi posset, quomodo posset Christus esse actu absolutè Redemptor eius liberatiuè? Maior probatur. Tum, quia volens efficacitèr absolutè existentiam finis vt sic, vult ipsum vt consequendum, & ponendum à parte rei per medium, essentialitèr requisitum ad illius existentiam, aliàs non vellet existentiam finis vt sic: ergo debet velle efficacitèr medium, sine quo non potest consequi, & poni ille à parte rei. Tum, quia volens efficacitèr existentiam finis vt sic, non vult inducere à parte rei illum per se solùm, sed dependentèr à medio, essentialitèr requisito ad illius existentiam: ergo debet efficacitèr velle tale medium.

852 Dices primò. Deum, volentem efficacitèr absolutè Christi redemptionem liberatiuam à peccato, solùm debere velle positionem peccati à parte rei eo modo, quo illud potest poni à Deo à parte rei, scilicèt permissiuè, atque adeò solùm debere velle efficacitèr permissionem peccati, non verò positionem eius à parte rei. Contra primò. Christi redemptio liberatiua à peccato per se, & directè solùm dicit connexionem cum peccato ipso redimendo, non verò cum permissione eius, quæ redimenda non est, licèt indirectè ratione peccati haberet etiam connexionem cum permissione, tanquam necessaria ad positionem peccati: ergo Deus, volens efficacitèr absolutè Christi redemptionem liberatiuam à peccato, velle debet efficacitèr ipsam peccati positionem, & non tantùm permissionem eius.

853 Contra secundò. Qui ex intentione efficaci absoluta alicuius finis vt sic vult efficacitèr medium vtile ad illum, debet ipsum velle eo modo, quo est vtile ad finem: ergo si Deus ex intentione efficaci absoluta redemptionis Christi liberatiuæ, vult efficacitèr permissionem peccati, vult ipsam efficacitèr eo modo, quo est vtilis ad redemptionem Christi liberatiuam: sed permissio peccati non est vtilis ad Redemptionem Christi liberatiuam, nisi vt inducens peccatum à parte rei, & vt coniuncta cum ipso: ergo Deus ex intentione efficaci absoluta redemptionis Christi liberatiuæ, volens efficacitèr permissionem

nem peccati, vult eam efficacitèr, vt inducentem peccatum à parte rei, & vt coniunctam cum ipso: ergo & vult ipsum peccatum, & inductionem eius à parte rei. Minor constat. Nam si permissio peccati non induceret peccatum à parte rei, nec coniungeretur cum ipso, non esset vtilis ad redemptionem Christi liberatiuam.

854 Contra tertio. Deus, volens efficacitèr absolutè redemptionem liberatiuam à peccato, debet efficacitèr velle saltem id, quo posito, necessariò ponatur ex natura rei, quod essentialitèr requiritur ad talem redemptionem: sed, posita permissione peccati, secundùm quod ista dicit distinctum à peccato, non ponitur necessariò ex natura rei peccatum, quod essentialitèr requiritur ad talem redemptionem liberatiuam: ergo Deus, volens efficacitèr absolutè redemptionem liberatiuam à peccato, non debet velle solùm permissionem peccati, sed peccatum etiam. Minor probatur. Permissio peccati, secundùm quod dicit distinctum à peccato, non est ex natura rei necessariò connexa, & inductiua peccati, sed merè contingentèr, vt ex communi Doctorum sensu supponimus ex materia de Providentia, nam aliàs permissio dicta tolleret libertatem non peccandi: ergo, posita dicta permissione peccati, secundùm quod dicit distinctum à peccato, non ponitur necessariò ex natura rei peccatum.

855 Nec refert primò, quòd permissio dicta peccati inducat infallibilitèr peccatum. Nam hæc infallibilitas non est physica, sed ad summum moralis, & secundùm quid, quæ non excludit contingentiam physicam, imo potest ex se physicè frustrari effectu, scilicèt peccato: ergo vt Deus velit efficacitèr absolutè redemptionem liberatiuam à peccato, cum isto essentialitèr connexionem, non sufficit velle dictam permissionem cum ea infallibilitate, sed debet ultra velle ipsum peccatum. Nec refert secundò, Deum, efficacitèr absolutè volentem redemptionem liberatiuam à peccato, velle iam ipsum peccatum, non quidem prosecutiue, sed eo solùm modo, quo requiritur velle illud, vt existat à parte rei, scilicèt permissiuè. Nam volens prosecutiue effectum, vel finem, debet etiam prosecutiue velle necessaria ad illum; cum enim volens ex affectu prosecutiue

eius effectum, vel finem, necessitetur ad volendum necessaria ad illam, debet eodem modo velle necessaria ad illum, scilicet prosecutiue: ergo cum existentia peccati sit simpliciter necessaria ad redemptionem liberatiuam ab ipso, Deus volens prosecutiue talem redemptionem liberatiuam, deberet etiam prosecutiue velle existentiam peccati, nondum antea futuri.

§56 Dices secundò, Deum efficaciter absolute volentem redemptionem liberatiuam à peccato, etiamsi connexam cum ipso, non ideo debere velle peccatum, eo quòd sit extra spheram volitionis diuinæ liberæ prosecutiue. Contra. Ex hoc quòd peccatum sit extra spheram volitionis diuinæ prosecutiue, deberet potiùs inferri, non posse Deum velle efficaciter absolute redemptionem liberatiuam, connexam cum positione peccati, quando hoc non supponitur, iam existens, quia, volita sic tali redemptione, deberet velle etiam inducere peccatum, quòd repugnat: Sicut ob hanc rationem dicunt aduersarij, non posse Deum efficaciter velle prædeterminationem ad peccatum, connexam cum positione eius, quia scilicet, volita ea prædeterminatione, deberet etiam velle peccatum, quòd est extra spheram volitionis diuinæ prosecutiue. Quòd si hæc solutio haberet fundamentum, quivis dicere posset, posse Deum velle prædeterminare ad peccatum, hocque præcipere, & suadere, & tamen non velle prosecutiue peccatum, quia hoc est extra spheram volitionis diuinæ prosecutiue.

§57 Et ratio est. Nam amabilitas termini in medio, inductiuo eius, est intra eandem spheram, intra quam est amabilitas mediij, inductiuo eius, & è conuerso, nec potest amabilitas mediij inductiuo esse intra spheram, intra quam non sit amabilitas termini in medio, inductiuo eius, vt patet in exemplis positis prædeterminationis, præcepti, & suasionis peccati; amabilitas enim termini in medio, inductiuo eius, non potest excedere amabilitatem mediij inductiuo, sicut nec cognoscibilitas termini in medio excedit cognoscibilitatem mediij: ergo si medium, inductiuum termini, sit amabile à Deo, terminus etiam erit à Deo amabilis in illo, vel si hic non est à Deo amabilis in medio, nec medium erit amabile à Deo: ergo si redemptio liberatiua, non existente antecedentè peccato, sit amabilis à

Deo

Deo, esset etiam peccatum à Deo amabile in illa, vel si peccatum non esset amabile in illa, nec illa erit à Deo amabilis.

§58 Probatnr quartò. Quamuis Deus ex intentione efficaciter absolute Christi absolute Redemptoris liberatiue, non deberet velle peccatum, tamen negari non potest, talem intentionem exigere ex se, quòd peccatum ponatur ab homine à parte rei: sed Deo repugnat actus voluntatis, exigens ex se positionem peccati à parte rei, cum repugnet ipsi actus voluntatis, qui non sit summè rectus, & sanctus, qualis non esset actus voluntatis, exigens ex se positionem peccati: ergo & repugnat ipsi intentio efficax absolute Christi absolute Redemptoris liberatiue, non existente antecedentè peccato. Maior patet. Tū, quia intentio efficax absolute exigit ex se, quòd ponatur à parte rei, quidquid essentialiter requiritur ad existentiam sui obiecti, efficaciter absolute voliti, & intenti: sed ad redemptionem liberatiuam, efficaciter absolute volitam per dictam intentionem, requiritur essentialiter, quòd peccatum ponatur ab homine à parte rei, si non supponatur antecedentè existens, vt contingit in nostro casu: ergo dicta intentio efficax absolute Christi absolute Redemptoris liberatiue, exigeret ex se, quòd peccatum ab homine ponatur à parte rei.

§56 Tum, quia intentio efficax absolute Christi absolute Redemptoris liberatiue dicit essentialem connexionem cum positione peccati, nondum antea existentis: ergo exigit ex se illam, omnis enim connexio exigentia est. Antecedens probatur. Primò, quia intentio efficax absolute Christi absolute Redemptoris liberatiue dicit essentialem connexionem cum redemptione liberatiua, efficaciter absolute volita: sed redemptio liberatiua, efficaciter absolute volita, dicit essentialem connexionem cum positione peccati, per eam redimendi, nondum antea existentis, vt patet: ergo cum eadem positione peccati dicit essentialem connexionem intentio efficax absolute Christi absolute Redemptoris liberatiue. Secundò, quia scientia conditionata peccati futuri sub conditione, quòd à Deo permittatur, posita permissione, & vt coniuncta cum ipsa, est connexa cum positione peccati, & impossibilis cum carentia eius: sed intentio efficax absolute Christi absolute Re-

Ddd

dem

demptoris liberatiuè, est connexa cum dicta scientia conditionata, à qua pender tanquam à principio directiuo iuxta aduersarios, & cum permissione ipsa peccati, quam efficaciter vult, aut inducit in sententia aduersariorum: ergo & est connexa cum positione peccati. Maior patet. Si scientia conditionata peccati futuri, si à Deo permittatur, posita permissione, & vt coniuncta cum ipsa, non esset connexa cum positione peccati, & impossibilis cum carentia eius, posset componi cum carentia existentiae peccati: ergo talis scientia conditionata, asserens, fore peccatum, si permittatur, posset esse falsa, quod est absurdum; falsò enim assereret, exiturum peccatum, si permittatur, si, stante permissione, non existeret illud.

360 Ex hac doctrina formari potest aliud argumentum efficax pro nostra sententia, quo ea Probatur quinto. Intentio efficax absoluta Christi absolutè Redemptoris liberatiuè à peccato, antea non existente, tolleretur hominibus libertatem peccandi, & non peccandi: ergo non est in Deo constituenda. Antecedens probatur. Dicta intentio efficax absoluta Christi absolutè Redemptoris liberatiuè, vt ostensum est, est metaphysicè, aut saltem physicè connexa cum existentia, & positione peccati, & impossibilis cum carentia, & non esse eius: ergo non esset indifferens ad esse, & non esse peccati, sed determinata, & necessitans saltem physicè ad existentiam, & positionem eius: ergo homines ex vi dictæ intentionis manerent determinati, & necessitati saltem physicè ad peccatum: sed hæc necessitas physica ad peccatum, non esset necessitas consequens, sed antecedens, quæ sine dubio tollit libertatem, vt est solemne inter Doctores Antithomistas in materia de auxilijs: ergo homines ex vi dictæ intentionis manerent sine libertate peccandi, & non peccandi. Minor probatur. Necessitas, proueniens à principio actus, non est necessitas consequens, sed antecedens, utpote proueniens ab aliquo antecedente actum saltem prioritate à quo: sed necessitas illa physica hominum ad peccatum, proueniens à dicta intentione, proueniret à principio ipsius peccati: ergo non esset necessitas consequens, sed antecedens. Minor probatur. Dicta intentio efficax absoluta Christi absolutè Redemptoris liberatiuè, est iuxta aduersarios volun-

voluntas, permissiua peccati: voluntas autem, permissiua peccati, est principium eius aliquo modo: ergo & dicta intentio: ergo necessitas illa physica hominum ad peccatum, proueniens à dicta intentione, proueniret à principio ipsius peccati.

361 Nec refert, dictam intentionem efficacem absolutam Christi absolutè Redemptoris liberatiuè, esse solùm principium permissiuum peccati ex suppositione scientiæ conditionatæ peccati futuri sub conditione, quòd à Deo permittatur, dirigentis illam, & sic non inducere necessitatem antecedentem ad peccatum, libertatis destructiuam. Nam, vt fusè ostendimus in materia de Prouidentia Dei disp. 2. cap. 3. præsertim à punct. 4. Voluntas diuina, quæ principium est nostrorum actuum, & connexa physicè saltem cum positione eorum, inducit necessitatem antecedentem, destructiuam libertatis, etiam si habeatur à Deo ex directione scientiæ conditionatæ futuritionis talium actuum. Videantur ibi dicta, non enim licet, ea hic transcribere.

362 Probatur sexto. Qui efficaciter absolutè intendit finem, non potest prudenter prohibere positionem medijs, nondum existentis, essentialiter requisiti ad existentiam finis; esset enim sibi contrarius, dum ex vna parte procuraret existentiam finis, ipsum efficaciter absolutè intendendo, & ex alia procuraret non existentiam eius, prohibendo medium, essentialiter requisitum ad illius existentiam: sed Deus in omni euentu serio, & prudenter prohibet positionem peccati, essentialiter requisiti ad Christi redemptionem liberatiuam: ergo non potest efficaciter absolutè intendere Christi redemptionem liberatiuam peccati, nondum antea existentis. Confirmatur. Qui serio prohibet, & procurat, ne ponatur medium, essentialiter requisitum ad existentiam finis, efficaciter absolutè intenti, serio procurat frustrationem talis intentionis: ergo si Deus, nondum antea existente peccato, efficaciter absolutè intendit redemptionem liberatiuam, ad cuius existentiam essentialiter requiritur positio peccati, & postmodum serio prohibet, & procurat, ne ponatur peccatum, serio procurat frustrationem suæ intentionis efficacis absolutæ redemptionis liberatiuæ; quod maximam diceret imperfectionem, & indecentiam.

863 Probatur septimò. Si primum illud decretum efficax absolutum vellet Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, vt causam finalem rerum omnium, caput hominum, & Angelorum, causam meritoriam omnium donorum gratiæ, & gloriæ, & causam exemplarem prædestinatorum, tale decretum esset prædestinatio hominum, & Angelorum, vt aiunt aduersarij: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Si primum illud decretum Christi esset prædestinatio hominum, & Angelorum, Christus non esset causa meritoria prædestinationis hominum, & omnium effectuum eius: sed hoc est absurdum, vtpote contra excellentiam, & dignitatem Christi, & plenissimæ redemptionis eius: ergo & absurdum est, tale decretum Christi esse prædestinationem hominum, & Angelorum. Maioris prima pars probatur. Christus non potest mereri decretum sui ipsius: ergo si hoc esset indiuisibilitè prædestinatio hominum, non posset mereri prædestinationem hominum. Antecedens probatur. Christus non potest mereri principium sui ipsius, suorumque meritorum, cum principium meriti non possit cadere sub merito, vt est constans inter Doctores: sed decretum Christi est principium ipsius Christi, atque adeò & meritorum eius: ergo Christus non potest mereri decretum sui ipsius. Secunda pars probatur. Si primum illud decretum Christi esset prædestinatio hominum, & Angelorum indiuisibilitè, cum Christus sit effectus talis decreti, esset etiam effectus prædestinationis hominum: ergo cum Christus non possit esse causa meritoria sui ipsius, non erit causa meritoria omnium effectuum prædestinationis hominum.

864 Vbi obiter notandum est, quàm falsò asserant aduersarij, Deum vnico decreto indiuisibili voluisse efficacitè absolutè Christum, & omnia, in hoc rerum ordine contenta. Nam Primò, decretum Christi fuit distinctum à decreto redimendi genus humanum à peccato per passionem, & mortem Crucis, & prius ille, vt constat ex probat. 1. nu. 848. & 849. Secundò, decretum existentia primorum parentum, & gratiæ, illis datæ ante peccatū, fuit distinctum à decreto permittendi peccatum, & à decreto passibilitatis, & redèptionis liberatiuæ Christi, & prius ipsi, vt patet ex probat. 2. nu. 850. Tertiò, decretum per-

permittendi peccatum fuit distinctum à decreto redemptionis reparatiuæ peccati, & prius ipso, vt deducitur ex probation. 3. à nu. 851. Quartò, decretum Christi, & meritorum eius fuit distinctum à prædestinatione hominum, & prius ipso, vt colligitur ex probat. 7. nu. 863. Quintò, decretum dandi prædestinatis auxilia efficacia ad merèdam gloriam, fuit distinctum à decreto efficaci absoluto dandi gloriam ipsis vt præmium meritorum, & prius ipso: decretum etiam permittendi peccata reprobatorum, fuit distinctum à decreto puniendi illos poena æterna, vt ostendimus fusè in materia de Prædestinatione.

865 Hinc impugnata manet quarta opinio Soarij superius relata nu. 843. Ea enim in re coincidit cum præcedente opinione, iam reprobata, licèt in modo loquendi diuersa videatur. Etenim Suares asserit, primum Dei decretum efficacitè absolutè voluisse, ponere Christum à parte rei optimo, & meliori modo possibili ad manifestanda quatuor illa Dei attributa, scilicèt bonitatem, sapientiam, iustitiam, & misericordiam; & aliundè fatetur Suares, optimum, & meliorem modum ad manifestanda dicta attributa, & præsertim misericordiam, fuisse per redemptionem liberatiuam generis humani à peccato: ergo iuxta mentem Suares decretum illud diuinum voluit efficacitè absolutè Christum vt absolutè Redemptorem liberatiuè coincidit igitur hæc Soarij opinio cum præcedente, estque proinde eisdem rationibus refellenda. Adde, eam etiam impugnari posse. Tum, quia falsò ait Suares, Deum primo suo decreto debuisse velle Christum optimo, & meliori modo possibili ad manifestanda sua illa attributa; cum nec physicè, nec moralitè sit necessitatus Deus ad volendum optimum, imò nec defacto velit semper optimum, vt fusè ostendimus disp. 2. de Incarnat. Tum, quia falsò etiam dicit Suares, optimum, & meliorem modum manifestandi sua illa attributa, & præsertim misericordiam, fuisse per redemptionem liberatiuam à peccato: Nam misericordia Dei optimè manifestaretur etiam, præseruando homines à peccato, eiusque miseria, vt contigit defacto in Deipara, & Angelis bonis, & sanctificando homines, eosque reddendo inpeccabiles, ablata miseria peccabilitatis.

Opposita fundamenta dissoluntur.

867 **O**bjicitur. Si Deus per primum decretum, ante peccatum absolutè præuisum, non voluisset efficaciter Christum absolutè Redemptorem liberatiuè, maximè quia sic vellet eo ipso efficaciter ponere à parte rei peccatum, quod essentialitè requiritur, vt Christus sit absolutè Redemptor liberatiuè, & cum quo Christus, vt absolutè Redemptor liberatiuè, dicit connexionem. sed hoc fundamentum est falsum; ergo &c. Minor probatur. Etiam peccata, crucifigentium Christum, requiruntur essentialitè, vt Christus sit absolutè Redemptor liberatiuè, & cum illis dicit connexionem defacto Christus vt absolutè Redemptor liberatiuè: at, hoc non obstante, Deus vult efficaciter Christum, vt absolutè Redemptorem liberatiuè, ante peccata crucifigentium absolutè præuisa, post absolutam præuisionem solius peccati Adæ vt capitis, vt dicemus infra cap. 4. punct. 5. quin velit efficaciter ponere à parte rei peccata crucifigentium: ergo falsum est illud fundamentum. Maior probatur. Christus non aliter decretus est absolutè Redemptor liberatiuè, nisi per passionem, & mortem crucis, sed peccata crucifigentium Christum requiruntur ad passionem, & mortem crucis, ipsi defacto illatam, & cum illis illa connectitur: ergo & requiruntur, vt Christus sit absolutè Redemptor liberatiuè.

868 Confirmatur primò. Christus non est decretus absolutè Redemptor liberatiuè per passionem, & mortem crucis in genere, sed per passionem, & mortem crucis, ortam ab iniquis actionibus crucifigentium: ergo Christus, vt absolutè Redemptor liberatiuè, dependet ab his iniquis actionibus crucifigentium, & cum ipsis connectitur. Confirmatur secundò. Decretum Christi absolutè Redemptoris liberatiuè, non volebat mortem externam nudè, sed vt oblatam à Christo per actum internum etiam pro peccatis crucifigentium in particulari, quo-

rum veniam Christus in particulari petebat. verbis illis Lucæ 23. *Pater dimitte illis, non enim scio, quid faciunt:* sed actus internus Christi, offerens mortem, connectitur cum dictis peccatis crucifigentium, pro quorum venia eam offerebat: ergo & mors Christi, volita per dictum decretum.

869 Ad solutionem suppono primò, Christum fuisse aliquo modo causam passionis, & mortis, quatenus eam liberè acceptauit, & non impediuit, cum posset non acceptare, & impedire.

870 Suppono secundò, mortem Christi in se, vt in re exercitam, non fuisse meritoriam, & satisfactoriam; quia in instanti in quo ea exercita est, non fuit iam Christus in statu merendi, & satisfaciendi, imò in tali instanti extractus est Christus ab statu merendi, & satisfaciendi: solum ergo fuit meritoria, & satisfactoria denominatiuè, & in alio, scilicet in affectu moriendi, quo eam Christus acceptauit ante instans mortis, quia affectus, acceptans mortem, postea exercendam, fuit meritorius, & satisfactorius; & hoc sufficit, vt Christus dicatur meruisse, & satisfecisse per mortem crucis, eaque consumasse nostram redemptionem; sicut testator, iubens in suo testamento, dari eleemosinas post mortem, dicitur talibus eleemosinis mereri, & satisfacere pro peccatis, quia illæ sunt effectus voluntatis meritorie, & satisfactorie testatoris, quo eas viuens dari voluit, & ordinauit: vnde sicut testator dicitur mereri per eleemosinas, quod meruit per voluntatem earum, ita Christus dicitur sua morte mereri, quod ante meruerat voluntate, & affectu moriendi. Potest igitur mors Christi considerari, vel materialitè vt exercita in se, vel affectiuè vt meritoria, & satisfactoria, scilicet pro affectu moriendi meritorio, & satisfactorio.

871 Suppono tertio iuxta inferius dicenda, Christum post præuisionem absolutam peccati Adæ vt capitis, & ante absolutè præuisa peccata crucifigentium, & cætera peccata actualia hominum, habuisse affectum patiendi, & moriendi in cruce quasi conditionatum, quo, quantum est ex parte sua, voluit acceptare, & sustinere passionem, & mortem, si esset occasio illius, non resistendo, nec fugiendo illam; qui affectus perman-

fit in Christo usque ad mortem, vel idem, vel repetitus, & vi-
sa voluntate obstinata crucifigentium, & occidentium Chri-
stum, transijt in absolutum, inducendo in Christo toleran-
tiam passionis, & mortis; quamvis tunc fuerit etiam in Christo
simul alius affectus absolutus, acceptans de presenti, & volens
patienter sustinere passionem, & mortem, quam ei inferre in-
tendebant, & actu inferebant crucifigentes. Vnde licet passio,
& mors Christi materialiter vt exercita in se, & affectus ab-
solutus acceptandi, & sustinendi illam, dependeat à pec-
catis crucifigentium, tamen affectus ille conditionatus pa-
tiendi, & moriendi est prior morte exercita, & peccatis cruci-
figentium, ab eisque independens in existendo: dici itaque
debet, passionem, & mortem Christi tam exercitam, quam af-
fectiuam absolutè dependere à peccatis crucifigentium tan-
quam à prærequisitis, non verò passionem, & mortem Christi
affectiuam conditionatè.

§72 Suppono quartò, Christum post præuisionem absolutam
peccati Adæ vt capitis, & ante absolutè præuisa peccata cruci-
figentium, & cætera peccata actualia hominum, applicasse af-
fectum illum patiendi, & moriendi conditionatum, seu mor-
tem conditionatè affectiuam, in illo inclussam, cum cæteris
meritis, independentibus à peccatis actualibus hominum, tum
pro redemptione liberatiua absoluta peccati primorum Pa-
rentum, & peccati originalis posterorum, in Adamo iam radi-
caliter contracti, tum pro impetrando crucifigentibus auxilia
sufficientia, ne Christum crucifigerent, & cæteris hominibus
auxilia ad vitanda peccata actualia, & simul pro redemptione
liberatiua conditionata eorum à dictis peccatis, si ea commit-
terent. Vnde dicendum est, Deum tunc decreuisse Christum,
tum absolutè Redemptorem liberatiuè peccati primorum
Parentum, & peccati originalis posterorum, radicaliter iam
contracti in Adamo, per passionem, & mortem crucis affecti-
uam conditionatè, tum absolutè Redemptorem præseruatiuè
à peccatis crucifigentium, cæterisque peccatis actualibus ho-
minum, & simul conditionatè Redemptorem liberatiuè à di-
ctis peccatis, si committerentur.

§73 Nec obstat, hinc sequi, quòd potuisset Christus non pati,
& non

& non mori in re, postquam decretus est absolutè passibilis, &
Redemptor, & postquam meruit per illum affectum patiendi,
& moriendi conditionatum, si scilicet crucifigentes nollent
Christum occidere. Vera enim est sequela physicè loquendo,
inspecta præcisè natura talis decreti, & meriti illius affectus
conditionati: sed tamen falsa est, tum moraliter loquendo, at-
tentis circumstantijs interuenturis, tum etiam metaphysicè lo-
quendo, ex suppositione scientiæ Dei conditionatæ, qua cer-
tissimè prænouit, crucifigentes efficaciter volituros occidere
Christum, eumque re ipsa occisuros, si eis darentur auxilia il-
la præcisè sufficientia, quæ affectu illo conditionato ipsis, me-
ruit Christus.

§74 His suppositis, Respondeo, negans minorem. Ad probatio-
nem distinguo maiorem, peccata crucifigentium Christum re-
quiruntur, vt Christus sit absolutè Redemptor liberatiuè ta-
lium peccatorum, concedo; vt Christus sit absolutè Redem-
ptor liberatiuè peccati primorum Parentum, & peccati origi-
nalis posterorum, radicaliter in Adamo contracti, & condi-
tionatè peccatorum crucifigentium, & cæterorum actualium,
nego. Et distinguo minorem, Deus vult efficaciter Christum
vt absolutè Redemptorem liberatiuè peccati primorum paren-
tum, & peccati originalis posterorum, radicaliter in Adamo
contracti, ante peccata crucifigentium absolutè præuisa, con-
cedo; peccatorum crucifigentium, cæterorumque actualium,
nego. Et nego consequentiam. Ad maioris probationem di-
stinguo maiorem, Christus non aliter decretus est absolutè
Redemptor liberatiuè, nisi per passionem, & mortem crucis in
re exercitam, aut affectiuam absolutè, nego; nisi per passio-
nem, & mortem crucis affectiuam conditionatè, quo pacto fuit
iam meritoria, & satisfactoria, concedo. Et distinguo mino-
rem, peccata crucifigentium Christum requiruntur ad passio-
nem, & mortem crucis Christi, in re exercitam, aut affecti-
uam absolutè, concedo; ad passionem, & mortem crucis Chri-
sti affectiuam conditionatè, nego. Ex quo patet ad consequen-
tiam. Tota huius solutionis doctrina constat iam ex supposi-
tionibus superioribus.

§75 Ad primam confirmationem nego antecedens. Nam ante
Ece præui-

præuisa absolutè peccata crucifigentium non est decretus Christus absolutè Redemptor liberatiuè per passionem, & mortem crucis, in re ortam ab iniquis actionibus crucifigentium, sed per passionem, & mortem crucis affectiuam conditionatè, sub conditione quòd essent tales actiones, quo pacto non eget dictis actionibus. Ad secundam confirmationem distinguo maiorem, Decretum Christi absolutè Redemptoris liberatiuè non volebat mortem externam nudè, sed vt oblatam à Christo absolutè per actum internum etiam pro peccatis crucifigentium in particulari, nego; vt oblatam à Christo conditionatè per actum internum etiam pro peccatis crucifigentium in particulari, si essent talia peccata, concedo: Christus enim mortem crucis affectiuam conditionatè, vel potiùs affectum conditionatum moriendi solùm obtulit absolutè pro peccato primorum parentum, & originali posterorum, radicalitèr contracto in Adamo, & conditionatè pro peccatis crucifigentium, cæterisque peccatis actualibus, si committerentur, vt patet ex supposit. 4. nu. 872. Deinde distinguo minorem, actus internus Christi, offerens mortem, connectitur cum dictis peccatis crucifigentium, pro quorum venia eam offerebat, si sermo sit de actu interno Christi, offerente mortem absolutè pro dictis peccatis crucifigentium, qualis erat actus ille, contentus in verbis citatis Lucæ 23. concedo; si sermo sit de actu interno Christi, offerente mortem conditionatè pro dictis peccatis crucifigentium, si committerentur, nego. Decretum autem primum Christi absolutè Redemptoris liberatiuè, ad summum volebat mortem Christi, vt ab ipso oblatam conditionatè pro peccatis crucifigentium, non verò vt oblatam absolutè pro dictis peccatis.

876 Nec dicas, sequi ex doctrina nostræ solutionis, Christum non consummasse redemptionem liberatiuam primorum parentum à suo peccato, & posterorum ab originali, radicalitèr in Adamo contracto, & redemptionem præseruatiuam posterorum à peccatis actualibus per omnes suos actus exercitos vsque ad mortem, quia saltem cõsummasse eam antecedentèr, & independentèr ab affectu absoluto moriendi, elicitò post absolutè præuisa peccata crucifigentium: quòd videtur absurdum,

dum, & contra Paulum ad Hebræos 10. dicentem de Christo, *una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos*, quo videtur significari, Christum nihil adæquatè, & completè meruisse nisi per omnes suos actus simul, exercitos à conceptione vsque ad instans mortis, & hos omnes concurrisse defacto ad merendum quodlibet præmium.

877 Nam sequela nullum continet absurdum, vt docet Arriaga de Incarnat. disp. 16. sect. 2. subsect. 1. nu. 14. imò, vt dicemus infra, Christus meruit Angelis gratiam, & gloriam, & primis parentibus gratiam in statu ianocentiæ, independentèr ab actibus meritorijs, elicitis post absolutè præuisum peccatum Adæ, & ex suppositione eius: actus etiam, quo Christus agebat gratias æterno Patri pro beneficio aliquo, ob sua merita hominibus collato, non poterat mereri collationem talis beneficij, cum supponeret iam illud collatum. Nec hoc est contra testimonium Pauli citatum, Christus enim dicitur sua morte, & oblatione eius consummasse in sempiternum sanctificatos, non quia omnes, & singuli eius actus meritorij, eliciti ab instanti conceptionis vsque ad mortem, & oblationem sui in cruce, concurrerint ad promerenda omnia, & singula beneficia, sanctificatis collata, sed quia per omnes dictos actus meruit omnia beneficia, sanctificatis collata, cum omnibus requisitis ad totalem sanctificationem, redemptionem, & gloriam eorum absque indigentia vllius meriti alterius personæ, ita vt nullam sit eis collatum beneficium, quod non correspondeat alicui, vel aliquibus ex dictis actibus meritorijs, licèt aliqua beneficia respondeant aliquibus ex dictis actibus meritorijs, independentèr ab alijs. Præterea verba Pauli intelligi possunt de oblatione Christi in cruce, non quidem absoluta, sed conditionata, qua redemit liberatiuè primos parentes à peccato, & posteros ab originali, & præseruatiuè posteros à peccatis actualibus, imò & liberatiuè etiam saltem à peccatis, quæ non concurrerunt ad mortem Christi, nec eam supponunt.

878 Adde, facile dici posse, Christi affectum absolutum moriendi, elicitum post absolutè præuisa peccata crucifigentium, meruisse, quòd auxilia, prædefinita ad liberandos primos pa-

rentes à peccato, & posteros ab originali ex merito affectus conditionati moriendi, darentur illis vel in maiori intensione, vel in maiori numero, & quòd gratia sanctificans illos à peccato, ipsis prædefinita ex merito affectus conditionati moriendi, daretur ipsis in maiori intensione, ita vt si ex merito affectus conditionati moriendi essent prædefinita ad liberandos primos parentes, à peccato duo auxilia intensa vt duo, & gratia sanctificans intensa vt duo, ob meritum affectus absoluti moriendi darentur illa duo auxilia intensa vt quatuor, & similiter gratia sanctificans intensa vt quatuor, vel adderentur alia duo auxilia simul cum illis: similiter etiam dici potest, affectum dictum absolutum moriendi meruisse, quòd auxilia prædefinita ex merito affectus conditionati moriendi ad præseruandos posteros à peccatis actualibus, darentur illis in maiori intensione, vel in maiori numero: quæ enim in his cogitari potest repugnantia? Et hoc modo rectè intelligitur, affectum absolutum moriendi concurrisse etiam aliquo modo ad redemptionem liberatiuam primorum parentum à peccato, & posterorum ab originali, & ad redemptionem præseruatiuam posterorum à peccatis actualibus, nec has redemptiones plenè consummasse Christum per solum affectum moriendi conditionatum, independentèr omnino ab affectu moriendi absoluto.

879. Deinde dici etiam posset, quòd post absolutè præuisum in Christo affectum moriendi absolutum, Deus ob meritum huius affectus absoluti, & simul ob meritum affectus conditionati moriendi, iam antea præuisi, & cæterorum actuum eius, decreuisset dare crucifigentibus, cæterisque posteris Adæ auxilia, vt resurgerent à peccatis commissis, eaque Christum illis, utroque dicto affectu meruisse; ex quo consequentèr dici potest, Christum per omnes suos actus, exercitos à conceptione usque ad mortem, concurrisse aliquo modo ad omnium, & singulorum hominum redemptionem, & sanctificationem, vel merendo illam, vel augmentum eius, vel aliquid ad id conducentem, eamque per omnes dictos actus aliquo modo consummasse, iuxta testimonium Pauli citatum.

880. Instabis primò. Velle efficacitèr Christum absolutè Redemptorem liberatiuè, solùm cogit Deum ad permittendum pec-

peccatum: sed permittere peccatum, non est, velle efficacitèr, ponere peccatum à parte rei: ergo velle efficacitèr Christum absolutè Redemptorem liberatiuè, non est, velle efficacitèr, ponere peccatum à parte rei. Maior probatur. Velle efficacitèr Christum absolutè Redemptorem liberatiuè, solùm cogit Deum ad id, ex quo infallibilitèr sequitur positio peccati à parte rei: sed huius positio à parte rei sequitur infallibilitèr ex permissione peccati: ergo solùm cogit Deum ad permittendum peccatum. Confirmatur. Non repugnat, quòd hoc decretum efficacè Christi absolutè Redemptoris liberatiuè habeatur dependentèr à permissione peccati, & cum proportione ad naturam eius, ita vt velit Deus efficacitèr, poni redemptionem liberatiuam, mediante permissione peccati: ergo Deus tali decreto non vellet efficacitèr peccatum.

881. Respondeo, negans maiorem. Ad probationem distinguo maiorem, velle efficacitèr Christum absolutè Redemptorem liberatiuè, solùm cogit ad id, ex quo infallibilitèr sequitur positio peccati à parte rei sine necessitate saltem physica, nego; cum necessitate saltem physica, concedo: cum enim redemptio Christi liberatiua dicat connexionem physicam saltem necessariam cum peccato, voluntas efficacè Christi absolutè Redemptoris liberatiuè, debet cogere Deum ad id, ex quo necessitate saltem physica sequatur peccatum. Et distinguo minorem, huius positio à parte rei sequitur infallibilitèr ex permissione peccati cum necessitate physica, nego; sine necessitate etiam physica, vt patet ex punct. superiori, præsertim num. 884. & 885. concedo; & nego consequentiam. Ad confirmationem falsum est antecedens, vt constat ex dictis.

882. Instabis secundò. Permissio peccati est effectus prædestinationis, quatenus Deus vult illam ex affectu speciali poenitentiae de peccato permissio, in quo casu vult Deus specialitèr poenitentiam de peccato, nondum antea existente, cum peccatum ante permissionem existere non possit: & nihilominus tali affectu non vult existentiam peccati, licèt existentia eius necessaria sit ad poenitentiam de illo: ergo etiam poterit Deus specialitèr velle Christi redemptionem liberatiuam à peccato, nondum antea existente, quin velit existentiam peccati, licèt

existentia eius necessaria sit ad talem redemptionem liberatiuam.

883 Solutio huius instantiæ patet ex dictis disp. 4. de prædestinatione cap. 3. Vbi conclus. 1. ostendimus, permissionem peccati non posse esse effectum prædestinationis, volitum ex affectu absoluto speciali poenitentiae de peccato, quia hic affectus Dei absolutus specialis poenitentiae de peccato, nondum antea existente, & necessariò ad poenitentiam, vellet etiam existentiam, & positionem peccati, quod repugnat, vt similiter dictum est de voluntate diuina absoluta Christi Redemptoris liberatiuè à peccato. Deinde conclus. 3. diximus, permissionem peccati posse esse effectum prædestinationis, volitum ex affectu speciali conditionato poenitentiae de peccato, vt si Deus dicat, *volo permittere peccatum in prædestinato ex affectu, & intentione dandi illi postea auxilium efficax ad elicendum actum poenitentiae, si peccet*; hic autem affectus specialis conditionatus poenitentiae prædestinati, volens illam conditionatè casu, quo peccet, non vellet specialiter peccatum; quia affectus conditionatus alicuius obiecti non vult conditionem, sed obiectum, si ponatur conditio; sic Deus vult conditionatè punire reprobos, si peccent, quin velit peccatum ipsorum, etiamsi requisitum ad eorum punitionem. Videantur ibi dicta. Ex quo ad summum inferri potest, posse Deum specialiter conditionatè velle redemptionem Christi liberatiuam à peccato, si hoc ponatur, quod non negamus; non autem posse illam velle absolutè, nondum antea existente peccato. Vnde in forma respondeo, distinguens antecedens, permissio peccati est effectus prædestinationis, quatenus Deus vult illam ex affectu speciali absoluto poenitentiae de peccato permisso, nego; ex affectu speciali conditionato poenitentiae, concedo. Et similiter distinguendum est consequens.

884 Instabis tertio. Res connexa cum aliquo termino, potest attingi, quin attingatur terminus, si iste sit extra sphaeram, & obiectum potentiae, vt patet in potentia visiva, attingente colorem, & non Deum, cum quo connectitur color: ergo etiam redemptio liberatiua à peccato poterit prosecutiuè attingi à voluntate diuina, quin prosecutiuè attingatur peccatum, cum quo

quò illa connectitur, eo quòd peccatum sit extra sphaeram, & obiectum voluntatis diuinæ prosecutiuae. Respondeo, antecedens verum esse, quando res connexa non attingitur formaliter, & expressè secundum eam rationem, secundum quam connectitur cum termino, vt contingit in potentia visiva, quæ non attingit formaliter, & expressè colorem, vt ens creatum, & dependens à Deo, secundum quam rationem connectitur cum Deo, sed præcisè, vt color est; falsum vero esse antecedens, quando res connexa attingitur formaliter, & expressè secundum eam rationem, secundum quam connectitur cum termino, vt contingit in nostro casu, in quo voluntas diuina attingeret prosecutiuè absolutè redemptionem liberatiuam, vt est redemptio liberatiua à peccato, quo pacto est essentialiter connexa cum existentia peccati, sicque deberet eam prosecutiuè attingere, cum nondum antea supponatur.

885 Instabis quarto. Deus complacet in sua scientia peccati existentis, quin complacet in peccato ipso, cum quo scientia illa connectitur: ergo & potest velle efficaciter absolutè Christi redemptionem liberatiuam, quin velit peccatum, cum quo redemptio illa connectitur. Respondeo, negans consequentiam. Disparitas desumenda est ex differentia inter simplicem complacentiam, & voluntatem efficacem, & causatiuam: nam cum hæc velit, & intendat ponere obiectum à parte rei, velle debet consequenter, quidquid requiritur ad positionem eius à parte rei, si non supponatur iam existens: & ideo voluntas efficax, causatiua redemptionis liberatiuæ, velle debet peccatum, requisitum ad positionem talis redemptionis à parte rei, quando non supponitur iam existens: at simplex complacentia, cum non intendat ponere obiectum à parte rei, sed complacet solum in illo ex suppositione, quòd sit, non debet complacere adhuc indirectè in alio obiecto, cum quo illud connectitur, quodque supponitur iam existens, nisi complacet in illo ex affectu ius; cumque Deus non complacet in sua scientia peccati existentis ex affectu peccati, cum quo illa connectitur, non debet adhuc indirectè complacere in peccato.

886 Instabis quinto. Deus prædefinit absolutè Martyrium, ante absolutè præuisum peccatum Tyranni, occisuri Martyrem

rem; Martyr etiam laudabiliter habet desiderium efficax absolutum Martyrij ante peccatum Tyranni, licet existentia peccati Tyranni requiratur ad executionem Martyrij: ergo similiter posset Deus absolutè prædefinire Christi redemptionem liberatiuam ante præuisum absolutè peccatum redimendum, quamuis huius existentia requiratur ad illam. Respondeo ex Aldrete to. 1. de Incarnat. disp. 20. sect. 10. negans antecedens: Deus enim non prædefinit absolutè Martyrium ante absolutè præuisum peccatum Tyranni, sed sub conditione solùm, si Tyrannus peccaminosè velit Martyrem interficere. Martyr etiam ante existentiam peccati Tyranni non desiderat, aut vult efficaciter absolutè Martyrium, sed sub conditione solùm, si Tyrannus occidat, & ad summum vult efficaciter absolutè exponere periculo vitam, & non fugere, nec impedire occasiones patiendi, & moriendi pro fide; Martyrem autem non desiderare absolutè Martyrium, colligit Aldrete citatus ex eo, quòd cum Martyr frequenter tristiari soleat, si amittat occasionem moriendi pro Christo, non tamen tristetur, si Tyrannus eum non occidat, quia conuertitur ad fidem; potius enim desiderat absolutè conuersionem Tyranni, quam Martyrium, licet secundariò desideret simul conditionatè Martyrium casu, quo conuersionem Tyranni non assequatur, & hic velit, illum interficere. Ex quo liquet, negandam esse consequentiam.

887

CAPVT II.

Christus per primum Dei decretum efficax absolutum non est prædefinitus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ visionis peccati absolute futuri, independentè à futuritione

Decretorum.

888 **N**on est animus, impugnare in præfenti sententiam Thomistarum, afferentium in materia de Scientia Dei, scien-

scientiæ visionis esse causam sui obiecti absolute futuri, necessariò requisitam ad futuritionem, & existentiam eius, sed priorem modum discurrendi Recentiorum, quos, suppresso nomine, citavi initio disputationis nu. 842. pro tertia opinione, qui licet sentiant contra Thomistas, scientiam visionis obiecti absolute futuri non esse causam, necessariò requisitam ad futuritionem, & existentiam eius, eo quòd quamuis per impossibile non esset in Deo talis scientia, adhuc fieret futurum, & existens obiectum per decretum diuinum, directum à scientia simplicis intelligentiæ; asserunt tamen, talem scientiam, supposito quòd defacto reperiatur in Deo, dirigere defacto decretum diuinum de suo obiecto, sicque esse quodammodò causatiuam futuritionis, & existentiam sui obiecti, hocque ita asserendum putant, quamuis nulla futuritio constituatur in decretis diuinis. Ex quo inferunt cõsequentèr, supradictum primum decretum diuinum efficax Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, volens saltem indirectè totum hunc ordinem rerum, haberi à Deo defacto ex directione scientiæ visionis futuritionis absolute totius huius ordinis rerum, atque adeò & futuritionis absolute peccati.

PUNCTVM I.

889

Nostra sententia auctoritate, & ratione stabilitur.

890 **P**robatur primò. Si Deus haberet supradictum primum decretum efficax Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè ex directione scientiæ visionis futuritionis absolute totius huius ordinis rerum, atque adeò & futuritionis absolute peccati, maxime quia, vt volunt aduersarij, scientia visionis obiecti decreti diuini, esset defacto principium, dirigens decretum, sicque causatiuum quodammodo futuritionis obiecti eius: sed hoc est falsum: ergo & illud. Minorem probauimus fusè disp. 10. de scientia Dei cap. 3. & disp. 1. de Providentia cap. 5.

Eff

891 Nunc

891 Nunc autem ex fusè ibi propositis sic eam breuiter fulcimus. Primò ex patribus. Nam Iustinus Martyr q. 58. ad Gentes, reddens rationem, cur præscientia diuina peccatorum non sit ipsorum causa, sic loquitur, *causa non est eius, quod futurum est, prænotio, sed quod futurum est, est causa prænotionis, neque prænotionem sequitur, quod futurum est, sed quod futurum est, prænotio.* Hieronymus Ieremiæ 26. *Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus nouit.* Damascenus lib. 1. contra Manicheos paulò ante finem, *est quidem Dei præscientia vera, & inuolabilis, verum ipsa nequam est causa, cur omnino fiat, quod futurum est, quin potius quia hoc, vel illud facturi sumus, idcirco prænotat.* Origenes lib. 6. in epist. ad Roman. ad ea verba capitis 8. *Quos præscitit* &c. hæc dicit, *In præscientia Dei neque salutis, neque perditionis nostre causa sitit, quia non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur à Deo, antequam fiat, nam esse fugamus, Deum non prænotare aliquid futurum, sine dubio erit.* Ex his testimonijs manifestè deducitur, præscientiam visionis etiam defacto non esse causatiuam sui obiecti futuri, atque adeò nec principium dirigens decretum eius, aliàs talis præscientia esset defacto causa, cur futurum esset obiectum, & hoc esset futurum, quia à Deo prænotatur, & prænotatur, & non è conuerso. Eandem doctrinam tenet Sanctus Thomas. Nam 1. p. q. 14. art. 8. in principio corporis articuli causalitatem scientiæ diuinæ declarat per causalitatem artis in artifice creato: in isto autem ars, causans opus, non est scientia operis ut iam facti, sed ut factibilis; sicque idem erit in Deo. Et prope finem corporis articuli ait, *Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat, cum sit eadem scientia oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum;* ubi asserit, scientiam diuinam, causatiuam effectus creati, esse indifferentem ad opposita, quod non quadrat scientiæ visionis, sed scientiæ simplicis intelligentiæ solùm. Clarius loquitur S. Doctor opusc. de Prædestin. cap. 4. dicens, *Si præscientia Dei accipiatur pro simplici notitia futurorum, certum est, quod ipsa non est causa rerum præscitarum, & ideo licet præsciat res futuras, non tamen eis necessitatem imponit.*

892 Secundò. Si scientia visionis obiecti futuri esset defacto principium, dirigens decretum diuinum eius, & causatiuum futuritionis eiusdem, sequeretur, nec Deum esse liberum in decernendo obiectum, quod tali scientia futurum cognoscit, nec voluntatem nostram esse liberam in producendis suis actibus, quos eadem scientia præuidet Deus futuros: sed hæc sunt absurda, & falsa: ergo & illud, ex quo sequuntur. Sequelæ prima pars probatur. Libertas in decernendo requirit omnia principia indifferentia, atque adeò compossibilia cum carentia decreti: sed scientia visionis obiecti futuri non est compossibilis cum carentia decreti talis obiecti, sed est essentialitèr connexa cum existentia dicti decreti: ergo si scientia visionis obiecti futuri esset principium, dirigens illud decretum, Deus non esset liber in decernendo obiectum, sed omnino necessitatus ad decernendum ipsum. Minor patet. Scientia visionis obiecti futuri est essentialitèr connexa cum futuritione sui obiecti, aliàs non esset omnino infallibilis hæc scientia: sed futuritio sui obiecti est essentialitèr connexa cum existentia decreti sui, sine quo illud non potest esse futurum: ergo etiam scientia visionis obiecti futuri est essentialitèr connexa cum existentia eiusdem decreti.

893 Confirmatur. Scientia visionis obiecti futuri est physicè, & essentialitèr connexa cum positione decreti talis obiecti: ergo est aliquo modo physicè necessitans ad positionem dicti decreti: sed non est consequentèr solùm necessitans physicè ad illam iuxta aduersariorum doctrinam: ergo est antecedentèr necessitans physicè ad illam: at necessitas antecedens physica tollit libertatem, ut est commune inter Doctores Antithomistas: ergo scientia visionis obiecti futuri, iuxta aduersariorum doctrinam, tolleret Deo libertatem in decernendo. Prior illa minor cum sua consequentia immediata probatur. Quod est physicè necessitans tanquam principium, non est consequentèr, sed antecedentèr necessitans: sed scientia visionis obiecti futuri est physicè necessitans ad positionem dicti decreti tanquam principium directiuum eius, ut aiunt aduersarij: ergo non est consequentèr solùm necessitans physicè ad illam, sed antecedentèr, iuxta aduersariorum doctrinam.

894 Secunda sequelæ pars probatur similiter. Quod Deus habeat scientiam visionis nostri consensus futuri v. g. non est in potestate libera nostræ voluntatis iuxta aduersariorum doctrinam, constituentem talem scientiam ante omnem actum liberum nostræ voluntatis, saltem prioritate à quo; aliunde etiam talis scientia visionis est physicè, & essentialitèr connexa cum positione consensus, & impossibilis cum omissione eius: ergo ex vi talis scientiæ visionis aliquo modo est necessariò physicè futurus consensus: sed hæc necessitas physica consensus, proueniens à tali scientia visionis, non esset consequens, sed antecedens; cùm proueniret à principio, & causa ipsius, qualis ab aduersarijs dicitur esse talis scientia visionis: ergo esset necessitas, destructiua libertatis consensus; necessitas namque physica antecedens tollit libertatem, vt dictum est n. præcedente.

895 Nec refert, dictam scientiam visionis non esse principium, requisitum ad decretum diuinum, & ad nostrum consensum, sed defacto solum concurrentem ad ipsa, ex eo quod in Deo reperitur. Nam libertas, aut necessitas actus colligenda est ex principijs, à quibus procedit actus defacto, non ex illis solum, à quibus exigit procedere, ita vt si omnia principia, defacto concurrentia, physicè indifferentia sint, actus sit liber, si verò aliquod ex illis sit physicè connexum, & necessitans, actus necessariò fiat; quia vnum principium necessitans, etiam si non requisitum, non sineret, alia principia liberè, & indifferentèr influere, & concurrere, & sic tolleretur libertatem. Et ob hanc rationem aiunt Doctores Antithomistæ, quod si voluntati nostræ, aliàs indifferenti, & completæ in actu primo libero, infunderet Deus principium aliquod, physicè prædeterminans ad consensum, hic non fieret liberè, licèt principium illud, tunc concurrentem, non esset principium requisitum ad illum: ergo nulla est solutio.

896 Tertio. Scientia visionis obiecti futuri vt sic, efficacitèr voliti, supponit iam in priori à quo decretum efficax talis obiecti, & obiectum iam futurum ex vi decreti: ergo hæc scientia non potest esse principium, dirigens decretum, nec causatum futuritionis obiecti. Antecedens probatur. Tum, quia

scientia visionis obiecti futuri ex vi decreti efficacis eius, est quasi à priori dependens à decreto efficaci, & à futuritione obiecti, eisque essentialitèr indiget ad sui existentiam: decretum verò efficax, & futuritio obiecti sunt independentia à dicta scientia visionis; nam quamuis per impossibile Deus per scientiam visionis non cognosceret, esse futurum obiectum ex vi decreti, adhuc obiectum esset futurum dependentèr à decreto efficaci, directo per scientiam simplicis intelligentiæ de factibilitate, & possibilitate obiecti, vt fatentur etiam aduersarij: ergo scientia visionis obiecti futuri, efficacitèr voliti, est posterior à quo decreto efficaci talis obiecti, huiusque futuritione, eaque præsupponit in priori à quo; extremum namque quasi à priori dependens ab alio independente, est posterius à quo ipso. Tum, quia scientia visionis obiecti futuri dependentèr à decreto, est scientia libera: sed non est libera in se ipsa formalitèr, cùm formalis libertas non in actibus intellectus, sed in solis actibus voluntatis resideat: ergo est libera solum causalitèr, ex eo quod sit in Deo dependentèr à libero vsu diuinæ voluntatis, quale est decretum efficax obiecti futuri: ergo supponit in priori à quo hunc liberum vsu decreti dicti efficacis; si enim talis scientia esset in Deo antecedentèr ad liberum vsu suæ voluntatis, & independentèr ab ipso, non esset libera, sed omnino necessaria, non minùs quàm scientia simplicis intelligentiæ. Tum, quia non ideo Deus defacto decreuit efficacitèr, producere hoc obiectum futurum præ alijs, quia per scientiam visionis videt hoc obiectum futurum præ alijs, sed è conuerso ideo videt futurum hoc obiectum præ alijs, quia liberè decreuit efficacitèr hoc præ alijs producere: ergo quod Deus videat hoc obiectum præ alijs futurum, supponit in priori à quo, Deum hoc præ alijs liberè decreuisse efficacitèr producere; si enim non supponeretur, Deum hoc obiectum præ alijs liberè decreuisse efficacitèr producere, non esset, cur hoc præ alijs videret futurum.

897 Quarto. Si scientia visionis esset defacto causa, exigens, inducere futuritionem sui obiecti, cùm Deus per scientiam visionis æqualitèr cognoscat futuritionem actus boni, & mali, eodem modo per illam erit causa exigens, inducere, & causare futu-

fucuritionem actus boni, & mali: sed hoc dedecet Deum: ergo &c.

898 Quintò. Scientia visionis obiecti futuri cognoscit hoc ut futurum dependentèr ab omnibus suis causis, defacto concurrentibus ad illud: sed non cognoscit illud ut futurum dependentèr à se ipsa: ergo ipsa non est causa, defacto concurrens ad illud.

899 Probatùr secundò nostra sententia. Quamvis permittatur, primum Dei decretum fuisse efficax absolutum de Christo absolute Redemptore liberatiuè modo supradictò ex directione scientiæ visionis futurationis peccati, & reliquorum obiectorum eius, adhuc contra illud militant argumèta proposita cap. II. punct. I. contra idem decretum, habitum à Deo ex directione scientiæ conditionatæ. Primum quidem. Quia si primum hoc Dei decretum efficax absolutum voluit efficacitèr Christum absolute passibilem, & Redemptorem, non reliquisset Deus in potestate libera Christi, eligere, vel non eligere vitam passibilem, & mortalem, & redimere, vel non redimere genus humanum per passionem, & mortem crucis, imò illum tali decreto quasi necessitasset ad vitam passibilem, & mortalem, & ad redemptionem generis humani per passionem, & mortem crucis; quod falsum esse, ostensum est loco citato probat. 1. nu. 848. & 849.

900 Secundum. Quia, cum gratia primorum parentum, habita ante peccatum, fuerit, iuxta aduersariorum doctrinam, ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, & Christus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè sit dependens à peccato absolute futuro, præuiso per scientiam visionis, iuxta eorundem doctrinam, gratia illa non esset independentis à peccato absolute futuro; quod falsum esse, patet ex loco citato probat. 2. nu. 850.

901 Tertium. Quia scientia visionis peccati futuri, dirigens dictum decretum efficax absolutum Christi absolute Redemptoris liberatiuè, non cognosceret futurum peccatum independentèr à tali decreto, sed dependentèr ab ipso, & ratione eius, cum iuxta aduersarios non supponatur permissum peccatum antecedentèr ad tale decretum, & independentèr ab ipso ergo

ergo peccatum poneretur à parte rei ex vi talis decreti, quo Deus, volendo efficacitèr absolute Christum absolute Redemptorè liberatiuè, deberet velle efficacitèr, ponere à parte rei peccatum, nondum antea futurum independentèr à tali decreto, tanquam requisitum ad redemptionem liberatiuam Christi, efficacitèr absolute volitam, ut arguebamus loco citato probat. 3. à nu. 851.

902 Quartum. Quia licèt Deus ex intentione illa efficaci absolute redemptionis Christi liberatiuæ, directà per scientiam visionis dictam, non deberet velle peccatum, tamen intentio illa exigeret ex se, quòd ponatur à parte rei peccatum, nondum antea futurum, & existens, independentèr à tali intentione, tanquam requisitum ad redemptionem liberatiuam, efficacitèr absolute intentam, & cum quo talis intentio dicit physicam, & essentialem connexionem, iuxta dicta loco citato probat. 4. nu. 858. & 859.

903 Quintum. Quia dictum decretum efficax Christi absolute Redemptoris liberatiuè, etiam si ponatur directum à scientia visionis peccati futuri, est iuxta aduersarios voluntas permissiva peccati, atque adeò principium eius aliquo modo, cumque aliud sit physicè saltem connexum cum positione peccati, est siue dubio antecedentèr necessitans ad positionem peccati, ut dicebamus loco citato probat. 5. nu. 860: ergo tollit hominibus libertatem peccandi, & non peccandi.

904 Sextum. Quia, cum Deus seriò, & prudentèr prohibeat positionem peccati, essentialitèr requisiti ad Christi redemptionem liberatiuam, non potest efficacitèr absolute intendere Christi redemptionem liberatiuam à peccato, quod nondum antea supponebatur existens, aut futurum, independentèr à tali intentione Dei, ut probabamus loco citato probat. 6. num. 862.

905 Septimum. Quia, cum dictum decretum efficax absolutum Christi absolute Redemptoris liberatiuè, etiam si directum à scientia visionis peccati futuri, esset iuxta aduersarios prædestinatio hominum, & Angelorum, Christus non posset esse causa meritoria prædestinationis hominum, omniumque effectuum eius, ob dicta loco citato probat. 7. nu. 863. quod est absurdum.

Recentiorum obiectiones solvuntur.

907 **O**bjicies primò. Plures Patres asserunt expressè, res esse, quia à Deo cognoscuntur, non verò ideo cognosci, quia sunt: ita locuntur Augustinus 6. de Trinitate cap. 10. & 15. de Trinitate cap. 13. Gregorius 2. moral. cap. 24. & alij: ergo iuxta hos Patres scientia visionis est defacto causativa obiecti futuri; quod non videtur, posse aliter esse, quam dirigendo decretum eius. Respondeo, hos Patres non loqui de scientia visionis, sed de scientia simplicis intelligentiæ possibilium, quæ, dirigendo decretum, & simul cum ipso res causat; de qua proinde verè dicitur, ideo res esse futuras, quia à Deo, illas decernente, cognoscuntur ut possibles, non verò ideo cognosci ut possibles, quia in se futuræ sunt: nam, si res non cognoscerentur à Deo ut possibles, non decernerentur à Deo, & consequenter non essent futuræ, at licet futuræ non essent, adhuc cognoscerentur à Deo ut possibles.

908 **O**bjicies secundò. S. Thomas 1. p. q. 14. art. 8. ait, scientiam approbationis esse causam rerum: sed scientia approbationis non est scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis: ergo iuxta S. Thomam hæc scientia visionis est causa rerum. Minor patet. Nam S. Doctor q. 7. de veritate, art. 8. distinguit scientiam simplicis intelligentiæ à scientia approbationis: ergo &c. Respondeo, negans minorem. Ad probationem dico, S. Thomam distinguere scientiam simplicis intelligentiæ à scientia approbationis inadæquatè, quia scientia approbationis præter scientiam simplicis intelligentiæ dicit etiam voluntatem approbantem, & ex utraque confurgit scientia approbationis, distincta adæquatè à scientia visionis, & inadæquatè à scientia simplicis intelligentiæ. Hanc doctrinam tenet satis expressè S. Doctor loco citato ex 1. p. q. 14. art. 8. ubi sic loquitur de Deo in fine corporis art. post verba, à nobis citata punct. superiori nu. 891. pro nostra sententia, *Unde*
necesse

necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem coniunctam: unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis: Docet itaque, scientiam diuinam esse causam rerum, ut habet coniunctam voluntatem, & hanc ut sic nominari scientiam approbationis; loquitur autem sine dubio, non de scientia visionis, sed de scientia simplicis intelligentiæ; tum, quia loquitur de scientia diuina, quæ indifferens est ad opposita, ut patet ex verbis antecedentibus, pro nostra sententia citatis punct. superiori nu. 891. quæ non potest esse scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ; Tum, quia immediatè ante hæc verba relata ait, scientiam, & intelligere, per quod Deus res causat, esse suum esse; quod non potest verificari de scientia visionis libera, & contingenti, sed de scientia simplicis intelligentiæ necessaria.

909 **O**bjicies tertio. Scientia, actu causans, terminari debet ad rei existentiam: sed ad rei existentiam non terminatur scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis: ergo scientia illa sine ista non est actu causans. Respondeo, distinguens maiorem, scientia actu causans, terminari debet ad rei existentiam, tanquam ad effectum causatum, concedo; tanquam ad obiectum cognitum, nego. Unde scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad rei existentiam exercitam, tanquam ad effectum causatum, & ad rem ut possibilem, tanquam ad obiectum cognitum; sicut contingit similiter in scientia practica artificis creati. Vel, si maioris, distinguo maiorem, scientia, actu causans, terminari debet ad rei existentiam, cognoscendo illam ut exercitam, & ut actualem, nego; cognoscendo illam ut possibilem, concedo. Et distinguo minorem, ad rei existentiam non terminatur scientia simplicis intelligentiæ, cognoscendo illam ut exercitam, & ut actualem, concedo; cognoscendo illam ut possibilem, nego, & nego consequentiam.

910 **O**bjicies quarto. Futurum creatum non potest esse prius à quo scientia visionis: ergo hæc potest esse causativa illius. Antecedens probatur. Primò. Nam aliàs futurum creatum esset obiectum motuum scientiæ visionis, & non purè terminatum; obiectum enim purè terminatum debet esse posterius à quo scientia. Secundò. Nam aliàs Deus per scientiam

- visionis non posset cognoscere, nisi dependenter ab aliquo extrinseco: hoc autem est imperfectio; sicut esset imperfectio, Deum non posse aliquid velle, nisi dependenter ab aliquo extrinseco. Tertio. Quod est prius a quo, debet esse principium, & radix alterius: sed futurum creatum non est principium, & radix scientiæ visionis: ergo non est prius a quo illa.
- 911 Respondeo, negans antecedens. Ad primam probationem nego antecedens. Nam futurum creatum non est prius a quo, tanquam principium influens in scientiam visionis, sed tanquam conditio prærequisita, qua posita, Deus est ex se determinatus ad videndum futurum; & ideo non est obiectum motuum, sed purè terminatum: nec requiritur ad obiectum purè terminatum, quòd sit posterius a quo scientia, sed satis est, quòd terminet scientiam, non influendo in ipsam, nec ad eam mouendo. Ad secundam probationem distinguo antecedens, Deus per scientiam visionis non posset cognoscere, nisi dependenter ab aliquo extrinseco, tanquam a principio scientiæ diuinæ, nego; tanquam a conditione prærequisita, vt Deus cognoscat, concedo: hoc autem non est imperfectio; sicut similiter sine imperfectione prærequiritur existètia creaturæ tanquam conditio, vt in illa prout existente gaudeat, & complaceat Deus. Ad tertiam probationem nego maiorem: satis enim est, quòd sit independens ab altero, & hoc sit quasi a priori dependens ab illo, saltem tanquam a prærequisito ad sui existèntiam: sic anima rationalis est prior a quo vnione ad corpus, licet non sit principium, & radix eius; approximatō etiam ignis ad passum est prior a quo calefactione, licet non sit principium, & radix eius, sed conditio solùm prærequisita. Vnde, concessa minore, neganda est consequentia: nam futurum creatum est saltem conditio prærequisita, independens a scientia visionis, a qua quasi a priori dependet scientia, & sic est prius a quo scientia visionis.
- 912 Obijcies quintò. Potest dari supernaturalis cognitio creata, intuitiue cognoscens scientiam diuinam visionis sui ipsius: sed talis cognitio non esset prior a quo, & independens a scientia visionis sui ipsius, imò penderet ab ipsa tanquam ab obiecto, intuitiue cognito; ergo non semper obiectum creatum scien-

- scientiæ visionis est prius a quo, & independens ab illa. Respondeo ex dictis in materia de visione Dei, esse impossibile talem cognitionem creatam, quia aliàs Deus non esset liber in producenda illa, haberet enim aliquod principium necessitans ad eius productionem, scilicet scientiam visionis, intuitiue cognitam, quæ esset ex parte obiecti immediatum, vel mediatum principium, essentialiter connexum cum tali cognitione creata tanquam cum suo obiecto, & impossibile cum carentia eius.
- 913 Obijcies sextò. Scientia, dirigens decretum diuinum efficacax, debet ei proponere suum obiectum, aliàs decretum ferretur in incognitum: sed obiectum decreti diuini efficacis est obiectum vt futurum: ergo scientia, dirigens illud, debet ei proponere obiectum vt futurum: sed hoc præstat solùm scientia visionis: ergo hæc dirigit decretum diuinum efficacax. Respondeo, distinguens maiorem, scientia, dirigens decretum diuinum efficacax, debet ei proponere suum obiectum in eo statu, in quo per decretum constituitur, scilicet vt absolutè futurum, nego; in eo statu, in quo erat ante decretum, scilicet vt possibile, concedo: & concessa minore, nego consequentiam. Nec sequitur inde, decretum efficacax ferri in incognitum; nam scientia simplicis intelligentiæ, dirigens illud, proponit iam vt possibilem totam futuritionem obiecti, postea volitam per decretum, nec est quidquam in futuritione volita, quòd vt possibile non fuerit antea cognitum per scientiam simplicis intelligentiæ.
- 914 Obijcies septimò. Scientia visionis est in eodem instanti reali simul in quo cum decreto efficaci, huius obiectum representando: ergo sufficienter potest illud dirigere. Respondeo, distinguens antecedens, scientia visionis est in eodem instanti reali simul in quo cum decreto efficaci, cum dependentia quasi a priori ab ipso, concedo; sine tali dependentia ab ipso, nego. Et nego consequentiam: nam eo ipso quòd scientia visionis quasi a priori dependeat a decreto efficaci, supponit ipsam existens in priori a quo, & sic non potest illud dirigere.
- 915 Obijcies octauò. In Deo scientia visionis, terminata ad Verbum diuinum, & ad attributa necessaria, tam absoluta, quam

quàm relatiua, simplex etiam intelligentia, terminata ad creaturas possibles, non sunt posteriores, sed priores à quo suis obiectis: ergo idem erit de scientia visionis obiecti creati futuri vt sic. Confirmatur. Scientia visionis, cognoscens Spiritum Sanctum, vt productum per volitionem Dei necessariam, non est posterior, sed prior à quo Spiritu Sancto producto: ergo etiam scientia visionis, cognoscens obiectum creatum, vt existens, & productum per volitionem Dei liberam, non erit posterior, sed prior à quo tali obiecto.

916 Respondeo, negans consequentiam. Nam in antecedente obiecta illarum scientiarum non sunt independentia à dictis scientijs, imò exigunt illas tanquam principia, & quasi radices mediatas, vel immediatas: etenim Verbum diuinum exigit procedere ab omni cognitione necessaria, vt dicitur in materia de Trinitate; attributa etiam absoluta, & relatiua exigunt, & præsupponunt omnem cognitionem Dei necessariam tanquam essentiam Dei, cuius ipsa sunt quasi proprietates; item creaturæ possibles exigunt scientiam simplicis intelligentiæ, quasi radicem, & directiuam omnipotentis, à qua ipsæ dependentes sunt; & ideo obiecta dictarum scientiarum sunt posteriora à quo ipsis: at obiectum creatum futurum est independentens à scientia visionis sui, nec eam exigit vt principium adhuc mediatum, vt probatum est, & ideo potest esse prius à quo tali scientia.

917 Ad confirmationem nego consequentiam. Nam Spiritus Sanctus productus non est independentens, sed quasi dependens saltem mediatè à dicta scientia, tanquam à principio directiuo amoris diuini necessarij, à quo ipse procedit, cum talis amor à nulla alia scientia diuina dirigi possit: at obiectum creatum existens, & productum, est independentens à scientia visionis sui, nec illam exigit tanquam directiuam volitionis Dei liberæ, à qua ipsum procedit, vt ostensum est. Addo, quòd cum volitio diuina de obiecto creato sit libera, non potest habere pro principio directiuo scientiam visionis, essentialitèr connexam cum ipsa, aliàs destrueretur libertas eius: at amor diuinus Spiritus Sancti, cum sit necessarius, potest habere pro principio directiuo scientiam, cum ipso essentialitèr connexam, qua

qualis est scientia, cognoscens Spiritum Sanctum vt productum.

918 Obijcies nonò. Deficiente scientia visionis obiecti futuri, Deus cæco modo decerneret, & obiectum cæco modo produceret, & nesciret, quid esset facturum: ergo talis scientia concurrat ad decernendum, & producendum obiectum. Respondeo, distinguens antecedens, deficiente scientia visionis obiecti futuri, Deus cæco modo decerneret, & obiectum cæco modo produceret, ob defectum cognitionis directiuæ, nego; ob defectum cognitionis comitantis solùm sine directione, concedo. Ex hoc autem non sequitur, scientiam visionis requiri ad dirigendum decretum, & producendum obiectum, sed requiri solùm comitanter ratione perfectionis Dei, qui exigit necessariò cognoscere quamcunque veritatem, in quocunque signo cognoscibilis sit. Nec ob defectum scientiæ visionis diceretur Deus nescire, quid esset facturum, saltem nescientia priuatiua cognitionis directiuæ, quia per scientiam simplicis intelligentiæ dirigentem cognosceret iam vt possibile saltem, qui aliquid esset facturum, sed nescientia solùm priuatiua cognitionis comitantis, attingentis obiectum vt futurum.

919

CAPVT III.

Nec dependenter à futuritione decretorum fuit Christus per primum Dei decretum efficax absolutum prædefinitus absolute passibilis, & Redemptor liberatiue ex directione scientiæ visionis peccati absolute futuri.

920 **R**efellendus est iam posterior modus discurrendi Recentiorum, quos initio disputationis retulimus pro tertia opinione nu. 842. qui secuti Fonseca 3. Metaphysicæ lib. 6.

lib. 6. cap. 2. q. 4. sect. 10. Soarium in opusc. lib. 2. de scientia conditionatorum cap. 8. nu. 6. Ruiz disp. 26. sect. 4. & alios, asserunt, diuina decreta libera esse virtualiter, & per rationem posteriora in quo diuinis perfectionibus necessarijs, atque adeò & virtualiter, & per rationem futura respectiue ad illas. Ad quod constituunt tria signa, in quorum primo cognoscit Deus suas perfectiones necessarias, & alia obiecta necessaria extra ipsum: In secundo cognoscit Deus sua decreta libera vt virtualiter, & per rationem futura, & consequenter etiam cognoscit vt futura obiecta eorum: In tertio cognoscit sua decreta libera vt existentia. Hanc doctrinam illustrauit Melchior Fuster in suis eruditissimis disputationibus de voluntate Dei disp. 3. cap. 3.

921. Fundamentum huius doctrinæ sumunt hi Recentiores precipue ex eo, quòd diuina decreta libera sint virtualiter, & per rationem dependentia à perfectionibus necessarijs, eisque indigentia ad sui existentiam; perfectiones verò diuinæ necessariæ sint virtualiter, & per rationem independentes à decretis liberis, eisque minimè indigentes ad sui existentiam: existimant enim, quòd quando ex duobus extremis vnã est virtualiter, & per rationem independens ab altero, & alterum est virtualiter, & per rationem dependens ab illo, extremum independens est virtualiter, & per rationem prius in quo, & extremum dependens est virtualiter, & per rationem posterius in quo, & futurum respectiue ad illud: Quod declarant exemplo posterioritatis in quo, & futuritionis realis formalis, ad quã, inquit, sufficere dependentiam realem formalem vnus extremi ab altero, independente ab ipso.

922. Ex hac igitur doctrina inferunt, Deum in secundo signo per scientiam visionis cognoscere vt futurum supradictum primum suum decretum efficax absolutum Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiue, & omnia etiam obiecta eius vt futura, & consequenter in tali signo cognoscere iam peccatum absolute futurum; & ex hac præscientia visionis peccati absolute futuri dirigi Deum in tertio signo ad actu habendum tale decretum primum, volens efficaciter absolute Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiue in reme-

remedium peccati, absolute iam præuisi.

923. Hanc horum Recentiorum doctrinam dupliciter refellendam statuo. Primò, impugnando futuritionem hanc virtualem, & per rationem Decretorum liberorum, contra quam stant Molina 1. p. q. 14. art. 13. disp. 17. Vasques 1. p. disp. 65. cap. 4. ad finem, Arrubal 1. p. disp. 47. cap. 4. Albertinus to. 1. corolar. 2. ex 4. princip. Philosoph. q. 4. sect. 4. Monseus disp. 3. cap. 17. Herise tract. 1. disp. 7. cap. 9. Gaspar Hurtado de scientia Dei disp. 4. diffic. 11. Meracius to. 1. trac. de Deo disp. 28. sect. 6. Alarcon tract. 2. disp. 3. cap. 1. nu. 8. Ribas tract. 4. disp. 5. cap. 10. Bernal de Incarnat. disp. 18. sect. 1. §. 2. Arriaga de scientia Dei disp. 20. sect. 6. Franciscus de Lugo to. 1. in 1. p. disp. 29. cap. 4. & Recentiores communiter: impugnata enim decretorum futuritione, planum erit, non fuisse dependentem ab ipsa per primum Dei decretum efficax absolutum prædefinitum Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiue ex directione scientiæ visionis futuritionis talis decreti, & peccati futuri dependentem ab ipso. Secundò, ostendendo, esse impossibile supradictum primum decretum Dei efficax absolutum Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiue ex directione scientiæ visionis futuritionis talis decreti, & obiectorum eius, etiam permissi decretorum futuritione virtuali, & per rationem. Primum præstabo tribus sequentibus punctis, secundum verò puncto quarto.

PUNCTVM I.

924

Dependentia virtualis, & per rationem ab independente non fundat futuritionem, & posterioritatem in quo virtualem, & rationis extremi dependentis.

925. SUppono primò, duplicem esse prioritatem, & posterioritatem realem formalem, vnã in quo, & aliam à quo. Prio.

Prioritas, & posterioritas in quo dicit duo instantia successiva, in quorum primo existit extremum prius cum carentia existentie extremi posterioris, connotando existentiam eius pro instanti sequente; siue vnum extremum sit radix existentie alterius, vt in genitore creato, qui est prior in quo genito, cuius est principium, & genitus posterior in quo genitore; siue non, vt in Petro heri nato, & Paulo hodie nato, inter quos datur prioritas, & posterioritas realis formalis in quo, quamuis vnus non sit principium, & radix alterius. Similia hæc duo instantia successiva dicit futuritio realis formalis, in quorum primo datur carentia existentie rei, & in sequente existentia eius. Prioritas, & posterioritas realis formalis à quo datur in illis extremis, quorum vnum vel est principium alterius, vt causa respectu effectus, vel quasi principium, eo quod sit prerequisite ad esse illius, vt in anima rationali, quæ est prior à quo vnione ad corpus, & hæc posterior à quo illa, licet anima rationalis non sit principium, & radix vnionis, sed prerequisite solum ad ipsum; siue ambo extrema existant simul in eodem instanti reali, quo pacto Sol fuit prior à quo luce sibi innata, & hæc posterior à quo illo; siue existat vnum, nondum existente altero, quo pacto meus intellectus est prior à quo intellectio nunc producta, & hæc posterior à quo illo.

926 Suppono secundò, esse etiam duplicem prioritatem, & posterioritatem à quo realem formalem, vnã naturæ, & aliã originis. Prioritas, & posterioritas à quo naturæ datur, quando principium, vel quasi principium in existendo non connectitur, nec dependet, nec indiget existentia sui termini, existentia verò termini connectitur, indiget, & dependet ab existentia principij vt coniungit in nostro intellectu respectu intellectiois, à se productæ. Prioritas, & posterioritas à quo originis datur, quando inter principium, & terminum eius datur mutua connexio, & quasi dependentia in existendo, sic Pater æternus est prior à quo origine Filio diuino, cuius est principium, & hic posterior à quo origine illo, quia inter vtrumque est mutua quasi dependentia, & connexio in existendo. Dixi, quasi dependentia, & connexio; quia in hac disputatione nomine dependentiæ non intelligitur dependentia stricta,

stricta, sed dependentia latè sumpta pro connexione, & indigentia, & nomine independentiæ inconnexio, siue tales sint à priori, siue à posteriori.

927 Suppono tertio, hæc omnia posse etiam considerari virtualitèr, & per rationem. Prioritas, & posterioritas in quo virtualitèr, & per rationem dicit duo signa virtualitèr, & per rationem successiva, in quorum primo existit extremum prius cum carentia virtuali, & per rationem existentie extremi posterioris, connotando existentiam eius pro signo sequente: & hæc duo similia signa virtualitèr, & per rationem successiva dicit futuritio virtualis, & per rationem, in quorum primo datur virtualitèr, & per rationem carentia existentie rei, & in sequente existentia eius. Prioritas, & posterioritas à quo virtualitèr, & per rationem datur in illis perfectionibus, quarum vna est principium, vel quasi principium, & prerequisite virtualitèr, & per rationem respectu alterius. Hæc autem prioritas, & posterioritas à quo virtualis, & rationis, si sit prioritas, & posterioritas à quo naturæ, datur, quando principium, vel quasi principium est in existendo, independens ab existentia sui termini, huius verò existentia pendet ab existentia principij; sic Deus virtualitèr, & per rationem est prior à quo natura decretis liberis, defacto existentibus, & hæc sunt posteriora à quo natura Deo, quia Deus est independens ab existentia eorum, cum potuerit esse sine ipsis, ea verò sunt quasi dependentia à Deo. Si verò sit prioritas, & posterioritas à quo originis, datur, quando inter principium, & terminum eius datur mutua quasi dependentia in existendo virtualitèr, & per rationem; sic essentia Diuina virtualitèr, & per rationem est prior à quo origine attributis necessarijs, & hæc sunt virtualitèr, & per rationem posteriora à quo origine essentia diuina, quia inter essentiam diuinam, & attributa necessaria est mutua connexio, & quasi dependentia in existendo virtualis, & rationis.

928 Ex dictis fit, quoties datur posterioritas in quo in vno extremo respectu alterius, dari etiam futuritionem eius respectiue ad illud: quia, vt diximus, tam posterioritas in quo, quam futuritio extremi requirit duo instantia, vel signa successiva, in

quorum primo sit carentia existentiae extremi, & in sequente existentia eius: & propterea simul decidendum est, quid requiratur ad posterioritatem in quo, & ad futuritionem virtualem, & rationis.

929 His suppositis, pro declaratione nostrae sententiae, Censeo primò. Dependuntia virtualis unius perfectionis ab altera independente, & independentia istius, impertinens, & insufficientis est ad fundandam prioritatem virtualem in quo perfectionis independentis, & posterioritatem virtualem in quo perfectionis dependentis. Probatum primò. Dependuntia realis formalis ab independente, & independentia istius est omnino impertinens, & insufficientis ad prioritatem in quo realem formalem independentis, & posterioritatem in quo realem formalem dependentis: ergo etiam dependuntia virtualis ab independente, & independentia istius, erit omnino impertinens, & insufficientis ad prioritatem in quo virtualem independentis, & posterioritatem in quo virtualem dependentis. Consequètia efficacissima est contra Aduersarios. Tum, quia ipsi ex paritate dependuntiae realis formalis ab independente, & independentiae istius sumunt præcipuum suae doctrinae fundamentum. Tum, quia dependuntia virtualis ab independente, & independentia istius æquiualeat dependuntiae reali formali ab independente, & independentiae istius, sicut distinctio virtualis distinctio reali formali; & sic dependuntia virtualis ab independente, & independentia istius ita se habet, ac si esset realis formalis: unde si dependuntia realis formalis ab independente, & independentia istius sit omnino impertinens, & insufficientis ad prioritatem in quo realem formalem independentis, & posterioritatem in quo realem formalem dependentis, etiam dependuntia virtualis ab independente, & independentia istius erit omnino impertinens, & insufficientis ad prioritatem in quo virtualem independentis, & posterioritatem in quo virtualem dependentis.

930 Antecedentis prima pars patet. Prioritas, & posterioritas in quo realis formalis reperiri potest etiam in rebus mutuo independentibus, ut liquet in Petro heri nato, & Paulo hodie nato, inter quos, etiam si mutuo independentes, datur prioritas,

tas,

tas, & posterioritas in quo realis formalis: ergo ad hanc prioritatem, & posterioritatem in quo realem formalem impertinens est dependuntia realis formalis ab independente, & independentia istius.

931 Secunda antecedentis pars probatur exemplis. Nam primò, actus liber, quem Christus, & Angeli elicuerunt in primo suae creationis instanti, erat realiter formaliter dependens à voluntate Christi, & Angelorum, & horum voluntas erat realiter formaliter independens à tali actu libero: & tamen nec voluntas Christi, & Angelorum fuit prior in quo realiter formaliter tali actu libero, nec iste posterior in quo illa realiter formaliter, cum illa in nullo instanti antecedente extiterit sine tali actu libero. Secundò, carentia omnis existentiae futurae, praesentis, & praeteritae, quam dicunt creaturae merè possibilis, est realiter formaliter dependens à Deo, & Deus est realiter formaliter independens à tali carentia, cum potuerit Deus existens sine illa, decernendo producere creaturas merè possibilis: & tamen nec Deus fuit realiter formaliter prior in quo tali carentia, nec ista posterior in quo Deo realiter formaliter; cum in nullo instanti extiterit Deus realiter formaliter sine tali carentia, & ante ipsam, sed ea extiterit ab aeterno simul cum Deo in omni duratione. Tertio, futuritio creaturarum est realiter formaliter dependens à Deo, & Deus est realiter formaliter independens à futuritione creaturarum, cum potuerit esse sine illa, nullam decernendo producere creaturam; & tamen nec Deus est realiter formaliter prior in quo tali futuritione, nec ista posterior in quo Deo realiter formaliter, cum futuritio sit ab aeterno non minus, quam ipse Deus. Quarto, scientia visionis obiecti creati est realiter formaliter quasi dependens à futuritione eius, & futuritio est realiter formaliter independens à scientia visionis, ut saepe dictum est: & tamen nec futuritio est realiter formaliter prior in quo scientia visionis, nec ista posterior in quo illa realiter formaliter, aliàs esset veritas futuritionis in aliquo instanti reali, in quo à Deo non cognosceretur per scientiam visionis, quod est absurdum. Quintò, possibilitas actus supernaturalis est realiter formaliter dependens à possibilitate potentiae naturalis,

Hhh 2

ralis,

ralis, hæc verò est independens ab illa, cum nulla entitas naturalis possit esse dependens, & connexa cum actu supernaturali: & tamen nec possibilitas potentiae naturalis est realiter formaliter prior in quo possibilitate actus supernaturalis, nec ista posterior in quo illa realiter formaliter: ergo dependentia realis formalis ab independente, & independentia istius non sufficit ad prioritatem in quo realem formalem independentis, & posterioritatem in quo realem formalem dependentis.

932 Dices, quòd licet dependentia realis formalis ab independente, & independentia istius non sufficiat, ut extremum independens sit defacto realiter formaliter prius in quo, & extremum dependens sit defacto realiter formaliter posterius in quo, sufficit tamen, ut extremum independens possit esse prius in quo, & extremum dependens posterius in quo. Fateor, hanc doctrinam veram esse in casu, quo extremum dependens, si existat, non debet semper, & in omni instanti coexistere extremo independenti; sic Angelus, independens ab actu libero, elicitò in primo instanti suæ creationis, licet defacto non fuerit prior in quo tali actu, potuit tamen esse prior in quo illo, non eliciendo ipsum in primo instanti, sed in secundo. Falsa autem est vniuersaliter loquendo: Nam quando extremum dependens, ex suppositione, quod existat, debet semper existere in omni instanti extremi independentis, & statim atque istud existit, tunc independentia non sufficit, ut extremum independens possit esse prius in quo, sed vel extremum dependens erit simul cum extremo independente in primo instanti existentiae eius, vel nunquam existat, sicque non potest esse posterius in quo: ut patet in secundo, & tertio exemplo supra adductis, in quibus licet Deus sit independens à carentia omnis existentiae, quam dicunt merè possibilis, & à futuritione creaturarum, tamen nec est, nec potest esse prior in quo tali carentia, & futuritione, quia carentia illa omnis existentiae, & futuritio creaturarum sunt talis conditionis, ut, si sint, debeant esse ab aeterno simul cum Deo, vel nunquam esse. Unde ex eo quòd extremum, realiter formaliter independens, possit existere sine extremo dependente, non rectè infer-

fer-

fertur vniuersaliter, posse existere prius tempore, & in quo, quam extremum dependens, sed in casu solùm, quo extremo dependenti non repugnat incipere in tempore, vel instanti, sequente instans existentiae extremi independentis, non verò si extremo dependenti repugnet, in tali tempore, vel instanti incipere, eo quòd debeat, si sit, esse simul cum extremo independente, statim atque istud existit, vel nunquam esse, ut comprobant dicta exempla.

933 Probatum secundò. Scientia visionis decreti diuini est virtualiter dependens à decreto tanquam ab obiecto, & decretum est virtualiter independens à scientia visionis; & tamen nec decretum est virtualiter prius in quo scientia visionis sui, nec ista posterior in quo illo virtualiter: ergo dependentia virtualis vnius perfectionis ab altera independente, & independentia istius non fundat prioritatem virtuales in quo perfectionis independentis, & posterioritatem virtuales in quo perfectionis dependentis. Antecedentis prima pars certa est. Secunda pars probatur. Si decretum esset virtualiter prius in quo scientia visionis sui, & hæc esset virtualiter posterior in quo decreto, scientia visionis decreti non esset in primo illo signo, in quo est decretum, sed in signo sequente: ergo in primo illo signo non cognosceretur à Deo decretum per scientiam visionis, sicque esset veritas decreti in aliquo signo, in quo non sciretur à Deo; quod est absurdum. Idem argumentum fieri potest de complacentia Dei in suo decreto, quæ est virtualiter dependens à decreto, & decretum est virtualiter independens à complacentia; & tamen nec decretum est virtualiter prius in quo complacentia, nec ista posterior in quo illo virtualiter ob eandem rationem, aliàs esset bonitas decreti in aliquo signo, in quo non amaretur à Deo per complacentiam; quod audiri non potest. Ex his etiam generaliter inferri posset, nullam perfectionem diuinam liberam, & contingentem cognosci, aut amari à Deo in primo signo, in quo est; quod, quam absurdum sit, prudentis iudicio relinquo. Quod huic argumento responderi posset, infra impugnandum est ex professo.

934 Probatum tertio. Ad prioritatem, & posterioritatem in quo

vir-

virtualem requiruntur duo signa virtualiter successiva, in quorum primo existat vna perfectio cum virtuali carentia existentiae alterius, connotando existentiam eius pro signo sequente; sicut ad prioritatem, & posterioritatem in quo realem formalem requiruntur duo instantia realiter formaliter successiva, in quorum primo existat vnum cum reali formali carentia existentiae alterius, connotando existentiam eius pro instanti sequente: sed quod vna perfectio sit virtualiter independens ab altera, & haec virtualiter dependens ab illa, non facit, quod perfectio independens sit in suo signo virtuali cum carentia virtuali existentiae perfectionis dependentis: ergo nec facit, quod perfectio independens sit virtualiter prior in quo perfectione dependente, & haec posterior in quo illa virtualiter. Minor probatur. Tum, quia quod vnum extremum sit realiter formaliter independens ab altero, & hoc realiter formaliter dependens ab illo, non facit, quod extremum independens sit in suo instanti reali cum carentia reali formali existentiae extremi dependentis, vt comprobant exempla supra posita probat. 1. nu. 931: ergo similiter quod vna perfectio sit virtualiter independens ab altera, & haec virtualiter dependens ab illa, non facit, quod perfectio independens sit in suo signo virtuali cum carentia virtuali existentiae perfectionis dependentis. Tum, quia quod vna perfectio sit virtualiter independens ab altera, & haec virtualiter dependens ab illa, solum arguit, perfectionem independentem non indigere perfectione dependente, sed potuisse esse sine illa, dependentem vero indigere independente, & non potuisse esse sine illa; non autem arguit, perfectionem independentem esse in suo signo cum carentia virtuali existentiae perfectionis dependentis: aliud enim est, vnam perfectionem habere in suo signo carentiam existentiae alterius, & aliud non indigere illa, & potuisse esse sine ipsa; nam quamuis ambae simul existant, verificabitur semper, perfectionem independentem non indigere alia dependente, & potuisse esse sine illa, non autem e conuerso: ergo quod vna perfectio sit virtualiter independens ab altera, & haec virtualiter dependens ab illa, non facit, quod perfectio independens sit in suo signo virtuali cum virtuali carentia exist-

stentiae

stentiae perfectionis dependentis.

935 Probatur quarto. Virtualis independentia vnus perfectionis ab altera dependente, non est sufficiens ratio ad inducendam carentiam existentiae perfectionis dependentis: ergo neque ad inducendam in illis prioritatem, & posterioritatem in quo. Antecedens probatur. Si independentia vnus perfectionis ab altera dependente, esset sufficiens ratio ad inducendam carentiam existentiae perfectionis dependentis, stante tali independentia a dependente, daretur necessario carentia existentiae perfectionis dependentis: sed stat ea independentia a dependente, quin detur carentia existentiae perfectionis dependentis: ergo ea independentia a dependente non est sufficiens ratio ad inducendam talem carentiam. Minor patet. In signo posteriori, in quo existit iam perfectio dependens, perseverat adhuc eadem independentia vnus perfectionis ab altera dependente, quae erat in priori signo: sed in eo signo posteriori, non datur carentia existentiae perfectionis dependentis: ergo stat ea independentia a dependente, quin detur carentia existentiae perfectionis dependentis.

936 Probatur quinto. Ad prioritatem, & posterioritatem in quo virtuales intervenire debent duo signa virtualiter successiva, quorum prius destruat, & desinat esse virtualiter aduentu posterioris; sicut ad prioritatem, & posterioritatem in quo realem formalem interueniunt duo instantia realiter formaliter successiva, quorum prius destruit, & desinit esse realiter formaliter aduentu posterioris: sed in perfectionibus, virtualiter independente, & dependente, non interueniunt duo signa virtualiter successiva, quorum prius destruat, & desinat esse virtualiter aduentu posterioris: ergo nec prioritas, & posterioritas in quo virtualis. Minor probatur. Signum prius est ipsamet perfectio independens, & independentia eius, & signum posterius est ipsamet perfectio dependens, & dependentia eius, vt est certum, & admittitur ab aduersarijs, cum nihil aliud assignari possit, in quo dicta signa consistant: sed perfectio independens, & independentia eius non destruit, nec desinit esse virtualiter aduentu perfectionis dependentis: imò, adueniente ista, perseverat illa cum sua independentia: ergo

ergo signum prius perfectionis independentis non destruitur, nec desinit esse virtualiter aduentu posterioris signi perfectionis dependentis.

937 Dices, virtualement independentiam à dependente, saltem in potentia libera, & indifferente ad esse, & non esse actus secundi, determinantis illam, qualis est voluntas diuina in ordine ad decretum liberum, dicere exclusionem, & carentiam existentiae actus secundi, determinantis, & dependentis ab illa, aliàs non esset indifferens, sed determinata; atque adeò inducere virtualement prioritatem in quo in potentia libera independente, & virtualement posterioritatem in quo in actu secundo dependente.

938 Contra primò. Potentia libera, & indifferens vt sic dicit solùm virtutem inductiuam actus secundi cum prærequisitis, conducentibus ad positionem eius à parte rei, eiusdemque omissionem: sed exclusio, & carentia existentiae actus secundi nec est virtus inductiuam actus secundi, nec prærequisitum, conducentem ad positionem eius à parte rei, imò ei contradictorie opponitur, ipsumque impedit: ergo potentia libera, & indifferens vt sic non dicit exclusionem, & carentiam existentiae actus secundi. Contra secundò. Indifferentia potentiae liberae est indifferentia ad esse, & non esse actus secundi, vel potius ad esse actus secundi, & omissionem, & carentiam eius, tanquam ad terminos libertatis, & indifferentiae: ergo nec existentiam actus secundi, nec omissionem, & carentiam eius includere potest; non enim potest libertas, & indifferentia includere vllum ex terminis, quos respicit. Contra tertio. Potentia libera, & indifferens vt sic est compossibilis ex se cum quolibet extremo indifferentiae: sed exclusio, & carentia existentiae actus secundi est omnino incompossibilis cum existentia actus secundi, quae est vnum ex extremis indifferentiae: ergo potentia libera, & indifferens vt sic non dicit exclusionem, & carentiam actus secundi.

939 Contra quartò. Potentia libera, & indifferens vt sic est potens ex se, habere actum secundum: sed si includeret carentiam existentiae actus secundi, non esset potens, habere illum; aliàs esset potens, habere simul actum secundum, & carentiam eius,

eius, quod est impossibile: ergo potentia libera, & indifferens vt sic non includit carentiam actus secundi. Contra quintò. In signo, in quo potentia libera ponit à parte rei actum secundum, ponit illum liberè, vt est certum: ergo in eo signo est libertas potentiae in actu primo; si enim hæc non esset, non poneret liberè actum secundum: sed libertas potentiae in actu primo est indifferentia: ergo in signo, in quo potentia libera ponit à parte rei actum secundum, est indifferentia in potentia libera: sed in eo signo non est in potentia libera exclusio, & carentia existentiae actus secundi: ergo indifferentia potentiae liberae non dicit exclusionem, & carentiam existentiae actus secundi. Contra sextò. Si indifferentia potentiae liberae diceret exclusionem actus secundi determinantis, vel esset, quia indifferentia illa esset ex natura sua incompossibilis cum determinatione actus secundi, vel ratione primi signi, in quo existit indifferentia illa. Non primum: nam aliàs indifferentia potentiae liberae non existeret in signo, in quo potentia libera elicit liberè actum secundum, & per ipsum determinatur, quod falsum est, vt vidimus. Non secundum: nam primum signum virtuale, in quo existit indifferentia illa, est ipsamet indifferentia potentiae liberae, cum aliud esse non possit: ergo si talis indifferentia non est ratione sui incompossibilis cum determinatione actus secundi, neque erit incompossibilis cum illa, ratione primi signi.

940 Contra septimò. Quamuis potentia libera, & indifferens vt sic non dicat actum secundum positium, non ideo dicere debet exclusionem, & carentiam existentiae eius, sed præscindit ab utroque; affert quidem secum potentia libera, & indifferens vt sic exclusionem, & carentiam identitati cum actu secundo, & inclusionem eius, sed non affert secum necessariò exclusionem, & carentiam existentiae actus secundi, & conjunctionis cum ipso: nam licet à parte rei debeat necessariò habere, vel actum secundum positium, vel carentiam eius, eo quòd termini isti sint contradictorij, quorum vnus, vel alius debet necessariò existere, tamen secundum se nec dicit actum secundum positium, nec carentiam eius, eo quòd neutrum includat tanquam prædicatum essentiale: sicut licet Petrus à

parte rei debeat necessariò habere albedinem, vel carentiam existentiae eius, tamen neutrum dicit, aut includit secundum se. Vnde licet inter habere actum secundum positivum, & carentiam existentiae eius nullum sit medium, sicque implicet, existerè à parte rei potentiam liberam, & indifferentem purè sine actu secundo positivo, & carentia existentiae eius, est tamen medium inter dicere actum secundum positivum, & carentiam existentiae eius, scilicet praedicata essentialia potentiae liberae, & indifferentis, quae nec actum secundum positivum, nec carentiam existentiae eius includant, sed capacitatem solùm, ut cum illo, vel ista coniungatur. Et quamvis potentia libera, & indifferens non dicat exclusionem, & carentiam existentiae actus secundi, determinantis illam, non ideo definit esse indifferens secundum se in actu primo, licet sit etiam simul determinata iam in actu secundo à parte rei per ipsum actum secundum, quem habet.

941 Nec dicas, carentiam existentiae actus secundi, quam dicit potentia libera, & indifferens, non esse exclusivam, sed praescisivam. Nam implicat in terminis carentia existentiae praescisiva, & non exclusiva: cum enim carentia existentiae sit non esse existentiae, atque adeò impossibilis cum existentia, debet necessariò esse exclusiva eius: unde praescisio potentiae liberae, & indifferentis ab existentia actus secundi, eo ipso quòd exclusiva non sit existentiae actus secundi, non potest esse carentia eius.

942 Censeo secundò. Dependemia per rationem unius perfectionis ab altera per rationem independente, & independentia istius, non sufficit ad fundandam prioritatem rationis in quo perfectionis independentis, & posterioritatem rationis in quo perfectionis dependentis. Haec conclusio eisdem ferè rationibus suaderi potest, ac praecedens. Probatum ergo primò. Prioritas, & posterioritas rationis in quo obiectiva fundari debet in prioritatem, & posterioritatem in quo virtuali: sed in perfectionibus, una per rationem independente, & alia dependente per rationem, non datur prioritas, & posterioritas in quo virtualis; cum virtualis independentia, & dependentia earum, in qua fundatur earundem independentia, & dependentia per ratio-

rationem, non sufficiat ad inducendam prioritatem, & posterioritatem in quo virtualem, ut ostensum est: ergo nec datur in illis prioritas, & posterioritas in quo per rationem.

943 Probatum secundò. Prioritas, & posterioritas rationis in quo constituenda est suo modo ad instar prioritatis, & posterioritatis in quo realis, imò in hac paritate, & similitudine fundant praecipuè adversarij suam doctrinam: sed ad prioritatem, & posterioritatem in quo realem non sufficit realis independentia unius, & dependentia alterius, ut probatum est: ergo nec ad prioritatem, & posterioritatem rationis in quo sufficit rationis independentia unius, & dependentia alterius.

944 Probatum tertio. Si ad prioritatem in quo rationis sufficeret independentia ab alio per rationem, seu in cognosci, posse scilicet cognosci unum, non cognito alio, ea prioritas rationis in quo reperiretur defacto in rebus mutuò independentibus, v. g. in duobus decretis divinis duorum hominum, quorum unum concipi potest, non concepto alio, sicque est independentens ab alio in cognosci: sed hoc est falsum, ut fatentur etiam adversarij; non enim esset, cur unum decretum potius esset prius, quam aliud, cum ambo sint aequè mutuò independentia: ergo ad prioritatem rationis in quo non sufficit independentia ab alio in cognosci. Maior probatur. Si aliquid impediret in dictis decretis prioritatem rationis in quo, stante independentia unius ab alio in cognosci, esset mutua eorum independentia: sed haec non impedit illam: ergo in illis etiam reperiretur defacto prioritas rationis in quo. Minor probatur. Mutua independentia realis extremorum non impedit in ipsis prioritatem in quo realem, ut constat ex dictis supra nu. 930. in Petro heri nato, & Paulo hodie nato, inter quos, etiam si mutuò independentes, datur prioritas in quo realis: ergo nec mutua independentia rationis, seu in cognosci impedit in dictis decretis prioritatem in quo rationis, si aliud non obstat. Vnde ad prioritatem in quo nihil confert, aut officit, quòd independentia sit non mutua, vel mutua: ergo quòd sufficit ad prioritatem in quo in rebus non mutuò independentibus, sufficiet etiam in mutuò independentibus, & quòd in istis non sufficit, nec sufficiet in illis: sed in perfectionibus mutuò in-

dependentibus ad prioritatē rationis in quo non sufficit in-
dependentia vnius ab alia in cognosci, vt patet in decretis su-
pradictis : ergo nec sufficet ad illam in perfectionibus non
mutuò independentibus.

945 Probatur quartò. Scientia visionis decreti diuini est per
rationem, & in cognosci dependens à decreto tanquam à suo
obiecto, & decretū est per rationem, & in cognosci indepēdens
à scientia visionis ; & tamen nec decretum est prius in quo per
rationem scientia visionis sui, nec ista posterior in quo illo per
rationem : ergo dependentia per rationē vnius perfectionis ab
altera, per rationem independente, & independentia istius non
fundat prioritatem rationis in quo perfectionis independen-
tis, & posterioritatem rationis in quo perfectionis dependen-
tis. Antecedentis prima pars patet. Nam cognoscibilitas
sequitur esse, ita vt eo modo sit cognoscibilis dependentē, aut
independentē ab alio, quo in suo esse est dependens, aut in-
dependens ab illo: ergo cū scientia visionis decreti sit in se
dependens à decreto, & hoc in se independens ab illa, illa erit
solūm cognoscibilis dependentē à decreto, & hoc independen-
tē ab illa; sicque scientia erit dependens in cognosci à de-
creto, & hoc independens in cognosci à scientia. Secunda pars
constat. Si decretum esset prius in quo per rationem scientia
visionis sui, & hæc esset posterior in quo per rationem de-
creto, scientia visionis decreti non esset in primo illo signo ratio-
nis, in quo est decretum, sed in signo sequente : ergo in primo
illo signo rationis non cognosceretur à Deo decretum per
scientiam visionis; atque adeò esset veritas decreti in aliquo
signo rationis, in quo non sciretur à Deo, quod est absurdum.
Idem argumentum fieri posset de complacētia Dei in suo de-
creto, vt vidimus supra nu. 933. in secunda probatione primæ
conclusionis.

946 Probatur quintò. Ad prioritatem, & posterioritatem in
quo per rationem non sufficit concipi vnā perfectionem,
non concepta altera præcisiuè, sed vterius requiritur, esse
duo signa rationis successiua, in quorum primo concipiatur
existentia vnius cum carentia existentia alterius, connotando
existentiam eius pro signo sequente : sed quòd vna perfectio
sit

sit per rationem, & in cognosci independens ab altera, & hæc
dependens ab illa, non facit, quòd perfectio independens con-
cipiatur in suo signo rationis existens cum carentia existen-
tia alterius perfectionis dependentis : ergo nec facit, quòd
perfectio independens sit per rationem prior in quo perfectio-
ne dependente, & hæc posterior in quo illa per rationem.
Vtraque præmissa probanda est. Et inprimis probatur maior.
Tum à paritate prioritatis, & posterioritatis realis formalis,
ad quam requiruntur duo instantia realitèr formalitèr succes-
siua, in quorum primo sit existentia vnius extremi cum caren-
tia reali existentia alterius, connotando existentiam eius pro
instanti sequente: ergo similiter ad prioritatem, & posteri-
ritatem in quo per rationem requiruntur duo signa per ratio-
nem successiua, in quorum primo concipiatur existentia vnius
perfectionis cum carentia per rationem existentia alterius,
connotando existentiam eius pro signo sequente. Tum, quia
in decretis diuinis independentibus non ob aliam rationem
vnum non est prius in quo per rationem alio, quamuis sit in-
dependens in cognosci ab illo, vtpote potens cognosci, non
concepto alio præcisiuè, quia non concipitur in suo signo cū
carentia existentia alterius: ergo hæc carentia concipienda est
in signo perfectionis, quæ est prior in quo altera per ratio-
nem.

947 Deinde probatur minor. Tum, quia quòd vnum extre-
mum sit realitèr independens ab altero, & hoc realitèr depen-
dens ab illo, non facit, quòd extremum independens sit in suo
instanti reali cum reali carentia existentia extremi dependen-
tis, vt constat ex exemplis supra positis probat. 1. primæ con-
clusionis nu. 931. & 932: ergo similiter quòd vna perfectio sit
per rationem, & in cognosci independens ab altera, & hæc de-
pendens ab illa, non facit, quòd perfectio independens existat
per rationem in suo signo rationis, concepta cum carentia exi-
stentia perfectionis dependentis. Tum, quia quòd vna perfe-
ctio sit per rationem, & in cognosci independens ab altera, &
hæc per rationem, & in cognosci dependens ab illa, solūm ar-
guit, perfectionem independentem ad sui cognitionem non

indigere perfectione dependente, sed potuisse cognosci sine illa, dependentem verò ad sui cognitionem indigere perfectione independente, & non potuisse cognosci sine illa; non autem arguit, perfectionem independentem esse in suo signo conceptam cum carentia existentiae perfectionis dependentis: aliud enim est, vnam perfectionem esse in suo signo conceptam cum carentia existentiae alterius, & aliud non indigere illa ad sui cognitionem, & potuisse cognosci sine illa; nam quamuis simul omnino cognoscantur existentes, verificabitur semper, perfectionem independentem ad sui cognitionem non indigere perfectione dependente, sed potuisse cognosci sine illa, non verò è conuerso: ergo &c.

948 Confirmatur primò. Independentia per rationem vnius perfectionis ab alia dependente non est sufficiens ratio, vt perfectio independens debeat concipi cum carentia existentiae perfectionis dependentis: ergo neque vt illa sit prior in quo ista per rationem. Antecedens probatur. Si independentia per rationem vnius perfectionis ab alia dependente esset sufficiens ratio, vt perfectio independens debeat concipi cum carentia existentiae perfectionis dependentis, stante tali independentia per rationem à dependente, necessariò deberet concipi perfectio independens cum carentia existentiae perfectionis dependentis: sed stat ea independentia per rationem à dependente, quin concipiatur perfectio independens cum carentia existentiae perfectionis dependentis: ergo ea independentia per rationem à dependente non est sufficiens ratio, vt perfectio independens debeat concipi cum carentia existentiae perfectionis dependentis. Minor probatur. In signo posteriori, in quo existit iam per rationem perfectio dependens, perseverat eadem independentia per rationem vnius perfectionis ab alia dependente, quæ erat in priori signo, cum adhuc verificetur tunc, posse cognosci perfectionem independentem sine perfectione dependente præcisiuè: sed in eo signo posteriori non concipitur iam perfectio independens cum carentia existentiae perfectionis dependentis, aliàs conciperetur simul existentia perfectionis dependentis, & carentia eius, quod implicat: ergo stat ea independentia per rationem à dependente, quin concipia-

piatur perfectio independens cum carentia existentiae perfectionis dependentis.

949 Confirmatur secundò. Eo ipso quòd prioritas, & posterioritas in quo per rationem requirat, quòd perfectio prior concipiatur cum carentia existentiae perfectionis posterioris, requirere etiam debet, quòd perfectio posterior repugnet concipi existens simul in quo cum perfectione priori, & in eodem signo eius, cum repugnet concipi simul in quo existentiam perfectionis posterioris, & carentiam eius: sed independentia per rationem vnius perfectionis ab alia dependente non facit, quòd perfectio dependens repugnet concipi simul in quo existens cum perfectione independente, & in eodem signo eius: ergo nec facit, quòd perfectio independens sit per rationem prior in quo perfectione dependente, & hæc posterior in quo illa per rationem. Minor probatur. Ambæ perfectiones dictæ possunt concipi, & cognosci simul in quo existentes, & defacto simul in quo ita cognoscantur à Deo, non obstante independentia per rationem vnius ab alia dependente: ergo independentia per rationem vnius perfectionis ab alia dependente non facit, quòd perfectio dependens repugnet concipi simul in quo existens cum perfectione independente, & in eodem signo eius.

950 Maior probatur. Tum, quia ambæ perfectiones dictæ, cum sint realitèr identificatæ, & virtualitèr solùm distinctæ, exigunt sibi inuicem coexistere à parte rei simul in quo, saltem supposito quòd existant: ergo realis existentia perfectionis dependentis est à parte rei simul in quo cum existentia perfectionis independentis: ergo quando Deus cognoscit existentiam perfectionis independentis, cognoscit etiam simul existentiam perfectionis dependentis; aliàs esset tunc veritas existentiae perfectionis dependentis, quæ pro tunc non cognosceretur à Deo: ergo ambæ perfectiones, dependens, & independens, cognoscantur à Deo simul in quo existentes, non obstante independentia per rationem vnius ab alia dependente. Tum, quia ambæ perfectiones dictæ sunt simul in quo existentes etiam virtualitèr, etsi vna sit virtualitèr independens ab alia dependente, vt constat ex probationibus primæ conclu-

clusionis: ergo sunt simul in quo cognoscibiles vt existentes. Paret consequentia. Nam cognoscibilitas sequitur esse rerum, ita vt eo modo sint cognoscibiles, quo sunt in se: ergo si ambæ perfectiones dictæ sunt in se simul in quo existentes etiam virtualiter, erunt etiam simul in quo cognoscibiles vt existentes.

951 Confirmatur tertio. Carentia existentie perfectionis dependentis, cum qua conciperetur in suo signo perfectio independentis, vel esset carentia realis formalis, vel virtualis, vel rationis: nulla ex his potest esse: ergo perfectio independentis non concipitur in suo signo cum carentia existentie perfectionis dependentis. Minor probatur. Non realis formalis, vt fatentur aduersarij: cum enim perfectio independentis non sit realiter formaliter distincta à perfectione dependente, sed virtualiter tantum, non potest habere carentiam realem formalem existentie eius. Non virtualis. Nam perfectio independentis non habet carentiam virtualem existentie perfectionis dependentis, imò hæc est simul in quo existens cum illa etiam virtualiter, vt liquet ex probationibus primæ conclusionis. Non denique rationis. Nam si esset carentia rationis, deberet esse cum fundamento in re: at nullum est fundamentum ad concipiendam in perfectione independente carentiam rationis existentie perfectionis dependentis, cum independentia eius per rationem à perfectione dependente non sit ad id sufficiens fundamentum, vt probatum est, sicut nec independentia realis formalis est sufficiens ad fundandam in extremo independente carentiam realem formalem existentie extremi dependentis, & aliud è perfectio dependens, si diuina sit, supposito factum quòd existat, exigit coexistere perfectioni independenti, & esse simul in quo cum ipsa etiam virtualiter: ergo &c.

952 Nec dicas primo, perfectionem independentem in suo signo non dicere carentiam existentie perfectionis dependentis secundum se, sed vt cognitæ, vel potius cognitionis eius. Nam si hoc ita esset, carentia, quam diceret in suo signo perfectio independentis, non esset carentia solum virtualis, aut rationis, sed realis formalis, vt pote carentia cognitionis reali-

ter

ter formaliter distinctæ à perfectione independente: sed hoc est falsum, vt fatentur etiam aduersarij: ergo carentia illa non est carentia existentie perfectionis dependentis vt cognitæ, seu cognitionis eius, sed existentie eius secundum se, à qua virtualiter, & per rationem solum distinguitur perfectio independentis. Nec dicas secundo. Carentiam rationis existentie perfectionis dependentis, quam dicit in suo signo perfectio independentis, non esse exclusiuam, sed præscisiuam. Nam, vt ostendi supra nu. 941. implicat in terminis carentia existentie, quæ exclusiua non sit: ergo nulla carentia existentie potest esse purè præscisiuam.

953 Probatur sexto. In prioritate, & posterioritate in quo per rationem interuenire debent duo signa per rationem successiuam, quorum prius destruat, & desinat esse, adueniente posteriori: sed in perfectionibus independente, & dependente per rationem non interueniunt duo signa per rationem successiuam, quorum prius destruat, & desinat esse, adueniente posteriori: ergo nec prioritas, & posterioritas in quo per rationem. Minor probatur. Signum prius est vel ipsamet perfectio independentis, vel cognitio eius, vel vtraque simul, & signum posterius est vel ipsamet perfectio dependens, vel cognitio eius, vel vtraque simul, vt est constans, cum nihil aliud assignari possit, in quo duo dicta signa consistant: sed perfectio independentis, & cognitio eius non destruitur, nec desinit esse, adueniente perfectione dependente, & cognitione eius, imò vtraque simul cognita perseverat tunc, cum nec illa, nec cognitio eius dicat oppositionem cum ista, aut cognitione eius, vt liquet ex dictis: ergo signum prius perfectionis independentis non destruitur, nec desinit esse, adueniente posteriori signo perfectionis dependentis.

954 Quòd autem dici posset, independentiam per rationem à dependente, saltem in potentia libera, & indifferente, dicere exclusionem, & carentiam existentie actus secundi determinantis, & dependentis ab illa: impugnatum est iam supra à n. 937. vsque ad 940.

955 Ex his Censeo tertio. Dependentiã virtualis, aut per rationem vnius perfectionis ab altera independente, & indepen-

KKK

den-

dentia istius, non sufficit ad futuritionem virtualem, aut per rationem perfectionis dependentis respectu ad independentem. Constat ex dictis. Futuritio virtualis, aut per rationem dicit carentiam virtualem, aut per rationem existentiae rei pro signo antecedente, & existentiam eiusdem pro signo sequente; unde ut perfectio dependens ab alia independente esset virtualiter, aut per rationem futura respectu ad perfectionem independentem, perfectio independens deberet esse virtualiter, aut per rationem prior in quo perfectione dependente, & habere carentiam existentiae eiusdem, & perfectio dependens virtualiter, aut per rationem posterior in quo perfectione independente: sed dependentia virtualis, aut per rationem unius perfectionis ab alia independente, & independentia istius, non inducit in perfectione independente prioritatem in quo virtualem, aut per rationem, & carentiam existentiae perfectionis dependentis, nec in ista posterioritatem in quo virtualem, aut per rationem: ergo nec inducit futuritionem virtualem, aut per rationem perfectionis dependentis respectu ad independentem. Minor probanda est omnibus rationibus supra positis pro 1. & 2. concl. quae ad praesens facile applicari possunt.

956

PUNCTUM II.

Exploditur decretorum Dei liberorum futuritio virtualis, & per rationem.

957 **P**RO declaratione huius doctrinae Censeo primo. Decreta Dei libera non sunt virtualiter posteriora in quo perfectionibus diuinis necessarijs, nec virtualiter futura respectu ad ipsas. Virtuale posterioritatem in quo, & virtuale futuritionem nego simul decretis Dei liberis, quia idem est esse virtualiter posterius in quo alio, ac esse virtualiter futurum respectu ad illud, & e conuerso. Probatum primo destruendo fundamentum aduersariorum. Si decreta Dei libera essent virtualiter futura, & posteriora in quo diuinis perfe-

tio-

ctionibus necessarijs, maxime quia decreta dependent virtualiter a perfectionibus diuinis necessarijs, & istae non dependent ab illis: sed haec ratio est nulla; cum ostensum sit puncto superiori, virtualem dependentiam ab independente non inducere virtuale futuritionem, & posterioritatem in quo dependentis, sicut nec dependentia realis formalis ab independente inducit realem formalem futuritionem, & posterioritatem in quo dependentis: ergo decreta non sunt virtualiter futura, & posteriora in quo perfectionibus diuinis necessarijs.

958 Nec refert, independentiam voluntatis diuinæ a decreto libero dependente esse cum indifferentia ad esse, & non esse decreti, determinantis illam, atque adeo dicere exclusionem, & carentiam decreti determinantis, saltem in signo indifferentiae, alias voluntas diuina non esset pro tunc indifferens, sed determinata; & consequenter inducere futuritionem virtuale decreti. Nam, ut ostensum est fuscè puncto superiori, indifferentia potentiae liberae ad esse, & non esse actus secundi determinantis, non dicit exclusionem, & carentiam existentiae actus secundi determinantis, sed praescindit ab actu secundo, & carentia eius, & ad summum dicit exclusionem, & carentiam identitatis cum actu secundo, & carentiam inclusio- nis eius. Videantur ibi dicta, praesertim à num. 937. vsque ad 940. Praeterea licet indifferentia voluntatis diuinæ excluderet existentiam decreti in primo signo, tamen non est, cur eam excludat in secundo signo, ut volunt aduersarij, ponentes existentiam decreti in tertio signo, & eiusdem futuritionem in secundo: ergo falsa est etiam in hoc aduersariorum doctrina. Antecedens probatur. Tam indifferens est voluntas diuina ad futuritionem, & non futuritionem decreti, quam ad existentiam, & non existentiam eius: at, hoc non obstante, indifferentia diuinæ voluntatis non excludit futuritionem decreti in secundo signo: ergo nec existentiam eius.

959 Probatum secundo ad hominem contra aduersarios, constituentes decretum Dei liberum ex volitione intrinseca diuina necessaria, & ex futuritione extrinseca creaturae, qui nihilominus considerant in praesenti tria signa virtualiter succes-

KKK 2

sua?

sua: in primo ponunt omnes perfectiones Dei necessarias, & res alias necessarias extra Deum: in secundo ponunt futura decreta, & omnes alias diuinas perfectiones liberas, & contingentes, quorum futuritio, (inquiunt,) quia est dependens à perfectionibus diuinis necessarijs independentibus, non potest esse in signo in quo istarum, sed in sequente; & in eodem signo secundo, aiunt esse iam futuras creaturas, quia ad futuritionem istarum non requiritur existentia decreti, sed sufficit futuritio eius, sicut & aliarum causarum: in tertio ponunt existentia iam decreta, & perfectiones diuinas liberas, & contingentes. Hinc sic arguo. Decreta Dei libera in nullo ex his signis possunt esse virtualiter futura: ergo &c. Antecedens probatur. Non in primo, aut in tertio, vt fatentur aduersarij, iuxta quorum doctrinam in primo signo solùm sunt perfectiones diuinæ necessariae, independentes à liberis, & in tertio existunt iam decreta libera. Neque in secundo signo. Nam in secundo signo est constitutum adæquatum decreti actualis: ergo est etiam in illo decretum actuale, & non futurum dumtaxat. Antecedens probatur. Decretum actuale constituitur adæquatè iuxta aduersarios ex volitione diuina necessaria, & futuritione extrinseca creaturæ: sed in secundo signo iuxta eosdem aduersarios est non solùm volitio diuina necessaria, sed simul etiam futuritio creaturæ, cum in eo ponant futuras iam creaturas: ergo est in secundo signo constitutum adæquatum decreti actualis.

960 Dices primò, in secundo signo non esse futuritionem creaturæ, sed futuritionem futuritionis eius, per quam completur, & constituitur decretum vt futurum in secundo signo. Contra primò. Quia existimo, hoc esse contra doctrinam aduersariorum, traditam ab ipsis in diuersis materijs, vbi absolute asserunt, Deum in secundo signo cognoscere iam creaturas vt futuras. Secundò. Quia difficillimè explicari potest, quid sit hæc futuritio futuritionis creaturæ, huc usque inaudita in Scholis; ex qua sequitur processus infinitus signorum, & futuritionum: nam si ante futuritionem creaturæ datur futuritio futuritionis eius: ergo ante istam dabitur etiam alia eius futuritio, & ante istam alia, & sic in infinitum. Tertio. Quia

vt creatura sit futura, sufficit esse futuras causas eius: sed decretum diuinum non est causa creaturæ: ergo vt ista sit futura, sufficit, illud esse futurum: sed in secundo signo iuxta aduersarios est iam decretum futurum: ergo est etiam in illo futura creatura.

961 Dices secundò, creaturam non esse futuram in secundo signo, quia carentia existentiae creaturæ, constituens futuritionem eius, & complens decretum actuale, non est in secundo signo, sed in tertio signo, in quo est decretum actuale; in secundo autem signo esse solùm futuritionem virtualem talis carentiae existentiae creaturæ, quæ futuritio virtualis constituitur per carentiam virtualem talis carentiae existentiae creaturæ, per quam completur decretum virtualiter futurum in secundo signo: esse autem in secundo futuritionem virtualem carentiae existentiae creaturæ, deducitur ex eo, quod cum talis carentia existentiae creaturæ sit libera, debet esse virtualiter futura in secundo signo.

962 Contra primò. Si in secundo signo non est futuritio creaturæ, sed futuritio virtualis carentiae existentiae creaturæ, constituentis futuritionem ipsam formalem creaturæ: ergo est in secundo signo futuritio futuritionis creaturæ, & sic hæc solutio coincidit cum solutione præcedente, estque eisdem rationibus impugnanda. Contra secundò. Sola carentia existentiae creaturæ non est futuritio creaturæ, sed ipsa simul cum existentia creaturæ postea ponenda; nam quamuis esset carentia existentiae creaturæ, si non esset postea ponenda à parte rei existentia eius, non esset futuritio creaturæ, vt patet in carentia existentiae creaturæ merè possibilis, quæ non constituit futuritionem creaturæ, eo quod non sit postea ponenda à parte rei existentia eius: ergo sola illa carentia existentiae creaturæ non complet decretum actuale creaturæ; hoc enim completur per futuritionem creaturæ, si enim non esset futuritio creaturæ, licet daretur carentia existentiae eius, non esset decretum creaturæ.

963 Confirmatur primò. Decretum creaturæ est quid posituum, Deus enim positiuè decernit, eam producere: ergo non potest constitui per carentiam. Confirmatur secundò. Decretum

tum creaturæ, à Deo semel habitum ab æterno, permanet semper in ipso immutatum, etiam producta in tempore creatura: sed, producta in tempore creatura, iam non potest decretum constitui per carentiam existentie creaturæ, quæ tunc iam non est: ergo nec constituitur ab æterno per illam, vel erit in tempore aliud decretum distinctum ab eo, quod fuit ab æterno; quorum vnum per existentiam creaturæ, & aliud per carentiam eius constituitur. Confirmatur tertio. Quamvis Deus non haberet decretum creaturæ, adhuc esset carentia existentie creaturæ simul cum entitate volitionis necessaria Dei: ergo sola hæc carentia cum entitate volitionis necessaria Dei non constituit decretum creaturæ: aliàs, eis stantibus, non posset non esse tale decretum.

964 Contra tertio. Virtualis carentia, & futuritio carentie existentie creaturæ, licet libera sit, est nihilominus in secundo signo: ergo similiter, licet libera sit carentia existentie creaturæ, poterit esse in secundo signo. Contra quarto. Ad futuritionem creaturæ sufficit futuritio decreti, sicut & aliarum causarum eius: sed futuritio decreti iuxta aduersarios est in secundo signo: ergo & futuritio creaturæ. Contra quinto. Si in secundo signo non esset carentia existentie creaturæ, sed futuritio virtualis eius: ergo esset in secundo signo carentia carentie existentie creaturæ, constituens futuritionem virtualem eius: ergo esset in secundo signo existentia ipsa creaturæ, quod implicat iuxta aduersariorum doctrinam. Patet hæc consequentia. Nam, stante carentia carentie rei, est res, cum carentia carentie rei vel sit ipsamet res, vel ipsam necessariò comitetur; sic stante carentia carentie visus, est visus, & stante carentia tenebrarum, est lux: ergo si in secundo signo esset carentia carentie existentie creaturæ, esset in illo existentia ipsa creaturæ. Confirmo. In quolibet signo in quo debet verificari, esse rem, vel eius carentiam, cum hæc sint contradictoria: ergo in signo, in quo non est carentia rei, est res: ergo si iuxta aduersarios in secundo signo non est carentia existentie creaturæ, erit in illo existentia creaturæ.

965 Contra sexto. Si in secundo signo est carentia carentie existentie creaturæ, cum hæc carentia carentie sit libera, & contin-

tingens, debet esse à volitione libera Dei; nihil enim Deo liberum, & contingens, potest esse sine volitione libera Dei: at hæc volitio Dei libera esset actualis in secundo signo: ergo potest esse in secundo signo volitio Dei libera actualis, & non futuritio eius solùm. Minor probatur. Hæc volitio Dei libera iuxta aduersarios constitueretur ex volitione diuina intrinseca necessaria, & carentia illa carentie: sed tam dicta volitio, quam carentia illa carentie esset actualis in secundo signo: ergo & volitio Dei libera. Confirmo. In secundo signo esset actualis scientia diuina libera illius carentie carentie: ergo & volitio diuina libera eiusdem carentie. Patet consequentia. Nam tam scientia libera, quam volitio libera dictæ carentie completur per ipsam carentiam iuxta aduersariorum doctrinam: ergo si quia illa carentia est in secundo signo, est in eo scientia libera, completa per ipsam, erit similiter in eo volitio libera, completa per eandem carentiam.

966 Probatur tertio. Deo, eiusque perfectionibus tribuenda est omnis perfectio simpliciter simplex: sed decreta diuina non esse virtualiter futura, & posteriora in quo perfectionibus necessarijs, est perfectio simpliciter simplex: ergo hæc perfectio tribuenda est Deo, eiusque decretis. Minor probatur. Perfectio simpliciter simplex est, que melior, & perfectior est ipsa, quam non ipsa, ut profitentur Theologi cum sancto Anselmo: sed melius, & perfectius est, decreta diuina non esse virtualiter futura, & posteriora in quo perfectionibus necessarijs, quam esse talia: ergo id est perfectio simpliciter simplex. Minor probatur. Ut decreta diuina constituentur virtualiter futura, & posteriora in quo perfectionibus necessarijs, debent constitui cum virtuali carentia existentie in signo in quo perfectionum necessariorum, & incipientia existere in aliquo signo sequente: sed melius, & perfectius est, decreta diuina virtualiter existere in omni signo in quo simul cum perfectionibus necessarijs, quam non existere in signo in quo earum, & incipere in signo sequente; sicut melius, & perfectius est, ea existere in omni instanti reali simul cum perfectionibus necessarijs, quam non existere in omni instanti earum, & incipere in aliquo instanti sequente: ergo melius, & perfectius est,

est, decreta diuina non esse virtualiter futura, & posteriora in quo perfectionibus necessarijs, quàm talia esse. Minor patet. Tum, quia melius, & perfectius est, esse virtualiter in omni signo in quo, quàm non esse in omni signo, & non incipere adhuc virtualiter, quàm incipere: ergo &c. Tum, quia simultas in quo existentij decretorum cum perfectionibus necessarijs, tam realis formalis, quàm virtualis est sine dubio maior simultas, quàm simultas solùm realis formalis: ergo erit melior, & perfectior illa simultas in quo, quàm illa, si possibilis sit: sed est possibilis: ergo est melior, & perfectior. Minor probatur. Si non esset possibilis simultas illa in quo etiam virtualis decretorum cum perfectionibus necessarijs in omni signo earum, maximè propter virtualem dependentiam decretorum à perfectionibus necessarijs independentibus: sed dependentia virtualis ab independente non reddit impossibilem simultatem in quo etiam virtualem dependentis cum independente in omni signo eius, vt ostensum est puncto superiori: ergo est possibilis simultas illa in quo etiam virtualis decretorum cum perfectionibus necessarijs.

967 Nec refert, etiam simplicitatem, & identitatem virtualem esse maiorem, quàm realem formalem, & tamen eam non esse meliorem in perfectionibus diuinis, inter quas ponitur distinctio virtualis. Nam licet illa simplicitas, & identitas virtualis maior sit, tamen ea non esset possibilis, nec melior in perfectionibus diuinis, quia non sineret, verificari de illis prædicata contradictoria, quæ defacto verificantur cum maxima perfectione: in nostro autem casu simultas virtualis decretorum cum perfectionibus necessarijs nullam eorum perfectionem impedit, imò eam extollit, vt dictum est. Hinc fit, voluntatem diuinam exigere, quòd sua decreta libera existant in omni signo in quo simul cum diuinis perfectionibus necessarijs, & eandem simultatem in quo exigere ipsamet decreta diuina libera, tanquam perfectionem simpliciter simplicem, sibi debitam.

968 Probatur quartò. Voluntas diuina in primo signo in quo est perfectissimè libera, atque adeò proximè potens, completa, & expedita cum omnibus requisitis ad decernendam liberè

re creaturam: ergo potest illam liberè decernere in primo signo in quo; potentia enim libera, proximè potens, completa, & expedita cum omnibus requisitis ad actum secundum, potest in ipsum prodire, nec est, cur in ipsum non prodeat, imò esset imperfectio voluntatis diuinæ, sic constitutæ, si in primo signo in quo non posset liberè decernere, sicut esset imperfectio, si in primo instanti reali non posset liberè decernere. Antecedens patet. Potentia proxima, completa, & expedita cum omnibus requisitis ad liberè decernendam creaturam, non est perfectio contingens, sed omnino necessaria: ergo competit diuinæ voluntati in primo signo, in quo iuxta aduersarios sunt omnes perfectiones necessariæ.

969 Confirmatur primò. Voluntas tam diuina, quàm creata, proximè potens, completa, & expedita cum omnibus requisitis ad liberè decernendum, si liberè non decernit, liberè omittit decernere: ergo cum voluntas sit talis in primo signo, si in illo non decernit liberè creaturam, liberè omittit decernere illam: ergo erit aliquid liberum in primo signo, scilicet ommissio libera decreti creaturæ, atque adeò potuit etiam esse in illo decretum creaturæ; cum non sit maior ratio omissionis liberæ decreti, quàm ipsius decreti. Confirmatur secundò. In primo signo in quo, altera harum propositionum contradictoriarum debet esse vera, *creatura erit, creatura non erit*; in quolibet enim signo in quo, est verum de qualibet re, quòd est, vel non est, quòd erit, vel non erit: vel ergo in primo signo in quo, est vera prima propositio, scilicet *creatura erit*, vel secunda, scilicet *creatura non erit*. Si prima: ergo in primo signo in quo, est iam decretum producendi creaturam. Si secunda: ergo in primo signo in quo, erit decretum non producendi ipsam; voluntas enim diuina non potest merè negatiuè, & omisiuè se habere circa obiectum, sed debet aut velle, aut nolle illud.

970 Probatur quintò. Si decretum diuinum esset virtualiter futurum, in signo in quo futuritionis eius daretur virtualis carentia existentie ipsius: sed in nullo signo est possibilis virtualis carentia existentie decreti: ergo nec futuritio eius. Minor probatur. Nam, vt ostendimus in materia de Scientia Dei disp. 1. cap. 3. nulla virtualitas, aut esse virtuale potest esse

per se solitariè sine aliqua perfectione reali formali, qua innitatur, & cum qua identificetur, ut admittunt etiã aduersarij; sic conceptus radicis virtualis volitionis diuinæ innititur, & identificatur cū perfectione reali formali intellectiois diuinæ, scilicet reali formali representatione obiecti, ratione cuius intellectio diuina est virtualis radix volitionis, & cum eadem perfectione reali formali intellectiois diuinæ identificatur conceptus distinctionis virtualis eius à personalitatibus diuinis; sed virtualis carentia existentia decreti cum nulla perfectione reali formali identificari potest: ergo nō est possibilis. Minor probatur. Vel virtualis carentia existentia decreti identificaretur cum diuinis perfectionibus necessarijs, vel cum decreto ipso, vel cum independentia perfectionum necessariarum à decreto, & dependentia istius ab illis, vel cum his omnibus simul: sed cum nullo ex his quatuor identificatur, nec est assignabilis alia perfectio realis formalis, cum qua identificari possit: ergo cum nulla perfectione reali formali identificari potest.

971 Minor probatur, discurrendo per singula. Non cum primo. Tum, quia virtualis carentia existentia decreti desinit esse, posita existentia decreti, sicut quælibet alia carentia desinit esse, posita existentia rei, cuius est carentia: sed diuinæ perfectiones necessariae non desinunt esse, posita existentia decreti, ut patet: ergo diuinæ perfectiones necessariae non sunt virtualis carentia existentia decreti, nec ista cum illis identificatur. Tum, quia si virtualis carentia existentia decreti identificaretur cum diuinis perfectionibus necessarijs, esset in eodem primo signo in quo earum, quod negant aduersarij. constituentibus eam in secundo signo futuritionis decreti: ex quo ulterius sequeretur, futuritionem decreti esse in primo signo, & non in secundo; nam futuritio rei est in eo signo, in quo est carentia existentia rei, ponenda in altero signo sequente: ergo si in primo signo perfectionum necessariarum esset virtualis carentia existentia decreti, ponenda in altero signo sequente, esset in illo futuritio decreti. Non cum secundo. Tum, quia virtualis carentia existentia decreti est non esse decreti: ergo non est ipsum decretum, sed distincta ab ipso. Tum, quia talis carentia

carentia opponitur contradictoriè cum decreto: ergo non identificatur cum ipso. Tum, quia talis carentia existit, non stante decreto, & hoc posito, destruitur, & desinit esse: ergo non est ipsum decretum, aut idem cum ipso. Non cum tertio. Nam independentia perfectionum necessariarum à decreto sunt ipsæmet perfectiones necessariae, ex se non indigentes existentia decreti, & dependentia decreti ab illis est ipsamet decretum, ex se indigens existentia earum: sed virtualis carentia existentia decreti nec cum perfectionibus necessarijs, nec cum decreto identificatur, ut ostensum est: ergo nec cum independentia illarum, & dependentia istius. Non denique cum quarto. Nam in tertio signo existentia decretorum existunt simul omnia dicta, scilicet perfectiones necessariae, decretum, & independentia illarum ab isto, & dependentia istius ab illis: & tamen non existit iam virtualis carentia existentia decreti, sed ipsum decretum: ergo talis carentia nec cum omnibus ijs quatuor simul identificatur.

972 Confirmatur. Virtualis carentia existentia decreti, quam ponunt aduersarij in secundo signo, deberet esse vel necessaria, vel libera, & contingens: sed neutra esse potest: ergo non est possibilis. Minor probatur. Non necessaria; aliàs esset in primo signo, in quo sunt omnia necessaria, quod negant aduersarij. Non libera, & contingens, Tum, quia aliàs liberè, & contingentèr existeret in secundo signo virtualis carentia existentia decreti: ergo posset non existere in tali signo: ergo posset in eo existere decretum, quod non admittent aduersarij; carentia enim existentia decreti non aliter deficere posset in tali signo, nisi existente decreto in illo, sicut quæuis alia carentia deficit solùm per existentiam termini, cuius est carentia. Tum, quia existentia dictæ carentia in secundo signo non pendet ex futuritione libera, & contingente decreti, imò quamuis non esset futurum decretum, esset nihilominus in tali signo dicta carentia existentia decreti: ergo dicta carentia nō esset liberè, & contingentèr in tali signo.

973 Probatur sexto. Si decreta diuina essent virtualitèr futura, cognoscerentur à Deo ut virtualitèr futura; nulla enim veritas potest nesciri à Deo: sed non possunt à Deo cognosci ut

virtualitèr futura: ergo non sunt virtualitèr futura. Minor probatur. Scientia diuina, cognoscens decreta vt virtualitèr futura, vel esset existens in primo, vel in secundo, vel in tertio signo: in nullo ex his signis potest esse existens: ergo decreta non possunt à Deo cognosci vt virtualitèr futura. Minor probatur, discurrendo per singula signa. Non in primo. Tum, quia in primo signo iuxta aduersarios sunt solùm diuinæ perfectiones necessariæ, independentes à liberis: scientia autem diuina futuritionis liberæ decretorum est libera, & contingens, ac dependens à perfectionibus diuinis necessarijs, independentibus ab ipsa: ergo hæc scientia non esset existens in primo signo. Tum, quia si hæc scientia esset existens in primo signo, aliqua perfectio libera, dependens à perfectionibus necessarijs independentibus, qualis est hæc scientia, esset in primo signo in quo perfectionum necessariorum contra aduersarios, & sic idem dici posset de decretis liberis: ergo hæc scientia non esset existens in primo signo. Non in tertio. Nam cum in tertio signo non sint futura decreta, sed actualia iam, non potest tunc existere scientia cognoscens, ea esse futura sed cognoscens ad summum, ea fuisse futura in signo secundo antecedente; vnde esset veritas futuritionis decreti in secundo signo, in quo non sciretur, & cognosceretur à Deo, quod est absurdum, Deus namque est potens cognoscere quamlibet veritatem, dum est, & non postquam est præterita tantùm. Non denique in secundo. Nam iuxta aduersarios perfectio dependens non potest esse in eodem signo perfectionis independentis, sed in signo sequente: sed scientia diuina futuritionis decretorum esset dependens ab eorum futuritione, & eorum futuritio esset independens à scientia; non enim ideo essent futura decreta, quia cognoscerentur vt futura, sed è conuerso ideo cognoscerentur vt futura, quia in se futura essent: ergo hæc scientia iuxta aduersariorum doctrinam non esset existens in secundo signo futuritionis decretorum. Quòd si hæc scientia ponatur in eodem signo in quo simul cum futuritione decretorum, non obstante dependentia illius ab ista independente, dici similiter poterit, decreta esse in eodem signo in quo perfectionum necessariorum, non obstante dependentia

tia illorum ab illis independentibus.

974 Hinc ex contraria sententia sequi videntur duo contradictoria simul vera, scilicet in secundo signo futuritionis decretorum existere, & non existere scientiam eius. Non existere ob rationem dictam dependentiæ eius à futuritione decretorum independente. Existere, Tum, quia aliàs esset veritas futuritionis decreti in secundo signo, in quo non sciretur à Deo. Tum, quia scientia futuritionis decretorum iuxta aduersarios stat in intellectione diuina necessaria, & futuritione ipsa decretorum: sed hæc duo sunt in secundo signo: ergo & scientia talis futuritionis.

975 Dices, dependentiam virtualem ab independente inducere virtualem futuritionem, & posterioritatem in quo rei dependentis, quando nullus est, qui exigat, rem dependentem esse simul in quo cum independente, vel, vt quidam loquuntur, quando nullus est, qui exigat, esse rem dependentem tam cito, ac independentem; non verò quando est, qui exigat, esse rem dependentem simul in quo cum independente, & tam citò, ac istam: ex quo fit, scientiam diuinam futuritionis decretorum, etiam si dependentem ab ista independente, esse in eodem signo in quo talis futuritionis, & simul cum ipsa, quia intellectus diuinus exigit, esse talem scientiam simul cum futuritione decretorum, & tam citò, ac veritatem eius; quod aliter contingit in decretis diuinis, dependentibus à perfectionibus necessarijs independentibus, quæ non sunt in eodem signo in quo earum, sed virtualitèr futura, & posteriora in quo ipsis, quia non est, qui exigat, decreta esse simul in quo cum perfectionibus necessarijs, & tam cito, ac istas.

976 Contra primò. Independentia realis formalis à dependente non inducit futuritionem, & posterioritatem in quo realem formalem rei dependentis, etiam quando nullus exigit, rem dependentem esse simul cum independente, & tam citò, ac istam: ergo nec independentia virtualis à dependente inducet futuritionem, & posterioritatem in quo virtualem rei dependentis, etiam quando nullus exigit, rem dependentem esse simul cum independente, & tam citò, ac istam; atque adeò quamuis nullus exigeret, decreta diuina esse simul in quo cum perfectionibus

bus necessarijs, & tam citò, ac ipsas, non ideo dependentia virtualis illorum ab istis independentibus induceret in illis virtuales futuritionem, & posterioritatem in quo. Antecedens probatur. Tum in actu libero determinato, elicitò defacto à Christo, & Angelis in primo suæ creationis instati, qui non fuit realitèr posterior in quo voluntate Christi, & Angelorū, quāvis fuerit realitèr formalitèr dependens ab ipsorum voluntate indepēdente, nullo exigente, esse tam citò talem actum, ac voluntatem eorum. Et hoc magis vrgeret, si actus, elicitus tunc ab Angelo, esset peccatum, vt contingere potuisse, docent gravissimi Doctores in materia de Angelis, quem actum exigere non poterat natura Angeli. Tum, quia si Deus creasset Angelum ab æterno, Angelus non fuisset realitèr formalitèr futurus, & posterior in quo Deo, quamvis esset realitèr formalitèr dependens à Deo indepēdente, nullo exigente, esse tam citò Angelum, quàm Deum: ergo &c.

977 Contra secundò. Si intellectus diuinus exigat, esse tam citò scientiam futuritionis decreti, ac talem futuritionem, & simul cum ipsa, etiam voluntas diuina exigat, esse tam citò sua decreta, ac perfectiones necessarias, & simul cum ipsis, imò & decreta ipsa, ita esse, exigunt: ergo si ob exigentiam illam intellectus diuini ponitur scientia futuritionis decreti in eodem signo in quo talis futuritionis sine virtuali posterioritate in quo, etiam ob exigentiam illam voluntatis diuinæ, & ipsorum decretorum constituenda erunt decreta in eodem signo in quo perfectionum necessariorum sine virtuali futuritione, & posterioritate in quo. Antecedentis secunda pars, in qua est difficultas, patet ex probatione tertia superiori nu. 966. Nam voluntas diuina debet exigere in suis decretis, quidquid est in illis perfectio simpliciter simplex, & idem exigunt in se decreta ipsa: sed decreta diuina esse tam citò, ac perfectiones necessarias, & simul omnino in quo cum ipsis in omni signo, est perfectio simpliciter simplex, vt ibi ostensum est: ergo id exigat voluntas diuina, & decreta ipsa; sicut intellectus diuinus exigat, esse tam citò scientiam futuritionis decreti, ac talem futuritionem, & simul in quo cum ipsa, quia id est perfectio simpliciter simplex. Nec potest impedire exigentiam simultatis in quo

quo decretorum cum perfectionibus necessarijs dependentia eorum ab istis independentibus; cum nec dependentia scientiæ à futuritione decretorum indepēdente impediatur exigentiam simultatis in quo illius cum futuritione decretorum.

978 Confirmatur primò. Voluntas diuina exigat, esse tam cito decretum actuale, ac est constitutum eius: sed constitutum decreti actualis est in secundo signo iuxta aduersariorum doctrinam, constituentem decretum actuale ex volitione diuina necessaria, & futuritione extrinseca creaturæ, vt ostensum est supra probatione secunda à nu. 959: ergo & est decretum actuale in secundo signo, atque adeò non est futurum in illo. Confirmatur secundò. In secundo signo est amor actualis liber futuritionis decreti: ergo & potest esse in illo decretum actuale liberum, cum non sit potior ratio vnius, quàm alterius, nec sit, qui exigat existentiam vnius potius, quàm alterius. Antecedens probatur. Amor actualis liber futuritionis decreti constituitur iuxta aduersarios ex volitione diuina necessaria, & futuritione decreti: sed vtraque hæc est in secundo signo iuxta aduersarios: ergo & amor liber futuritionis decreti.

979 Hinc probatur septimò conclusio. Scientia libera futuritionis decretorum est dependens à perfectionibus necessarijs, & istæ sunt indepēdentes ab illa: vel ergo hæc scientia est virtualitèr futura, sicut decreta, vel non est virtualitèr futura, sed existens iam in primo signo simul cum perfectionibus necessarijs. Non secundum. Tum quia aliàs esset aliqua perfectio diuina, dependens à perfectionibus necessarijs indepēdentes, quæ non esset futura, sed in omni signo actualis, sicque idem dici poterit de decretis. Tum quia licet intellectus diuinus exigat, talem scientiam esse tam citò, ac futuritionem decretorum, quam cognoscit, quia esset imperfectio, non cognosci à Deo futuritionem decretorum in signo, in quo est, tamen non est, cur exigat, esse eam tam citò, ac perfectiones necessarias, potius quàm decreta libera; respectiue enim ad perfectiones necessarias paria esse debent decreta, & scientia dicta: ergo vel decreta sunt etiam tam citò, ac perfectiones necessariæ, vel nec scientia dicta erit tam citò, ac illæ. Neque primum; cum talis scientia in nullo signo possit esse futura.

Non enim in primo. Tum quia in primo signo iuxta aduersarios solùm sunt diuinæ perfectiones necessariæ, non verò futuritio perfectionum liberarum, qualis est dicta scientia. Tum quia futuritio dictæ scientiæ esset dependens à perfectionibus necessarijs independentibus: ergo non posset esse in signo eorum iuxta aduersariorum doctrinam. Tum quia si in primo signo esset futura dicta scientia: ergo in primo signo cognosceret illam reflexè Deus vt futuram: ergo in primo signo esset scientia actualis reflexa futuritionis dictæ scientiæ, non obstante, quòd hæc scientia reflexa esset libera, ac dependens à perfectionibus necessarijs independentibus. Neque in secundo, aut tertio signo. Nam in secundo signo est iam actualis dicta scientia futuritionis decretorum, vt dicunt aduersarij; non enim potest dici, Deum in secundo illo signo nescire veritatem futuritionis decretorum, quæ est in tali signo: ergo in nullo signo potest esse futura dicta scientia futuritionis decretorum.

980 Idem argumentum fieri posset de carentia virtuali existentia decretorum, constituyente virtuale futuritionem eorum in secundo signo, si hæc carentia constituatur ab aduersarijs libera, & contingens iuxta inferiùs dicenda; quæ licet dependens sit à perfectionibus necessarijs, independentibus ab ipsa, tamen non est futura, sed actualis in secundo signo. Et hoc fortius vrgeret in carentia futuritionis, & existentia decretorum, quæ est in primo signo, cum in eo iuxta aduersarios decreta nec sint futura, nec existentia: hæc enim carentia, si libera sit, licet dependens esset à perfectionibus necessarijs, independentibus ab ipsa, nihilominus non esset futura, sed actualis iam in primo signo: ergo idem dici posset de decretis diuinis, etiam si dependentibus à perfectionibus necessarijs, independentibus ab ipsis.

981 Probat octauò. Si decreta diuina essent virtualiter futura, deberent esse futura etiam in primo signo in quo perfectionum necessariorum: sed non possunt esse futura in primo signo in quo perfectionum necessariorum, sed in secundo iuxta aduersarios; eo quòd cum futuritio decretorum sit libera, & dependens à perfectionibus necessarijs independentibus, debet

debet esse posterior in quo illis, non minùs quàm existentia eorum: ergo nõ sunt virtualiter futura. Maior probatur. Decreta debent esse futura in signo, in quo verificatur, non esse decreta, postea extitura; & propterea aiunt aduersarij, esse futura decreta in secundo signo, quia in tali signo secundo verificatur, non esse decreta, postea extitura in tertio signo: sed in primo signo perfectionum necessariorum verificatur, non esse decreta, postea extitura in tertio signo iuxta ipsorum doctrinam: ergo debent esse futura in primo signo in quo perfectionum necessariorum. Minor, præterquàm quòd meo iudicio continet doctrinam ipsam aduersariorum, declaratur ampliùs hoc dilemmate. Decreta, quæ extitura dicuntur in tertio signo, vel sunt iam in primo signo in quo perfectionum necessariorum, vel non sunt in illo. Primum non dicunt aduersarij; nam aliàs essent semper existentia decreta, nec vlla præcessisset carentia existentia eorum, cum ante primum signum perfectionum necessariorum nullum fuerit signum, in quo præexistere potuerit carentia existentia eorum; & consequenter non essent futura. Si dicant secundum: ergo in primo signo in quo perfectionum necessariorum verificatur, non esse decreta, postea extitura in tertio signo. Quòd autem debeant decreta esse, vel non esse in primo signo in quo perfectionum necessariorum, est plusquàm euidens, cum sint contradictoria, ex quibus vnum debet esse verum, & aliud falsum: imò aduersarij interrogati, velint nolint approbant sua responsione, non esse decreta in primo illo signo; nam si interrogentur, an existant decreta in primo signo, statim respondent, non existere in illo, nec possunt, aliud respondere, cum ipsi sentiant, existentiam decretorum quasi incipere in tertio signo.

982 Confirmatur. Scientia diuina libera futuritionis decretorum, quam probation. 7. nu. 979. diximus, debere esse etiam virtualiter futuram iuxta aduersariorum principia, non potest esse virtualiter futura nisi in primo signo perfectionum necessariorum: ergo in eodem signo poterunt esse etiam futura decreta; si enim dependentia futuritionis dictæ scientiæ à perfectionibus necessarijs independentibus non facit illam posteriorem in quo istis, nec tollit illi simultatem in quo cum

ipsis, nec dependentia futuritionis decretorum à perfectionibus necessarijs independentibus faciet illam posteriorem in quo istis, nec tollet illi simultatem in quo cum ipsis. Antecedens probatur. Tum quia dicta scientia solum potest esse futura in signo antecedente existentiam eius: sed solum primum signum perfectionum necessariorum antecedit existentiam dictæ scientiæ, cum ea existat iam in secundo signo, ut fatentur aduersarij: ergo dicta scientia non potest esse futura nisi in primo signo perfectionum necessariorum. Tum quia in primo signo perfectionum necessariorum verificatur, non esse dictam scientiam, postea extitit in secundo signo, immediate sequente: ergo debet esse futura in primo illo signo. Si autem concedatur, futuritionem decretorum, aut scientiæ dictæ esse in primo signo in quo perfectionum necessariorum, non obstante dependentia eius à perfectionibus necessarijs independentibus, non erit, cur negetur, esse in eodem illo signo existentiam eorundem, non obstante dependentia eius à perfectionibus necessarijs independentibus, cum non sit potior ratio vnius, quàm alterius.

983 Nec refert, in primo signo in quo perfectionum necessariorum non esse decreta, & scientiam dictam præscisive, non autem exclusivè, & negativè per veram carentiam eorum. Tum quia iuxta aduersarios in toto illo signo primo non existunt decreta, & scientia dicta: ergo sunt exclusa à toto illo signo: ergo verificatur, non esse in illo exclusivè, & negativè per veram carentiam eorum. Tum quia si in primo illo signo non est carentia existentiae decretorum, & scientiæ dictæ esset in illo carentia existentiae eorum: ergo esset in illo existentia decretorum, & scientiæ dictæ. Patet consequentia. Nam, stante carentia existentiae rei, existit res, cum carentia existentiae rei, vel sit ipsamet existentia rei, vel eam necessariò comitetur: ergo si in primo illo signo esset carentia existentiae decretorum, & scientiæ dictæ, esset in illo existentia eorum. Tum quia in secundo signo est vera exclusio, & carentia existentiae decretorum, quia in illo verificatur, non existere decreta: sed hoc idem verificatur in primo signo

igno iuxta aduersarios: ergo est etiam in primo signo vera exclusio, & carentia existentiae eorum. Tum quia aduersarij colligunt exclusionem, & carentiam existentiae decretorum ex indifferentia diuinæ voluntatis ad esse, & non esse decretorum: sed hæc indifferentia diuinæ voluntatis est in primo signo perfectionum necessariorum: ergo in eodem primo signo debet esse exclusio, & carentia existentiae decretorum, vel in nullo. Tum quia carentia existentiae decretorum non est libera, & contingens, ut ostendi supra nu. 972: ergo est necessaria: ergo existit in primo signo, in quo sunt omnia necessaria: ergo verificatur in primo signo, non esse in illo decreta exclusivè, & negativè per veram carentiam eorum. Tum quia carentia existentiae decretorum non est posterior in quo perfectionibus necessarijs: ergo est simul in quo cum illis, & in primo signo earum. Antecedens probatur. Si esset posterior in quo, maxime, quia esset dependens à perfectionibus necessarijs, & istæ independentes ab illa: sed hoc secundum est falsum: ergo non est posterior in quo. Minor probatur. Perfectiones necessariae non possunt esse sine carentia existentiae decretorum in signo, in quo est talis carentia, cum in signo, in quo est talis carentia existentiae decretorum, nec possint, nec potuerint existere decreta iuxta aduersarios: ergo perfectiones necessariae non sunt independentes à carentia existentiae decretorum in signo, in quo est talis carentia, sed connexæ cum illa, eamque exigentes in tali signo: erunt igitur mutuò dependentes, & connexæ perfectiones necessariae, & existentia dictæ carentiæ in suo signo, atque adeò simul in quo.

984 Dices, esse duplicem carentiam existentiae decretorum, vnam necessariam, existentem in primo, & secundo signo, quæque existeret in illis, quamvis decreta non essent futura, & hanc quia necessariam non constituere futuritionem liberam decretorum; aliam verò liberam, & contingentem, comitantem futuritionem liberam decretorum in secundo signo, quæque non existeret in tali signo, si decreta non essent futura, & hanc constituere futuritionem liberam decretorum.

985 Contra primò. Carentia illa prima existentiae decretorum, quamvis necessaria sit, posset constituere futuritionem liberam

decretorum: ergo frustra ponitur secunda carentia eiusdem existentiae decretorum libera, & contingens ad constituendam futuritionem liberam decretorum. Antecedens probatur. Tum quia carentia durationis hodiernae erat necessaria ab aeterno, cum non potuerit non esse ab aeterno; & tamen continebat ab aeterno futuritionem talis durationis: ergo etiam prima illa carentia existentiae decretorum, quamvis necessaria, posset constituere futuritionem decretorum. Tum quia indifferentia divinae voluntatis, constituens iuxta aduersarios futuritionem liberam decretorum, est necessaria in se: ergo etiam carentia existentiae decretorum, constituens eandem illam futuritionem liberam decretorum, posset esse necessaria. Et ratio est. Nam ad futuritionem rei solum requiritur, rem non esse in vno instanti, vel signo, & esse in sequente; quod autem illud non esse rei sit contingens, vel necessarium, & quod potuerit, vel non potuerit non esse in instanti, vel signo anteriori, per accidens est ad futuritionem liberam: ergo ad hanc non requiritur carentia libera, & contingens, potius quam necessaria. Confirmatur. Ut aliquid sit liberum in actu secundo, sufficit, ut aliquid eius sit liberum, & contingens, quamvis reliqua omnia, illius libertatem constituentia, sint in se necessaria, ut patet in actu voluntatis liberè elicitò, cuius libertas constituitur ex ipso actu, & principijs eius indifferentibus, & tamen saepe solus actus est liber, & contingens, principia verò eius indifferentia sunt necessaria: ergo etiam ut futuritio rei sit libera, sufficiet, esse liberam, & contingentem existentiam rei in instanti, vel signo sequente, quamvis carentia eius necessaria sit in instanti, vel signo anteriori.

986 Contra secundò, & probatur nonò conclusio. Si futuritio libera decretorum constitueretur per secundam illam carentiam existentiae eorum liberam, & contingentem, sequerentur duo absurda, scilicet esse aliquod decretum actualem secundo signo, & primum Dei decretum non esse futurum in secundo signo: sed neutrum ex his admittere possunt aduersarij; aliàs idem dici posset de alijs decretis, cum eadem sit de omnibus ratio: ergo &c. Prima maioris sequela probatur. Carentia illa existentiae decretorum, constituens futuritionem liberam

liberam eorum in secundo signo, esset ab aliquo decreto actualli, inductiuo eius: ergo hoc decretum actuale esset in secundo signo, in quo est carentia illa; decretum enim est in eodem signo, in quo est effectus eius: ergo esset aliquod decretum actuale in secundo signo. Antecedens probatur. Tum quia quidquid est liberum, & contingens, si non sit decretum Dei, est ab aliquo decreto actualli eius; solum namque decretum Dei, quia est actus liber positiuus, potest esse immediatè à voluntate diuina, independentè ab alio decreto reflexo: sed carentia illa libera, & contingens, non est decretum Dei: ergo est ab aliquo decreto actualli, inductiuo eius. Tum quia iuxta aduersarios decretum Dei actuale constituitur ex volitione diuina necessaria, & carentia libera existentiae rei: ergo etiam ex volitione diuina necessaria, & carentia libera existentiae decretorum, stantibus in secundo signo, constitueretur in illo aliquod decretum actuale, à quo sit illa carentia. Tum quia carentia realis formalis libera existentiae creaturae, constituens futuritionem eius ab aeterno, est ab aliquo decreto Dei, v. g. à decreto Dei non producendi illam ab aeterno: ergo idem erit de carentia virtuali libera existentiae decreti, constituente futuritionem eius in secundo signo.

987 Hinc facile probatur secunda maioris sequela. Si primum Dei decretum esset futurum in secundo signo, esset, & non esset primum Dei decretum: sed hoc implicat: ergo & esse futurum illud in secundo signo. Maior probatur. Nam imprimis tale decretum esset primum, ut supponimus. Deinde non esset primum: Nam ante existentiam eius in tertio signo, esset iam aliquod decretum actuale distinctum in secundo signo: ergo non esset primum. Antecedens probatur. Ante existentiam eius in tertio signo, esset in secundo signo futuritio ipsius, constituta per carentiam liberam existentiae talis decreti iuxta aduersarios: at hæc carentia libera est in secundo signo ab aliquo decreto actualli, inductiuo eius, ut ostensum est: ergo esset iam in secundo signo aliquod decretum actuale, nempe decretum inductiuum illius carentiae.

988 Nec refert, hoc verum esse de carentia libera existentiae rei, quæ non est decretum Dei, qualis est carentia creaturae;

non verò de carentia libera existentiae decreti, hæc enim est immediatè à voluntate diuina, independentèr à decreto, inductiuo eius, non minùs quàm decretum ipsum; sicut in nobis omisio, & carentia libera actus voluntatis, est immediatè à nostra voluntate, independentèr ab alio actu voluntatis, inductiuo eius. Nam carentia virtualis libera decreti alterius mundi, licèt sit carentia existentiae decreti diuini, non est immediatè à voluntate diuina, independentèr à decreto, inductiuo eius; ea enim carentia oritur à decreto saltem non producenti alium mundum: ergo nulla est solutio. Et ratio est. Nam purè omittere est imperfectio voluntatis, atque aded repugnans volūtati diuinæ, quamuis non repugnet nostræ voluntati, vtpote capaci huius, & aliarum imperfectionum: ergo libera omisio, & carentia alicuius decreti, non erit pura in Deo, sed orta semper ab alio decreto. Ex quo sic formo argumentum. In Deo carentia libera decreti, non extitari, v.g. decreti alterius mundi, est ab alio decreto, inductiuo illius: ergo etiam carentia decreti, postea exirituri in tertio signo, si libera sit in signo secundo antecedente, erit ab alio decreto, inductiuo illius, cum non sit potior ratio vnius, quàm alterius.

989 Dices, carentiam liberam existentiae primi decreti non posse esse sine decreto actuali, non quidem actuali in secundo signo, in quo est carentia, & distincto à primo decreto dicto, sed actuali in tertio signo, & indistincto à primo decreto dicto, existente in tertio signo. Contra primò. Decretum actuale, sine quo esse non potest carentia illa libera, debet esse inductiuum eius, & necessarium ad ipsius existentiam: sed primum decretum actuale non potest esse inductiuum illius carentiae liberæ, nec necessarium ad existentiam eius; aliàs deberet esse actuale in secundo signo, in quo est carentia, cum hæc non possit existere, quin existat, quidquid est inductiuum eius, & necessarium ad ipsius existentiam: ergo decretum actuale, sine quo non potest esse carentia illa libera, non est primum decretum, existens in tertio signo, sed aliud decretum, existens in secundo signo.

990 Contra secundò. Si primum decretum esset illud, sine quo non

non potest esse carentia illa libera existentiae eius, carentia illa libera non esset independens, & inconnexa cum primo decreto dicto, sed quasi dependens, & indigens illo: ergo talis carentia libera non esset prior in quo primo decreto, contra aduersariorum doctrinam, ponentium carentiam illam liberam in secundo signo, & primum decretum in tertio. Patet consequentia. Nam iuxta aduersarios, quod est prius in quo alio, debet esse independens, & inconnexum cum illo: ergo si carentia illa libera non est independens, & inconnexa cum primo decreto, sed quasi dependens, & indigens illo, non erit prior in quo primo decreto; vel si est prior in quo, est independens, & inconnexa cum primo decreto: ergo decretum, quo indiget, & sine quo non potest esse illa carentia, non est primum decretum, sed aliud.

991 Contra tertio. Carentia existentiae primi decreti, constituens futuritionem virtuales eius, terminat, & constituit iuxta aduersarios scientiam liberam actualem ipsius in secundo signo: ergo & potest terminare, & constituere volitionem eiusdem liberam actualem in secundo signo; quid enim obstare potest, Deum in secundo signo velle liberè carentiam, quam in illo liberè cognoscit? Vrgeo. Carentia existentiae scientiae liberæ, constituens futuritionem virtuales eius, terminat, & constituit nouam, & distinctam scientiam liberam actualem ipsius: ergo etiam carentia existentiae primi decreti, constituens futuritionem virtuales eius, poterit terminare, & constituere nouam, & distinctam volitionem liberam actualem ipsius; cum non sit potior ratio vnius, quàm alterius.

992 Pro hac eadem conclusione faciunt rationes, puncto primo propositæ pro prima conclusione à num. 929. Videantur ibi, & ad præsentem conclusionem confirmandam applicentur.

993 Censeo secundò. Decreta Dei libera non sunt per rationem posteriora in quo perfectionibus diuinis necessarijs, nec per rationem futura respectuè ad illas. Veritas huius conclusionis patet ex conclusione præcedente. Nam cum futuritio, & posterioritas in quo per rationem fundari debeat in futuritione, & posterioritate in quo virtuali; decreta autem Dei libera

non

non sint virtualiter futura, & posteriora in quo perfectionibus necessarijs, nec poterunt esse per rationem futura, & posteriora in quo ipsis. Omnes igitur ferè rationes conclusionis præcedentis applicari possunt cum proportione ad præsentem stabiliendam, omisso solum termino *virtualis*, & eius loco utendo termino *per rationem*, quas hic breuiter attingam.

994 Primò. Quia contraria opinio nititur falso fundamento. Etenim dependentia rationis ab independente non sufficit ad futuritionem, & posterioritatem in quo per rationem; sicut nec dependentia realis ab independente ad futuritionem, & posterioritatem in quo realem, ut ostensum est puncto primo præcedente: ergo ex dependentia decretorum à perfectionibus necessarijs independentibus, non debet inferri, ea esse per rationem futura, & posteriora in quo perfectionibus necessarijs,

995 Secundò. In secundo signo, in quo constituunt aduersarij decreta per rationem futura, concipitur iam decretum actuale: ergo non est in illo futurum per rationem. Antecedens probatur. In secundo signo concipitur constitutum adequatum decreti actualis: ergo concipitur in illo decretum actuale, & non futurum. Antecedens probatur. Decretum actuale iuxta aduersarios constituitur adequatè ex volitione diuina necessaria, & futuritione extrinseca creaturæ: sed in secundo signo concipitur non solum volitio Dei necessaria, sed etiam futuritio creaturæ, cum in eo cognoscantur iam futuræ creaturæ iuxta aduersarios: ergo in secundo signo concipitur constitutum adequatum decreti actualis.

996 Tertio. Decretis diuinis tribuenda est omnis perfectio simpliciter simplex: sed decreta diuina esse cognoscibilia ut actualia in omni signo in quo simul cum perfectionibus necessarijs, est perfectio simpliciter simplex: ergo hæc perfectio tribuenda est decretis diuinis. Minor probatur. Tum quia perfectio simpliciter simplex est, quæ melior est ipsa, quam non ipsa: sed melius, & perfectius est, decreta diuina esse cognoscibilia actualia in omni signo in quo simul cum perfectionibus necessarijs, quam esse cognoscibilia ut non existentia in signo earum, & ut incipientia existere in signo sequente: ergo decreta diuina esse cognoscibilia ut actualia in omni signo in quo

simul cum perfectionibus necessarijs, est perfectio simpliciter simplex. Tum quia simultas existentie decretorum cum perfectionibus necessarijs tam realis, quam rationis, est sine dubio maior, quam simultas realis solum: ergo erit melior, & perfectior illa simultas in quo, quam ista, atque adeò perfectio simpliciter simplex, si ea possibilis sit: sed est possibilis, cum ei non obstat dependentia rationis decretorum à perfectionibus necessarijs independentibus, ut constat ex dictis in hoc, & præcedente puncto: ergo &c.

997 Quartò. Voluntas diuina concipitur in primo signo in quo perfectissimè libera, atque adeò proximè potens, completa, & expedita cum omnibus requisitis ad decernendam liberè creaturam: ergo concipitur potens in primo signo in quo decernere actualiter creaturam: ergo concipitur potens in primo signo in quo facere actuale hoc decretum; sicque non erit futurum per rationem. Confirmatur primò. Voluntas tam diuina, quam creata, si concipiatur proximè potens, completa, & expedita cum omnibus requisitis ad liberè decernendum, si non concipiatur liberè decernens, concipitur, liberè omittens decernere: ergo cum voluntas diuina talis concipiatur in primo signo in quo, si in illo non concipitur liberè decernens creaturam, concipitur liberè omittens decernere illam: ergo concipitur aliquid liberum in primo signo in quo, scilicet omissio libera decreti creaturæ: ergo potuit etiam concipi in illo decretum creaturæ, cum non sit potior ratio ommissionis liberæ decreti, quam ipsius decreti. Confirmatur secundò. In primo signo in quo altera harum propositionum contradictoriarum debet esse vera, *creatura erit, creatura non erit*. Si est vera prima: ergo concipitur in primo signo in quo decretum producendi creaturam. Si secunda: ergo concipitur in primo signo in quo decretum non producendi illam; voluntas enim diuina circa obiectum non potest concipi, merè omisiuè se habens sine volitione, & nolitione eius.

998 Quintò. Si decretum esset per rationem futurum, in signo in quo futuritionis eius daretur per rationem carentia existentie decreti: sed non est possibilis carentia existentie decreti per rationem: ergo nec futuritio eius per rationem. Mi-

nor probatur. Nam aduersarij aiunt, hanc carentiam existentiae decreti non esse fictam; volunt enim, totam futuritionem decreti per rationem stare sine vlla fictione entis rationis: vnde talis carentia deberet identificari, vel cum perfectionibus necessarijs independentibus, vel cum decreto dependente, vel cum independentia perfectionum necessariorum à decreto, & dependentia istius ab illis, vel cum cognitione independentiae illarum, & dependentiae istius: sed cum nullo ex his quatuor identificatur: ergo non est possibilis talis carentia per rationem. Minor probatur. Non cum tribus prioribus, vt ostensum est probat. 5. præcedentis conclusionis nu. 970. & 971. & præsertim quia carentia illa per rationem, existit solùm dependentèr ab intellectu, licèt sine fictione entis rationis: sed tria illa priora existunt à parte rei independentèr ab intellectu: ergo carentia illa non identificatur cum ipsis. Non cum quarto. Nam in tertio signo in quo existentiae decretorum, datur cognitio independentiae perfectionum necessariorum, & dependentiae decreti; & tamen in eo non datur per rationem carentia existentiae decreti, sed concipitur iam existens decretum: ergo cum illa cognitione non identificatur carentia per rationem existentiae decreti. Confirmatur. Carentia per rationem existentiae decreti, esse deberet cum fundamento in re: sed non est fundamentum, vt datur per rationem carentia existentiae decreti, vt dictum est punct. 1. conclus. 2. probat. 3. confirmat. 3. nu. 951. præsertim cum independentia perfectionum necessariorum à decreto dependente, non sit sufficiens ad id fundamentum, vt constat ex punct. 1. citato conclus. 2. à num. 942: ergo &c.

959 Sextò. Si decreta essent per rationem futura in aliquo signo, esset in Deo scientia huius futuritionis eorū per rationem: sed in nullo signo potest in Deo constitui scientia futuritionis eorū per rationem: ergo non sunt per rationem futura decreta. Minor probatur. Non in primo signo. Tum quia in primo signo iuxta aduersarios sunt solùm diuinæ perfectiones necessariorum, independentes à liberis: scientia autem futuritionis liberæ decretorum esset libera, & contingens, ac dependens ab illis. Tum quia si hæc scientia esset in primo signo, aliqua per-

fectio

fectio libera, dependens à perfectionibus necessarijs independentibus, qualis esset hæc scientia, esset in primo signo perfectionum necessariorum contra aduersarios, & sic idem dici posset de decretis liberis. Non in tertio signo. Nam cum in hoc signo non sint iam futura decreta, sed actualia, nõ posset tunc existere scientia, cognoscens, ea esse futura per rationem, sed cognoscens ad summum, ea fuisse futura in signo secundo antecedente; vnde esset veritas futuritionis decretorum in secundo signo, in quo non sciretur à Deo, quod est absurdum. Non denique in secundo signo. Nam iuxta aduersarios perfectio dependens non potest esse in eodem signo in quo perfectionis independentis, sed in signo posteriori: sed scientia futuritionis decretorum per rationem, esset dependens à tali futuritione, & futuritio independens à scientia: ergo hæc scientia iuxta aduersariorum doctrinam non esset in secundo signo futuritionis decretorum.

1000 Septimò. Vel scientia libera futuritionis decretorum per rationem, esset etiam per rationem futura, vel non esset futura, sed existens iam in primo signo perfectionum necessariorum. Si secundum: ergo aliqua perfectio diuina, dependens à perfectionibus necessarijs independentibus, qualis est scientia dicta, non est per rationem futura, sed in omni signo actualis; sicq; idem dici poterit de decretis. Primum dici nõ potest. Nã talis scientia non esset per rationem futura in primo signo. Tum quia in primo signo solùm sunt perfectiones necessariorum iuxta aduersarios. Tum quia futuritio per rationem dictæ scientiæ, esset dependens à perfectionibus necessarijs independentibus: ergo non posset esse in signo earum iuxta aduersariorum doctrinam. Tum quia si in primo signo esset per rationem futura talis scientia: ergo in primo signo cognosceret illam reflexè Deus et futuram: ergo in primo signo esset scientia diuina actualis reflexa futuritionis dictæ scientiæ, non obstante, quòd ea esset libera, & dependens à perfectionibus necessarijs independentibus. Neque in secundo, aut in tertio signo. Nam in secundo signo est iam actualis dicta scientia futuritionis decretorum, vt dicunt aduersarij: ergo in nullo signo esset dicta scientia per rationem futura. Idem argumentum militat in

Non 2

ca.

carentia per rationem existentiae decretorum, quæ licet dependens sit à perfectionibus necessarijs independentibus, tamen non est per rationem futura, sed actualis in secundo signo, & fortè etiam in primo.

1001 **O**ctauo. Si decreta essent per rationem futura, deberent esse futura etiam in primo signo: sed iuxta aduersarios non possunt esse futura in primo signo, sed in secundo: ergo non sunt per rationem futura. Maior probatur. Decreta debent esse per rationem futura in eo signo, in quo verificatur, non esse decreta, postea extitura; & propterea aiunt aduersarij, ea esse futura in secundo signo, quia in tali signo verificatur, non esse decreta, postea extitura in tertio signo: sed in primo signo verificatur iam, non esse decreta, postea extitura in tertio signo iuxta aduersariorum doctrinam: ergo si futura sunt, debent esse futura in primo signo. Confirmatur primò. Aduersarij ideo aiunt, decreta esse per rationem futura, & dari carentiam per rationem existentiae eorum, quia perfectiones necessariae concipiuntur, non conceptis decretis: sed in primo signo est, quando concipiuntur perfectiones necessariae, non conceptis decretis: ergo vel decreta sunt in primo signo futura per rationem, vel in nullo. Confirmatur secundò. Scientia diuina libera futuritionis decretorum, quæ iuxta aduersariorum doctrinam debet etiam esse per rationem futura, eo quòd dependens sit à perfectionibus necessarijs independentibus, non potest esse per rationem futura nisi in primo signo: ergo in eodem signo poterunt etiam esse per rationem futura decreta. Antecedens patet. Tum quia dicta scientia solùm potest esse futura in signo antecedente existentiam eius: sed solùm primum signum antecedit existentiam dictæ scientiæ, cum ea existat iam in secundo signo, vt fatentur aduersarij: ergo dicta scientia non potest esse futura nisi in primo signo. Tum quia in primo signo verificatur, non esse dictam scientiam, postea extituram in secundo signo, immediatè sequente: ergo debet esse futura in primo signo.

1002 Quæ his argumentis responderi possent, impugnata sunt iam supra in probationibus primæ conclusionis, vbi hæc etiam argumenta fusiùs proposita, videri debent: quibus adiungi pote-

poterunt rationes punct. 1. adductæ pro secunda conclusione à num. 942.

1003

PUNCTVM III.

Occurritur aduersariorum argumentis.

1004 **O**bjicies primò. Perfectiones necessariae in Deo sunt virtualitèr independentes à decretis liberis, & ista virtualitèr dependentia ab illis: sed hoc sufficit ad prioritatem in quo virtualem illarum, & posterioritatem in quo, & futuritionem virtualem istorum: ergo perfectiones necessariae sunt virtualitèr priores in quo decretis, & ista virtualitèr posteriora in quo, & futura respectiuè ad illas. Minor probatur. Primò. Independentia realis formalis à dependente, sufficit ad prioritatem realem formalem in quo extremi independentis, & posterioritatem realem formalem in quo, & futuritionem extremi dependentis: ergo etiam independentia virtualis à dependente, sufficit ad prioritatem virtualem in quo perfectionis independentis, & posterioritatem virtualem in quo, & futuritionem dependentis. Secundò. Perfectiones necessariae ratione independentiæ virtualis ita se habent, ac si realitèr differrent, & existerent sine decretis liberis dependentibus: ergo ratione independentiæ virtualis sunt virtualitèr priores in quo decretis liberis, & ista virtualitèr posteriora in quo, & futura. Antecedens probatur. Si perfectiones necessariae essent realitèr formalitèr independentes à decretis liberis, realitèr formalitèr differrent, & existerent sine ipsis: ergo nunc ratione independentiæ virtualis ita se habent, ac si realitèr differrent, & existerent sine decretis liberis. Tertiò. Perfectiones necessariae ratione independentiæ virtualis possunt virtualitèr existere sine decretis liberis: ergo & possunt existere priores in quo ipsis. Patet consequentia. Extremum, quod ratione independentiæ realis formalis potest existere sine extremo dependente, potest eo ipso existere prius in quo ipso: ergo etiam perfectio, quæ ratione independentiæ virtualis potest

virtualiter existere sine perfectione dependente, poterit eo ipso existere prior in quo ipsa.

1005 Respondeo, negans minorem, ut ostensum est supra punct. 1. conclus. 1. à num. 929. & punct. 2. conclus. 1. nu. 957. Ad primam probationem nego antecedens, ut constat ex punct. 2. conclus. 1. probat. 1. à num. 929. Ad secundam probationem nego antecedens quoad secundam partem: nam perfectiones necessariae ratione independentiae virtualis ita se habent solum, ac si non indigerent decretis liberis, non vetò ac si existèrent sine ipsis. Ad probationem nego etiam secundam partem antecedentis: nam quamvis perfectiones necessariae essent realiter formaliter independentes à decretis liberis, non ideo realiter formaliter existerent sine ipsis; defacto enim sunt realiter formaliter independentes à futuritione creaturarum, & à carentia omnis existentiae, quam dicunt merè possibilis, & tamen non extiterunt, nec existunt, nec existent realiter formaliter sine ipsis, ut dictum est punct. 1. conclus. 1. probat. 1. à num. 931.

1006 Ad tertiam probationem distinguo antecedens, perfectiones necessariae ratione independentiae virtualis possunt virtualiter existere sine decretis liberis, nunquam extituri, concedo; sine decretis liberis, in signo antecedente non existentibus, & extituri in signo sequente, nego, & nego consequentiam: nam licet perfectiones necessariae potuerint existere sine his decretis liberis, quae nunc habet Deus, tamen decreta eo ipso quod existant, debent, & exigunt esse in omni signo in quo simul cum perfectionibus necessarijs, ut dictum est punct. 2. precedente conclus. 1. probat. 3. nu. 966. & probat. 6. nu. 977. & 978. Ad probationem consequentiae distinguo antecedens, extremum, quod ratione independentiae realis formalis potest existere sine extremo dependente, potest eo ipso existere prior in quo ipso, quando extremo dependenti ex nullo capite repugnat incipere in tempore, vel instanti, sequente instanti extremi independentis, concedo; quando extremo dependenti ex aliquo capite repugnat incipere in tali tempore, vel instanti sequente, eo quod, si sit, debeat esse simul cum extremo independente, statim atque illud existit, vel nunquam esse,

se, nego: tunc enim, licet extremum, realiter formaliter independentens, possit existere sine extremo dependente, non tamen potest existere prius in quo ipso, ut patet in duobus exemplis dictis, in quibus, licet Deus, realiter formaliter independentens à futuritione creaturarum, & à carentia omnis existentiae merè possibilium, potuerit existere sine ipsis, tamen nec potest, nec potuit existere prior in quo illis, quia futuritio creaturarum, & carentia illa omnis existentiae sunt talis conditionis, ut, si sint, debeant esse ab aeterno simul cum Deo, vel nunquam esse, ut dictum est punct. 1. conclus. 1. probat. 1. à n. 931.

1007 Obijcies secundò. Voluntas divina est indifferens ad esse, & non esse decreti: ergo dicit carentiam determinationis, qualis est decretum. Patet consequentia. Nam si non diceret carentiam determinationis, diceret determinationem ipsam: ergo non esset indifferens, sed determinata. Confirmatur. Stante decreto in voluntate divina, hæc iam non est indifferens, sed determinata: ergo indifferentia eius requirit carentiam decreti determinantis. Respondeo, distinguens consequens, dicit carentiam determinationis, negantem identitatem virtuales cum ipsa, concedo; negantem existentiam eius, & conjunctionem cum ipsa; nego: ad indifferentiam autem voluntatis divinae sufficit, & requiritur prima illa carentia determinationis, non secunda. Ad probationem consequentiae nego antecedens: Nam voluntas divina indifferens neque dicit determinationem, neque carentiam existentiae eius, sed præscindit ab utraque, dicitque carentiam virtualis identitatis tam cum determinatione, quam cum carentia existentiae eius, eo quod neutram includat, & capacitatem, ut cum qualibet ex illis liberè coniungatur. Unde neganda est consequentia: Nam voluntas divina, quamvis non dicat carentiam existentiae determinationis, sed sit coniuncta cum illa, non ideo definit esse indifferens, sed manet simul indifferens, & determinata, indifferens quidem in actu primo secundum prædicata essentialia actus primi, secundum quæ non includit determinationem, cum qua est coniuncta, & determinata in actu secundo ratione determinationis, existentis à parte rei; determinatio enim libera in actu secundo non tollit indifferentiam in actu primo, cum

cum non tollat libertatem, quæ per indifferentiam in actu primo constituitur. Hinc ad confirmationem nego antecedens: Nam, stante decreto in voluntate diuina, licet hæc sit determinata in actu secundo per decretum, est tamen indifferens simul in actu primo secundum sua prædicata essentialia, ut dictum est. Videantur dicta punct. 1. conclus. 1. probat. 4. à num. 938. vsque ad 940.

1008 Instabis. Indifferentia voluntatis diuinæ in actu primo non includit determinationem: ergo excludit illam: ergo dicit carentiam ipsius. Respondeo, distinguens primum consequens, excludit illam à suo conceptu essentiali, & identico, eo quod non habeat pro prædicato essentiali determinationem, nec cum ipsa virtualiter identificetur, concedo; excludit illam, excludendo existentiam eius, & coniunctionem cum ipsa, nego. Vnde distinguo secundum consequens, dicit carentiam ipsius, negantem inclusionem essentialem eius, & identitatem virtuales cum ipsa, concedo; negantem existentiam eius, & coniunctionem cum ipsa, nego.

1009 Obijcies tertio. Essentia diuina est virtualiter distincta à decretis, & prior à quo illis: ergo potest etiam esse prior in quo. Respondeo, ex illo antecedente non inferri consequentiam: nam etiam essentia diuina est virtualiter distincta ab attributis necessarijs præsertim reatiuis, & prior à quo illis, & tamen non est prior in quo ipsis iuxta aduersarios. Ratio verò disparitatis est: nam de essentia diuina, & decretis liberis verificantur prædicata contradictoria, quæ sufficiunt ad distinctionem virtuales; est etiam essentia diuina actus primus virtualis respectu attributorum, quod sufficit ad prioritatem à quo: at essentia diuina, ut probatum est, non habet in suo signo carentiam virtuales existentie decretorum, quæ necessaria esset, ut ea esset prior in quo decretis.

1010 Obijcies quarto. Si Deus in tempore decerneret, cognosceret suum decretum, ut posterius tempore futurum: ergo nunc cognoscit illud, ut posterius ratione futurum. Respondeo, negans consequentiam: nam tunc decretum esset re ipsa futurum in tempore, sicque ut tale cognosceretur à Deo: nunc verò nec per rationem est futurum, ut probatum est, & sic non potest

potest à Deo cognosci ut futurum per rationem.
1011 Obijcies quinto. Prius ratione concipitur Deus, ut potens velle, quam volens: ergo prius ratione concipitur voliturus, quam volens; indiuisibilitati namque æternitatis non repugnat diuisibilitas signorum per rationem. Respondeo, distinguens antecedens, prius ratione in quo concipitur Deus, ut potens velle, quam volens, nego; prius ratione à quo, concedo: hoc autem solum est concipere Deum secundum se, ut potentem velle, & nolle, non verò cum carentia per rationem existentie volitionis, & nolitionis: unde non concipitur voliturus, sed volens, vel nolens ab æterno in omni signo in quo; æternitati autem, licet non repugnet diuisibilitas signorum à quo, repugnat tamen diuisibilitas signorum in quo, ut ostensum est.

1012 Obijcies sexto. Si Deus creasset Angelum, liberè volentem ab æterno, posset cognoscere volitionem Angeli, ut futuram, & præsentem pro diuersis signis: ergo idem erit de decretis diuinis. Respondeo, falsum esse antecedens. Et quamuis verum esset, neganda esset consequentia: nam decretis diuinis ob suam perfectionem repugnat incipere in aliquo signo, sequente signum perfectionum necessariorum, ut ostensum est.

1013 Obijcies septimo. Ante actuale decretum Dei datur scientia conditionata aliquo modo libera: ergo potest etiam admitti scientia absoluta libera decretorum, antequam ista in se existant. Respondeo, scientiam conditionatam esse ante actuale decretum Dei, non prioritate in quo, sed prioritate logica, & in subsistendi consequentia, ut diximus sæpè in materia de Providentia diuina, quæ prioritas non sufficit ad futuritionem, sicut nec prioritas à quo. Unde neganda est consequentia.

1014 Obijcies octauo. Deus in aliquo priori ante actuale decretum cognoscit, quid creaturæ facturæ essent, si producerentur: ergo cognoscit etiam, quid ipse voliturus, & decreturus esset: ergo cognoscit sua decreta ut conditionatè futura: ergo etiam ut absolutè futura. Respondeo, negans primam consequentiam: non enim cognoscit Deus, quid ipse esset conditionatè voliturus, & decreturus de futuro, sed quid conditionatè vellet, & decerneret de præsentibus; ostendimus enim disp. 6.

de scientia Dei cap. 6. Deum decreta, quæ haberet sub aliqua conditione, non cognoscere ut conditionate futura, sed ut conditionate existentia ab æterno.

- 1015 Obijcies nonò. Tunc vnum est futurum, & posterius in quo alio per rationem, quando hoc existit per rationem sine illo: sed perfectiones necessariae ratione independentiæ existunt per rationem sine decretis liberis: ergo hæc sunt per rationem futura, & posteriora in quo illis. Minor probatur. Perfectiones necessariae ratione independentiæ cognoscuntur sine decretis liberis: ergo existunt in suo signo per rationem sine decretis liberis. Cõfirmatur. Eo ipso quòd concipiuntur perfectiones necessariae, non conceptis decretis liberis, verificatur, illas existere per rationem, & ista per rationem non existere: ergo verificatur, ista esse per rationem futura, & posteriora in quo illis.
- 1016 Respondeo, distinguens maiorem, tunc vnum est futurum, & posterius in quo alio per rationem, quando hoc existit per rationem sine illo præscisive, eo quòd concipiatur, non concepto illo, nego; quando hoc existit per rationem sine illo negatiue, scilicet cum carentia existentiae illius in eodem signo, adæquatè concepto, concedo. Et distinguo minorem, perfectiones necessariae ratione independentiæ existunt per rationem sine decretis liberis præscisive, scilicet non conceptis decretis liberis, concedo; existunt per rationem sine decretis liberis negatiue, scilicet cum carentia existentiae eorum in eodem signo, adæquatè concepto, & eorundem inceptione postea, nego: nam si signum in quo perfectionum necessariorum adæquatè conciperetur, simul cum illis decreta etiam libera conciperentur. Ad probationem minoris distinguo antecedens, perfectiones necessariae ratione independentiæ cognoscuntur sine decretis liberis præscisive, scilicet non conceptis decretis liberis, concedo; negatiue, scilicet cum carentia existentiae eorum, nego. Et distinguo consequens, existunt in suo signo per rationem sine decretis liberis negatiue, nego; præscisive, subdividuo, si signum inadæquatè concipiatur, concedo; si adæquatè concipiatur, nego: nam in tali signo, adæquatè concepto ingrediuntur etiam decreta. Ad confirmationem distinguo antecedens, verificatur, illas existere per rationem

nem, & ista per rationem non existere negatiue, nego; præscisive, eo quòd signum non concipiatur adæquatè, concedo; & nego consequentiam.

- 1017 Obijcies decimò. Identitati decretorum cum perfectionibus necessarijs non repugnat distinctio per rationem: ergo nec simultati eorundem in æternitate repugnabit futuritio per rationem. Respondeo, negans consequentiam. Nam intellectus habet sufficiens fundamentum ad distinguenda decreta à perfectionibus necessarijs ob prædicata contradictoria, quæ admittunt: at non habet sufficiens fundamentum ad concipiendam carentiam existentiae decretorum pro signo antecedente, & eorundem inceptioem pro sequente, ut probatū est.
- 1018 Obijcies undecimò. Instans reale æternitatis diuidi potest per rationem in duo instantia, in quorum primo concipiatur reddere durantes perfectiones necessariae independentes, & in secundo reddere durantiã decreta libera: ergo ista erunt per rationem futura, & posteriora in quo. Respondeo, distinguens antecedens, instans reale æternitatis diuidi potest per rationem in duo instantia successiua, & in quo, nego; in duo instantia simultanea, & à quo, concedo; nec plus exigit independentia perfectionum necessariorum à decretis liberis. Unde neganda est consequentia.
- 1019 Ex dictis fit, inter perfectiones necessariae, & decreta libera, & inter decreta ipsa libera solum esse constituendam prioritatem, & posteritatem à quo.

1020

PUNCTUM IV.

Impugnatur primum illud Dei decretum efficax absolutum Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiue ex directione scientie visionis peccati absolute futuri, permissa etiam decretorum futuritione.

- 1021 Quamuis impossibilitas dicti decreti constet iam sufficienter ex impugnatione futuritionis decretorum in

tribus punctis præcedentibus, iterum in hoc puncto impugnandum est, permessa etiam futuritione decretorum. Nam licet permittatur aduersarijs futuritio decretorum, & consequenter quod Deus in secundo signo per scientiam visionis cognoscit ut futurum supradictum primum suum decretum efficaciter absolutum Christi absolute passibilis, & redemptoris liberatiue, & omnia obiecta eius ut futura, atque adeo & peccatum absolute futurum, tanquam vnum ex obiectis eius, cõtendo nihilominus, ex hac præscientia visionis futuritionis absolute dicti decreti, & peccati, non posse dirigi Deum in tertio signo ad actu habendum tale decretum primum, quo velit efficaciter absolute Christum absolute passibilem, & redemptorem liberatiue in remedium peccati, absolute iam præuisi futuri in secundo signo.

1022 Probatur primò. Si supposita decretorum futuritione in secundo signo, scientia visionis absolute futuritionis dicti primi decreti de Christo absolute redemptore liberatiue, & obiectorum eius, esset principium, dirigens actualem existentiam dicti decreti in tertio signo, Deus non esset liber ad actu habendum, vel non habendum dictum decretum in tertio signo: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Ut Deus esset liber ad actu habendum, vel non habendum dictum decretum in tertio signo, deberet, nullum habere principium, essentialiter connexum cum existentia dicti decreti, & impossibile cum carentia existentie eius, sed omnia principia deberent esse indifferentia, & compossibilia tam cum existentia dicti decreti, quam cum carentia existentie eius, ut est constans, & sæpè repetitum in hac disp. præsertim cap. 2: sed scientia visionis absolute futuritionis dicti decreti, & obiectorum eius, esset essentialiter connexa cum existentia dicti decreti, & incompossibilis cum carentia existentie eius, aliàs posset fieri falsa talis scientia: ergo si hæc scientia esset principium, dirigens actualem existentiam dicti decreti, Deus non esset liber ad actu habendum, vel non habendum illud.

1023 Nec refert, hanc scientiam visionis absolutam non esse principium, requisitum ad directionem dicti decreti, sed defacto solum concurrentem, ex eo quod reperiatur in Deo. Nam, ut ostenditur

ostendi cap. 2. punct. 1. num. 895. quodlibet principium, essentialiter connexum, tollit libertatem, etiamsi requisitum non sit. Videantur ibi dicta.

1024 Probatur secundò. Quamuis scientia visionis absolute futuritionis dicti decreti, & obiectorum eius, esset prior in quo actuali existentia decreti, tamen esset posterior à quo futuritione dicti decreti, & sic futuritio dicti decreti non penderet à tali scientia tanquam à principio dirigente: ergo nec penderet ab illa tanquam à principio dirigente actualis existentia dicti decreti. Antecedens in primis videtur certum, & ab aduersarijs admissum. Tum quia non ideo esset futurum decretum in secundo signo, quia à Deo cognosceretur ut futurum per talem scientiam, sed è conuerso ideo cognosceretur ut futurum, quia in se futurum esset. Tum quia cum talis scientia visionis esset libera causaliter solum, deberet præsupponere in priori à quo liberum aliquod Dei decretum saltem ut futurum, à quo suam hauriret libertatem. Deinde consequentia illa probatur. Futuritio rei pendet semper ab omnibus principijs, à quibus pendet actualis existentia eiusdem: ergo si futuritio dicti decreti non penderet à tali scientia visionis tanquam à principio dirigente, nec penderet ab illa actualis existentia eiusdem decreti. Antecedens ex ipsis terminis innotescit. Nam si res nunc fiat existens dependentèr ab hoc principio, antea erat sine dubio futura, & extitura dependentèr à tali principio, præsertim cum res antea futura, & nunc iam existens, sit omnino eadem. Confirmatur. Dictum decretum diuinum esse in secundo signo futurum, est esse extitutum postea in tertio signo: ergo eo modo deberet esse futurum in secundo signo, quo postea existet in tertio: ergo si postea existit in tertio dependentèr à tali scientia visionis tanquam à principio directiuo, esset sine dubio in secundo signo futurum dependentèr ab ipsa: sed hoc est falsum: ergo & illud.

1025 Nec refert primò, hoc verum esse de principijs requisitis, non verò de principijs, defacto concurrentibus solum contingentèr, qualis est scientia illa visionis in nostro casu. Hoc enim falsum est: Nã si res nunc sit existens dependentèr à principijs

cipijs requisitis, & defacto contingentè concurrentibus simul: ergo antea erat verum, dicere, res fiet existens dependentè ab omnibus dictis principijs simul.

1026 Nec refert secundò, etiam decretum ut futurum pendere à scientia illa visionis ut futura tanquam à principio directiuo, licet non pendeat ab ipsa ut actuali, nisi quando fit actuale. Nam licet permittamus etiã futuritionem in tali scientia visionis, adhuc ista ut futura esset posterior à quo futuritione dicti decreti: ergo adhuc ut futura non posset esse principium directiuum, à quo pendeat decretum dictum ut futurum. Antecedens probatur. Tum quia non ideo esset futurum dictum decretum, quia in Deo esset futura scientia visionis futuritionis illius, sed è conuerso ideo esset futura in Deo scientia visionis talis futuritionis, quia esset futurum dictum decretum. Tum quia scientia illa visionis ut futura, esset libera causalitè: ergo præsupponeret in priori à quo liberum Dei decretum saltem ut futurum, à quo illa suam hauriret libertatem.

1027 Probatur tertid. Scientia visionis, cognoscens obiectum extitutum, quæ est prior in quo actuali existentia sui obiecti, est posterior à quo non solum futuritione talis obiecti, sed etiam actuali existentia eiusdem, quando hoc postea existit; sic scientia visionis, ab æterno existens in Deo de peccato hodierno Petri, est prior in quo actuali cõmissione hodierna eius, & posterior à quo ipsa, quando hodie existit peccatum, nam ideo scientia illa ab æterno cognouit, peccatum Petri extitutum hodie, quia hodie Petrus se liberè determinat ad cõmissionem eius, ad quam si hodie Petrus non se determinaret, non fuisset ab æterno illa scientia: ergo scientia visionis, in secundo signo cognoscens, extitutum dictum decretum, licet esset prior in quo actuali existentia dicti decreti, esset tamen posterior à quo non solum futuritione eius, sed etiam actuali existentia eiusdem, quando existit: ergo dictum decretum adhuc in actuali existentia non pendet à scientia illa visionis, tanquam à principio directiuo.

1028 Probatur quartò, Quamuis permittatur, existere primum illud decretum Dei efficax absolutum de Christo absolutè redem-

emptore liberatiuè modo supradicto ex directione scientiæ visionis absolutæ de futuritione dicti decreti, & obiectorum eius, atque adeò & de futuritione peccati, adhuc contra illud militant argumenta, proposita cap. I. punct. I. contra idem decretum, habitum à Deo ex directione scientiæ conditionatæ. Primum quidem. Quia si primum hoc decretum Dei est efficax absolutum de Christo absolutè passibili, & redemptore, non reliquisset Deus in potestate libera Christi, eligere, vel non eligere vitam passibilem, & mortalem, & redimere, vel non redimere genus humanum per passionem, & mortem crucis, imò illum tali decreto quasi necessitasset ad vitam passibilem, & mortalem, & ad redemptionem generis humani per passionem, & mortem crucis: quod falsum esse, ostensum est loco citato probat. 1. nu. 848. & 849.

1029 Secundum. Quia cùm gratia primorum parentum, habitata ante peccatum, fuerit in sententia aduersariorum ex meritis Christi absolutè passibilis, & redemptoris liberatiuè, & Christus absolutè passibilis, & redemptor liberatiuè sit dependens à peccato absolutè futuro, gratia illa non esset independens à peccato absolutè futuro: quod falsum esse, probauimus loco citato probat. 2. nu. 850.

1020 Tertium. Quia futuritio dicti decreti haberet essentialem connexionem cum futuritione peccati redimendi, ita ut illa sine ista esse non posset, utpote futuritio decreti, efficacitèr absolutè volituri redemptionem peccati: ergo cùm peccatum non supponatur iam futurum antecedentèr ad futuritionem dicti decreti, & independentèr ab ipsa, erit sine dubio futurum ex vi dicti decreti futuri, quo Deus, voliturus efficacitèr absolutè Christum absolutè passibilem, & redemptorem liberatiuè, esset à fortiori voliturus efficacitèr, ponere peccatum, nondum antea futurum independentèr à dicto decreto futuro, tanquam requisitum ad redemptionem liberatiuam Christi, efficacitèr absolutè volendam, iuxta dicta loco citato probat. 3. à nu. 851. vsque ad 857. Confirmatur. Scientia visionis absoluta futuritionis dicti decreti, & obiectorum eius, non cognosceret peccatum futurum antecedentèr, & independentèr à futuritione dicti decreti, cùm iuxta aduersarios hoc

hoc sit primum Dei decretum tam vt actuale, quam vt futurum, & permissiuum peccati: ergo cognosceret peccatum futurum dependenter à dicto decreto, & ex vi eius.

1031 **Quartum.** Quia licet intentio illa efficax absoluta Christi redemptoris liberatiue, non esset volitio efficax peccati, tamen ea etiam vt futura exigeret ex se, quod poneretur à parte rei peccatum, nondum antea futurum independenter à tali intentione, tanquam requisitum ad redemptionem liberatiuam, efficaciter absolutè intendendam, & cum quo talis intentio futura dicit physicam, & essentialem connexionem, vt arguebamus loco citato probat. 4. nu. 858. & 859.

1032 **Quintum.** Quia dictum decretum efficax Christi absolutè redemptoris liberatiue, tam vt futurum, quam vt actuale, est iuxta aduersarios voluntas permissiua peccati, atque adeò principium futuritionis, & existentie eius aliquo modo; cumque aliunde sit physicè saltem connexum cum positione peccati, est sine dubio antecedenter necessitans physicè ad positionem peccati, vt dicebamus loco citato probat. 5. nu. 860: ergo tollit hominibus libertatem peccandi, & non peccandi.

1033 **Sextum.** Quia, cum Deus serjò, & prudenter prohibeat positionem peccati, essentialiter requisiti ad Christi redemptionem liberatiuam, non potest efficaciter absolutè intendere Christi redemptionem liberatiuam à peccato, quod nondum antea supposebatur existens, aut futurum independenter à tali intentione Dei, vt probabamus loco citato probat. 6. num. 862.

1034 **Septimum.** Quia, cum dictum decretum efficax absolutum Christi absolutè redemptoris liberatiue, etiam si directum ab illa scientia visionis, esset simul prædestinatio hominum, & Angelorum, Christus non posset esse causa meritoria prædestinationis hominum, omniumque effectuum eius ob dicta loco citato probat. 7. nu. 863. quod est absurdum.

1035 **Obijcies primò.** In casu permissio scientia visionis futuritionis decreti, & obiectorum eius, proponeret voluntati diuinæ totum obiectum decreti in signo, antecedente actualitatem eius: ergo posset dirigere actuale decretum. Patet consequentia. Nam scientia non aliter dirigit decretum actuale, nisi proponendo, & representando antecedenter obiectum eius, in priori à quo, concedo; in priori solùm in quo, nego.

ponendo, & representando antecedenter obiectum eius. Respondeo, distinguens antecedens, scientia visionis futuritionis decreti, & obiectorum eius, proponeret voluntati diuinæ totum obiectum decreti in signo, antecedente actualitatem eius prioritate in quo solùm, concedo; prioritate à quo, nego ob rationes superius positas. Et nego consequentiam: Nam sola prioritas in quo scientiæ, proponentis obiectum decreti, nõ sufficit, vt scientia dirigat decretum, si aliunde scientia sit posterior à quo decreto, vt contingit in nostro casu. Vnde ad probationem consequentiæ distinguo antecedens, scientia non aliter dirigit decretum actuale, nisi proponendo, & representando antecedenter obiectum eius in priori à quo, concedo; in priori solùm in quo, nego.

1036 **Obijcies secundò.** Scientia visionis futuritionis dicti decreti, & peccati, proponit peccatum modo proportionato, vt eius redemptio liberatiua actu decernatur absolutè, cum proponat peccatum absolutè iam futurum antecedenter ad actuale decretum efficax absolutum redemptionis liberatiuæ: ergo potest dirigere actualem existentiam dicti decreti. Respondeo, negans antecedens. Nam, cum talis scientia non proponat peccatum futurum independenter à decreto redemptionis liberatiuæ, non proponit illud modo proportionato, vt liberatiua redemptio eius à Deo decernatur; sic enim Deus, decernens redemptionem liberatiuam, causaret, & induceret futuritionem peccati, quod implicat. Vnde nihil refert, quod scientia proponat peccatum absolutè futurum ante actuale decretum efficax absolutum redemptionis liberatiuæ prioritate in quo, si non proponit illud absolutè futurum ante dictum decretum prioritate à quo, & independenter ab ipso.

1037

CAPVT IV.

Quando, quomodo, & ex quo motiuo prædestinitus sit Christus.

1038 **T**Ria, scitu digna, & ad præcipuam nostræ dissertationis controuersiam decidendam necessaria, complectitur titulus,

Ppp

tulus,

tulus, quæ suo ordine declaranda sunt sequentibus punctis:

1039

PUNCTVM I.

Primum Dei decretum efficax voluit de facto in primo signo Christum Dominum saltem secundum se.

1040 **D**ico secundum se, nam Christum, ut absolutè passibilem, & redemptorem liberatiuè, non potuisse prædefiniri in primo signo per primum Dei decretum efficax absolutum, constat ex cap. 1. 2. & 3. præcedentibus. Dico etiam in primo signo, non quidem in primo signo in quo, sed à quo; constat enim ex cap. 3. præcedente punct. 1. 2. & 3. inter diuinas perfectiones etiam liberas non esse constituenda diuersa signa in quo, sed à quo tantum cum sola prioritate, & posterioritate à quo.

1041 Probatur ergo primò assertum ex illis verbis Prouerb. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vel ut legunt septuaginta, *Dominus creauit me initium viarum suarum*, id est, operum suorum, quæ quasi viæ nos ad Deum ducunt, ut colligitur ex sequentibus; & ex Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis*, verba enim posteriora sunt explicatio priorum; & ex Psal. 24. *Vniuersa via Domini misericordia, & veritas*, quia in operibus Dei hæc virtutes potissimum relucet. Quæ verba de Sapientia Incarnata intelligunt communiter Patres, Conc. Hispalense secundum cap. 13. Clemens Romanus lib. 5. Constit. Apostolic. cap. 19. Basilii lib. 4. contra Eunomium, Athanasius serm. 3. contra Arianos, & in exposit. fidei, Gregorius Nazianzenus orat. 36. circa principium, Cesarius Dialogo 2. Gregorius Nyssenus lib. de fide ad Simplicium, Cyrillus Alexandrinus lib. 5. thesau. cap. 4. Chrysostomus serm. de sanctissima Trinitate, Damascenus lib. 4. cap. 19. Hieronymus lib. 2. in Mich. in prin-

principio, & ad Ephes. 2. Augustinus serm. 58. de verbis Domini, & lib. 1. de Trinitate cap. 12. Hilarius 12. de Trinit. Ambrosius 1. de fide cap. 7. Fulgentius lib. ad obiectiones Arianor. in responsione ad 3. Epiphanius in Anchorato, & hæresi 69. & alij apud Suares to. 1. in 3. p. disp. 5. sect. 2. Nam, ut rectè ponderat Ambrosius citatus, si Filius ut Deus loqueretur, & non ut Incarnatus, non Dominum vocaret, sed Patrem; item non diceretur creatus, sed genitus, cum enim Ariani abuterentur hoc testimonio, ut probarent, Filium Dei esse creaturam, respondebant Patres, illud esse intelligendum de Filio ut Incarnato ratione humanitatis, à Deo creatæ.

1042 Nec dicas, ibi comparari Christum, ut ab æterno prædefinitum, cum existentia temporali creaturarum, non verò cum creaturis, ut ab æterno prædefinitis. Primò, quia hoc est expressè contra sensum, & intelligentiam dictorum Patrum, ut constabit ex nonnullis, infra relatis, testimonijs eorum. Secundò, quia ibi aliqua specialis excellentia tribuitur Christo ut ab æterno prædefinito, alijs rebus creatis minimè communis: sed Christum ut prædefinitum esse priorem existentia temporali creaturarum, non est specialis excellentia Christi, sed communis ad quamlibet creaturam; cum quælibet creatura, ut prædefinita, sit prior existentia temporali creaturarum: ergo non comparatur Christus ut prædefinitus cum temporali existentia creaturarum, sed cum ipsis ut prædefinitis. Tertio. Quia v. 27. eadem sapientia Incarnata dicit de se ipsa, *quando præparabat celos, aërem*; præparatio autem cælorum fit per decretum producendi illos: ergo sermo est ibi de prioritate Christi respectiuè ad decreta creaturarum. Quarto ex v. 30. *Cum eo earum, cuncta componens*, quod non posset esse verum, nisi sapientia Incarnata fuisset causa saltem finalis, & motiua, ut Deus decerneret cunctorum productionem. Quintò. Quia decretum productionis cæli v. g. multò magis est principium, & initium talis productionis, quàm decretum Christi, si Christus non sit causa finalis, & motiua ad producendum cælum; cum iuxta hanc doctrinam ab illo decreto, & non ab isto pendeat, & procedat productio cæli: ergo decreto Christi non conueniret specialitè, esse initium cæli, & productionis eius.

1043 Nec dici potest, Christum vocari initium operum Dei, quia est nobilissimū suorum operum. Nam licet initium posset accipi pro opere nobilissimo; in presenti tamen accipi debere pro primo opere saltem negatiuè, & principio aliorum operum, patet. Tum ex verbis immediatè sequentibus, *Domini possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar, quando preparabat caelos, aderam &c.* Tum ex v. 30. *Cum eo eram cuncta componens.* Quæ cum non possint intelligi in executione ad extra per creationem temporalem, secundum quam Sapiencia Incarnata posterior est omnibus dictis, & alijs operibus Dei, intelligenda sunt in prædestinatione, & ordine diuinorum decretorum, ita vt in illo sit prior Sapiencia Incarnata decretis aliorum operum saltem vt causa finalis, & motiua decernendi illa.

1044 Probatur secundò ex Ecclesiastici 24. v. 5. *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam, ego feci in caelis, vt oriretur lumen indeficiens &c.* Quæ verba de Sapiencia Incarnata intelligunt etiam plures Patres, vt notauit Aldrete de Incarnat. to. 1. disp. 19. sect. 1. num. 6. citans Ruizium disp. 4. de Trinitate sect. 7. & colligitur ex v. 12. & 14. vbi hæc Sapiencia dicitur creata illis verbis, *Præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Ab initio, & ante secula creata sum;* quod non potest verificari de Sapiencia increata vt Deo, sed vt Incarnata ratione humanitatis creata: idque confirmant verba, illa, *præcepit, & dixit mihi creator omnium,* creator enim non potuit præcipere Sapiencie Increate vt Deo, sed vt Incarnate, & factæ homo. Sapiencia autem vt Incarnata non potest dici primogenita ante omnem creaturam ratione productionis eius temporalis, ante quam multæ aliæ creaturæ fuerant productæ: ergo ratione ordinationis, & prædefinitionis diuinæ, secundum quam illa sit prior quodammodo decretis aliarum creaturarum in genere causæ finalis, & motiue saltem.

1045 Nec dicas primò, ibi sumi Christum vt prædefinitum comparatiuè ad creaturas, vt existentes in tempore, quo pacto potest

test in intentione dici primogenitus ante illas. Tum quia sic quælibet creatura posset dici primogenita ante alias, quia vt prædefinita antecedit aliarum existentias in tempore: ergo nihil speciale, & excellens tribuerent Christo verba illa; quod est absurdum. Tum quia verba illa, *ego feci in caelis, vt oriretur lumen indeficiens,* non possunt esse vera, nisi Christus sit saltem causa finalis, & motiua, ob quam decreuerit Deus luminis productionem in caelis: ergo &c. Nec dicas secundò, Christum appellari primo genitum ante omnem creaturam, quia est nobilior, & excellentior omni creatura. Nam ibi nomen primogeniti non sumitur præcisè pro nobiliori, & excellentiori, sed pro primo creaturarum saltem negatiuè, & principio earum quodammodo saltem in genere causæ finalis: Tum ob illa verba, *ego feci in caelis, vt oriretur lumen indeficiens,* quæ causalitatem denotant. Tum ob illa, *ab initio, & ante secula creata sum,* quæ significant, Christum fuisse primum, & antecessisse creaturas in intentione diuina saltem negatiuè, eo quòd nulla creatura fuerit prædefinita ante illum. Tum ob dicenda pro testimonio sequente.

1046 Probatur tertio ex Paulo ad Colossenses 1. v. 15. vbi de Christo dicitur, *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Quæ duo promiscuè tribuuntur Christo vt Deo, & homini: nam vt Deus dicitur, *imago Dei invisibilis,* & vt homo, *primogenitus omnis creaturæ:* sic enim ea intelligunt Conc. Sardicense epist. ad omnes fideles, & sumitur ex Conc. Ephesino to. 1. cap. 4. & 5. & to. 4. cap. 26. vbi Christus dicitur vni-genitus vt Deus, & primogenitus vt homo, & S. Anselmus, Hieronymus, & Chrysostomus apud Suares citatum supra n. 1041. Et colligitur ex v. 18. vbi Paulus Christum, quem dixerat primogenitum omnis creaturæ, vocat caput corporis Ecclesie: sed vt homo solum est caput eius: ergo vt homo dicitur primogenitus omnis creaturæ, cumque Christus non possit esse primogenitus omnis creaturæ in existentia actuali, ante quem tot iam extiterant creaturæ, solum poterit esse primogenitus in decreto, & prædefinitione diuina. Vnde sicut Christus paulò infra dicitur primogenitus mortuorum, quia prior omnibus resurrexit ad vitam immortalem saltem negatiuè, ita dicitur

cetur primogenitus omnis creaturæ, quia prior omnibus genitus est saltem negatiuè in ordinatione diuina.

1047 Reddens autem rationem Paulus, ob quam Christus uel homo sit primogenitus omnis creaturæ, subdit v. 16. 17. & 18. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesie, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Similitèr loquitur ad Hebræos 2. v. 10. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Dicuntur autem omnia condita, & creata, & constare in Christo ut homine, quatenus omnia posita sunt in eius dominio, & ad ipsi obsequendum facta sunt, & conseruantur: dicuntur etiam omnia per ipsum creata, tanquam per causam finale, & motiuam, quia Christus tanquam finis concurret ad ea creanda, mouendo Deum, ut uellet, & decerneret creare illa: dicuntur tandem omnia facta propter ipsum, quia omnia creata sunt propter ipsum exaltandum, & glorificandum: Dicitur etiam Christus, esse ante omnes aliquali præcedentia in genere causæ finalis, & motiuæ, quia ab eo ut sic pendet omnium creatio.

1048 Hinc efficacitèr conuincitur conclusio. Tum quia de Christo dicitur, esse ante omnes, quod negatiuè saltem intelligendum est, eo quòd nullus fuerit ante ipsum; cumque hoc non possit verificari de existentia temporali, intelligi debet, Christum fuisse ante omnes prædefinitū negatiuè. Tum quia si creaturæ sunt prædefinitæ propter Christum exaltandum, & glorificandum, & ut eius dominio, & obsequio subsint: ergo prædefinitio earum requirit Christum in statu, in quo sit capax exaltationis, glorificationis, dominij, & obsequij, ut patet: ergo in signo prædefinitiois creaturarū non erat Christus possibilis solū, sed uel iam antecedentèr futurus, uel factus tunc futurus concomitantèr. Tum quia prædefinitio creaturarum propter exaltandum, & glorificandum Christum, & ad obsequendum ipsi, est actus beneficentiæ Dei erga Christum ut finem cui: at actus beneficentiæ erga finem cui, non exercetur erga personam possibilem solū, sed erga existen-

tem,

tem, uel exitarum: ergo talis prædefinitio creaturarum uel supponit Christum futurum, uel affert secum concomitantèr futuritionem eius. Tum quia Paulus tandem concludit, ideo Christum esse primogenitum omnis creaturæ, in quo, per què, & propter quem omnia creata sunt, caput Ecclesie, & primogenitum mortuorum, ut esset in omnibus primatum tenens. at non teneret in omnibus primatum respectiuè ad creaturas, si illum non teneret etiam in ordinatione, & prædefinitioe diuina: ergo in hac etiam tenet primatum.

1049 Probatum quartò ex nonnullis Patribus. Rupertus lib. 3. de gloria, & honore filij hominis in Matth. & lib. 13. de gloria Sanctissimæ Trinitatis, & processione Spiritus Sancti, cap. 20. inter alia inquit, *Religiose dicendum, reuerenterque est audiendum, quia propter hunc hominem, (scilicet Christum) gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit.* Et infra. *Rectius dicitur, non hominem propter Angelos, sed propter quendam hominem, (scilicet Christum) Angelos quoque factos esse, & cetera omnia.* Quæ uerba confirmant sine dubio sensum, assignatum uerbis Pauli proximè citatis, & declaratis. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 33. asserit, *predestinasse Deum primum animale m hominem, (scilicet Adamum,) ut a spiritali saluaretur, quia cum præexistet saluans, (scilicet Christus) oportebat, quod & saluaretur, fieri, ut non in vacuum esset saluans: sentit ergo, prius fuisse Christum Saluatorem, & postea fuisse homines, qui saluarentur, ne frustra esset Saluator: quod, cum non possit verificari de præexistentia Christi in tempore, intelligi debet de præexistentia eius in æterna Dei ordinatione in genere causæ finalis.* Cyrillus Alexandrinus lib. 5. thesaur. cap. 8. *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superedificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei, ut cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem uitæ pollicitatio, & seruitutem diaboli adoptionis libertas, ut possit natura humana, superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristina uita per gratiam Christi, qui fundauit eam in bonis, dignitatem recurrere.* Vbi expressè dicitur Christus ante nos præfundatus, & nos in ipso superedificari ante initium mundi in præscientia Dei, id est, in ordinatione diuina, ut declarant etiam uerba sequē-

tia

ria, *vt cum ordine diuino &c.* Eandem doctrinam tenent plures alij Patres apud Franciscum del Castillo Velasco de Incarnat. disp. 4. q. 1. part. 3. qui nu. 45. citat pro ea etiam S. Thomam in 4. dist. 48. q. 2. art. 2. & in additionibus ad 3. part. q. 91. art. 2. & q. 5. de potentia art. 4. & 5. & 4. contra gentes cap. vlt. asserentem, mundum esse conditum propter Prædestinatos, & consequenter etiam propter Christum, quem esse primum Prædestinatorum, tenet 3. p. q. 24. art. 3. & 4.

1050 Probatur quintò. Si Christus non esset prædefinitus in primo signo per primum Dei decretum, maximè quia esset primò prædefinitus post permissam, & præuisum peccatum absolutè futurum, & in remedium eius: sed hoc est fallum: ergo &c. Minor probatur. Primò. Gratia, data primis parentibus in statu innocentie, & Angelis in via, fuit ex meritis Christi, iam prædefiniti: sed hæc gratia fuit independens à peccato Adæ absolutè futuro, & præuisione eius; nam licet Adam non peccaret, adhuc esset gratia in Angelis, & in primis parentibus, quam isti tunc in posteros transfunderent, cum ea gratia data sit primis parentibus cum pacto eam transfundendi in posteros, si Adam non peccaret, vel eam non transfundendi, si peccaret: ergo etiam Christus, ex cuius meritis fuit talis gratia, fuit prædefinitus independentèr à peccato Adæ absolutè futuro, & præuisione eius. Maior probatur. Tum ex Scriptura, ad Ephes. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo*: vbi cum omnis hominum benedictio spiritualis dicatur esse ex Christo, intelligi debet etiam de benedictione spirituali gratiæ, datæ primis parentibus in statu innocentie ante peccatum. Et v. 23. *Ipsam* (scilicet Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam*, nempe influens gratiam in omnia membra eius, seu in omnes fideles, eam constituentes: ergo fuit etiam caput Ecclesiæ, constitutæ ex Angelis in statu viæ, & ex primis parentibus in statu innocentie ante peccatum, influens gratiam in omnes illos; aliàs falsò diceretur caput omnis Ecclesiæ. Et de Angelis id satis expressè asseritur ad Colossenses 2. vbi Christus dicitur *caput omnis Principatus, & Potestatis*. Tum ex Patribus, præsertim S. Thoma in illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, vbi

ait, *omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iusti, qui fuerant, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli*: cuius rei rationem reddens infra dicit: *Quia plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis*: quibus verbis comprehenditur etiam gratia, ante peccatum data Angelis, & primis parentibus in statu innocentie. Item Gregorio 1. Reg. 2. in illa verba: *Neque est alius extra te*, vbi subauditur, (inquit) *sanctus, quia nullus hominum, neque Angelorum sanctus est nisi per Christum*: ergo etiam Angeli, & primi homines ante peccatum non fuerunt sancti nisi per Christum. Cyrillo etiam Alexandrino lib. 5. in Isaiam ad illud cap. 54. *Letare sterilis*, asserente, *omnem spirituales iustificationem tan in Angelis, quam in hominibus in vitam esse per Christum*. Idem docent plures alij Patres.

1052 Secundò. Christus vt prædefinitus, fuit causa non finalis solum, sed etiam meritoria, & exemplaris prædestinationis Angelorum, & hominum, sicque debet esse prædefinitus saltem in signo prædestinationis Angelorum, & hominum: sed prædestinatio saltem Angelorum, & primorum parentum fuit independens à peccato Adæ absolutè futuro, & præuisione eius, saltem respectiue ad aliquos effectus: ergo & prædefinitio Christi. Vtraque præmissa probanda est. Et in primis maior. Et quidem Christum fuisse causam meritoriam talis prædestinationis, colligitur. Tum ex testimonijs Scripturæ, & Patrum, nu. precedente citatis, ex quibus constat, Christum fuisse causam meritoriam omnis gratiæ, datæ Angelis, & primis parentibus, ab eorum prædestinatione procedentis. Tum ex Ioan. 14. vbi dicit Christus: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, id est, nisi per merita mea: particula autem, *nemo*, comprehendit homines, & Angelos, sicut & quando dicitur Marci 10. v. 18. *Nemo bonus nisi vnus Deus*. Et ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso* (scilicet Christo) *ante mundi constitutionem*. Et v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipso*. Fuisse etiam Christum causam exemplarem talis prædestinationis, patet ex ad Roman. 8. *Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, id est, primus prædestinatorum; cui tanquam

exemplari conformes sunt prædestinati.

1052 Deinde probatur minor. Gratia, data Angelis bonis in via, & primis parentibus in statu innocentiae, etiam ut primò infusa, fuit effectus prædestinationis eorum: sed talis gratia fuit independens à peccato Adæ absolutè futuro, & à prævisione eius, ut dictum est nu. 1050: ergo & prædestinatio eorum saltem respectuè ad dictum effectum. Maior probatur. Et quidem de gratia, data Angelis bonis in via, est certum. De gratia verò, data primis parentibus in statu innocentiae, patet. Nam talis gratia, etià ut primò infusa, conduxit cum effectu ad eorū beatitudinē, fuitque eis primò infusa ex speciali affectu beatitudinis ipsorum, scilicet ex speciali affectu dandi ipsis auxilium efficax ad eam recuperandam, si per peccatum amitteretur: ergo est effectus prædestinationis eorum. Nec obstat, talem gratiam fuisse peccato primorum parentum subsequente interruptam. Ostendimus enim disp. 5. de Prædestinatione cap. 1. gratiam habitualement, peccato subsequente interruptam, & postea reuiuiscens per poenitentiam, qualis fuit gratia, data primis parentibus in statu innocentiae, esse effectum prædestinationis etiam ut primò infusam, quia ab initio fuit primò infusa ex diuina intentione speciali dandi prædestinato auxilium efficax ad eius reparationem, si peccato interrupti contingeret.

1053 Nec dicas, Christum solū meruisse effectus prædestinationis primorum parentum, subsequentes peccatum absolutè præuisum, non verò primum effectum eius, antecedentem peccatum absolutè præuisum, qualis erat gratia, data illis in statu innocentiae. Nam sic non posset dici Christus meruisse eorum prædestinationem, quæ complectitur etiam primum illum effectum; sicut primum opus nostrum supernaturale, licet mereatur congruè alios effectus prædestinationis, subsequentes ipsum, tamen non dicitur congruè mereri nostram prædestinationem, quia non meretur primum effectum eius, scilicet auxilium, datum ad tale primum opus supernaturale: ergo &c.

1054 Tertiò. Si Christus esset primò prædefinitus post permissum, & præuisum peccatum absolutè futurum, & in remedium eius, maximè propter testimonia aliqua Scripturæ: &

Pa-

Patrum, in quibus dicitur, Christum venisse, descendisse de caelis, datum, & missum esse in remedium peccati, Lucæ 19. *Venit enim Filius hominis querere, & saluum facere, quod perierat.* Ioan. 3. v. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* Ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum, ut eos, qui sub lege erant redimeret.* 1. ad Timotheum 1. *Christus Iesus venit in mundum, peccatores saluos facere.* Et in symbolo Niseno: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est &c.* Idem modus loquendi legitur passim apud Patres: sed hæc ratio est nulla: ergo &c. Minor probatur. Dicta testimonia locuntur vniuersaliter non solū de primis parentibus, ipsorumque peccato, sed etiam de omnibus hominibus, ipsorumque peccatis tam actualibus, quàm originalibus ut contractis, ut constabit perpendenti dicta testimonia, & vlteriùs illud ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Et 1. Ioan. 2. *Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi:* sed, hoc non obstante, propter dicta testimonia non ponitur Christus primò prædefinitus post permissa, & præuisa absolutè futura omnium hominum peccata actualia, & originalia ut contracta: ergo nec ponendus est propter illa primò prædefinitus post vllum peccatum permissum, & præuisum absolutè futurum.

1055 Minor est communiter recepta inter Doctores. Et in primis de peccatis actualibus posterorum Adæ, patet. Nam sunt innumera peccata actualia posterorum Adæ, quæ ex se supponunt existentiam Christi prædefinitam, v. g. peccata infidelitatis in Christum, Ecclesiam ab ipse institutam, & doctrinam ab ipso traditam, vel per se immediatè, vel mediante Ecclesia eius; peccata odij, blasphemiae, & irrisionis in Christum, Ecclesiam, & doctrinam eius; peccata persecutionis, accusationis, flagellationis, & crucifixionis Christi, & martyrum eius; peccata contra præcepta positiva, imposita à Christo, eiusve Ecclesia; peccata item commissa ab hominibus, resistentibus auxilijs, ex meritis Christi collatis, ad ea vitanda; hæc enim omnia, & similia peccata actualia dependent ab existentia Christi prædefinita, eamque supponunt: ergo non fuit primò præ-

Qqg

præ

prædefinitus Christus post dicta peccata permiffa, & præuifa abfoluté futura. Idem generalitér ostendi potest de omnibus peccatis actualibus posterorum. Nam omnia hæc peccata fupponebant existentiam, & generationem posterorum: sed existentia, & generatio posterorum fupponebat Christum prædefinitum: ergo & omnia dicta peccata; atque adeò non fuit primò prædefinitus Christus post ipsa permiffa, & præuifa abfoluté futura. Minor probatur. Tum quia parentes frequenter applicantur ad generandum, instructi gratia, data ex meritis Christi ad vitanda peccata, quæ in generatione contingere possent. Tum quia multorum generatio oritur liberè ex applicatione parentum ad ipsam, imperata affectu honesto fupernaturali, elicitò ex auxilio gratiæ fupernaturali, habito ex meritis Christi. Tum quia plurimorum generatio fuit imperata à parentibus per orationem fupernaturalem, procedentem ex gratia Christi. Tum quia generatio omnium posterorum Adæ dependet ab affectu Adæ, liberè volentis gignere filios, eumque fupponit defacto: at hic affectus Adæ, (vt pie credi potest,) fuit honestus fupernaturalis, elicitus ex auxilio gratiæ, dato ex meritis Christi, huncque merentem fupponens: ergo eundem fupponit generatio omnium posterorum Adæ. Deinde de peccatis originalibus posterorum Adæ, vt contractis iam in illis, constat ex dictis. Nam peccatum originale, vt contractum iam in posteris, fupponit ipforum generationem, à qua tanquam à conditione requisita dependet eius contractio ex diuina ordinatione, vt dictum est disp. 3. cap. 4. punct. 2: sed generatio posterorum fupponit Christum prædefinitum, vt probatum est: ergo & peccatum originale vt contractum iam in illis; atque adeò non fuit Christus primò prædefinitus post peccata originalia vt iam contracta in posteris.

1056. Probatur sextò conclusio. Christum esse in primo signo prædefinitum per primum Dei decretum antecedentè ad peccatum, & independētè ab ipso ob motiua, declaranda punct. 3. cedit in maximam eius gloriam, & excellentiã, sic enim melius tenet in omnibus primatum: ergo cum hoc aliunde possit facile cõponi cum hoc ordine rerum, iuxta inferiùs dicenda, sitque conforme testimonijs Scripturæ, & Patrum citatis, non poterit

rit rationabiliter Christo denegari.

1057. Obiectiones, quæ contra dicta, & in sequentibus punctis dicenda fieri possent, commodius soluentur infra, post integrè propositam, & declaratam nostram opinionem.

1058.

PUNCTVM II.

An solus Christus fuerit in primo signo prædefinitus.

1059. **E**X Doctoribus, nobiscum constituentibus Christum prædefinitum in primo signo independētè à peccato abfoluté futuro, eiusque permiffione, Aliqui volunt, solum Christum fuisse prædefinitum in primo signo, reliqua verò omnia fuisse prædefinita in sequētibus signis ex meritis Christi, quæ ipse liberè obtulit pro aliarum rerum productione. Alij constituunt Christum in primo signo prædefinitum simul cum cælis, & elementis, non verò simul cum Angelis, & hominibus, qui in alio signo sequente decreti dicuntur. Alij è conuerso existimant, Christum fuisse prædefinitum in primo signo simul cum Angelis, & hominibus, non verò simul cum alijs creaturis. Alij contendunt, Christum fuisse prædefinitum in primo signo simul cum Angelis, & hominibus, cæterisque creaturis saltem naturalibus.

1060. Censeo primò. Non fuit in primo signo prædefinitus solus Christus, sed simul cum ipso prædefiniti sunt Angeli, homines, cæli, elementa, omnesque aliæ creaturæ naturales, à libertate creata independentes in sui productione. Probatur primò. Si Christus solus esset in primo signo prædefinitus, sequeretur, Christum ex vi huius decreti mansurum solum, si ipse nollet sua merita offerre pro aliarum rerum productione, & Deus nollet, eas producere: at hoc esset minus decens Christo: ergo non fuit in primo signo solus Christus prædefinitus: Christus enim ponendus est prædefinitus modo ipsi valde decente. Minor probatur. Si Christus esset solus, essent in ipso

val:

valde otiosæ aliquæ potentiæ: Nam primò auditus non posset elicere auditiones circa suum obiectum, scilicet sonum; tunc enim non posset formari sonus, ad quem requiritur collisio duorum corporum cum resiliencia alicuius corporis fluidi, quod tunc non esset: secundò ob eandem rationem potentia locutiua non posset formare locutiones ob defectum corporis fluidi resilientis, requisiti ad formandum sonum locutionis: tertio visus Christi non posset percipere alia obiecta extra se, & idem esset de O factu, Gustu, & Tactu; quæ sine dubio essent minus decentia Christo: ergo &c.

1061 Probatur secundò. Christus in primo signo prædefinitus est iam redemptor hominum saltem conditionatè, si contingeret, eos indigere redemptione, vt concedunt etiam aduersarij: ergo necesse est, vt in tali signo ponantur homines in statu, in quo possint esse redemptionis capaces, & in quo posset contingere, vt indigeant redemptione: at hoc esse non posset, si in tali signo non sint prædefiniti, & absolutè futuri: ergo necesse est, vt in tali signo sint prædefiniti, & absolutè futuri. Confirmatur. Præparatio medicamenti, curatiui vulneris, si contingerit, fatua, & imprudens esset, nullo existente, aut futuro animali, cui vulnus contingere posset: ergo similiter fatua, & imprudens esset præparatio medicamenti, curatiui vulneris peccati hominum, si contingerit, nullis existentibus, aut futuris hominibus, quibus vulnus peccati contingere posset. Quòd si semel in primo signo ponantur homines simul cum Christo prædefiniti, non est, cur non ponantur etiam Angeli, cæli, elementa, cæteræque creaturæ naturales supradictæ.

1062 Probatur tertio. Christum esse in primo signo prædefinitum vt causam finalem dictarum creaturarum naturalium, cedit in gloriam, & honorem Christi: ergo ponendus est Christus in primo signo prædefinitus vt causa finalis dictarum creaturarum naturalium: sed Christus vt causa finalis dictarum creaturarum naturalium dicit connexionem cum futuritione earum, vt patet: ergo in primo signo ponendæ sunt prædefinitæ, & absolutè futuræ dictæ creaturæ naturales. Vnde dicendum est, Angelos, & homines esse in primo signo prædefinitos propter Christum vt causam finalem, & motiuam, alias verò crea-

creaturas irracionales dictas, esse in tali signo prædefinitas propter homines, & Angelos, & propter Christum, iuxta illud 1. ad Corint. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

1063 Dixi, *creaturæ naturales*: nam dona supernaturalia, hominibus, & Angelis collata in ordine ad salutem, & gloriam ipsorum, cum sint ex meritis Christi, non sunt absolutè prædefinita in primo signo simul cum Christo, sed in alijs signis sequentibus post absolutè præuisa merita Christi. Dixi etiam, *à libertate creatæ independentes in sui productione*: nam cum in primo signo non concipiatur adhuc exercitium vllum libertatis creatæ, non potuerunt in illo prædefiniri creaturæ naturales, si quæ sunt dependentes in sui productione à libertate creatæ.

1064 Censeo secundò. In primo signo prædefinitionis Christi decreuit Deus primos parentes determinatè tam quoad animas, quàm quoad corpora, & vnionem; posteros verò decreuit determinatè quoad animas, & disiunctiue, & indeterminatè quoad corpora, & vnionem, decernendo scilicet vnumquemque posterum cum hoc, vel illo corpore, & vnione, à se postea determinandis, positis nonnullis conditionibus, aut circumstantijs. Ita Gregorius apud Capreolum in 2. dist. 20. art. 3. ad vlt. Molina de opere sex dierum disp. vlt. quorum doctrinam probabilem iudicant Suares de opere sex dierum lib. 5. cap. 4. à nu. 8. & Arriaga de opere sex dierum disp. 42. sect. 4. sub 1. num. 28. & alij. Prima pars de primis parentibus est certa. Nam cum primi parentes producti sint immediatè à solo Deo, independentè à libero vsu voluntatis creatæ, non est, cur negemus, eos fuisse à Deo in primo signo decretos determinatè quoad animas, corpora, & vnionem simul.

1065 Secunda pars de posteris Adæ probatur. Primò. Posterii Adæ non sunt decreti in primo illo signo cum hoc corpore determinato, quod defacto habuerunt, atque adeò nec cum hac determinata vnione: ergo decreti sunt cum hoc, vel illo corpore, & vnione disiunctiue, à se postea determinandis; præsertim cum dici non possit, fuisse decretas animas solas sine vllò ordine ad corpus, hoc enim non esset iuxta ipsarum natura-

turam, & exigentiam. Antecedens probatur, posterius Adæ in primo illo signo sunt decreta cum indifferentia, ut nascerentur vel ex Adam peccatore, vel ex Adam non peccatore, sed innocente, ita ut ex Adam peccatore nascerentur in peccato, & ex ipso non peccatore nascerentur in gratia: sed si essent decreta cum hoc corpore determinato, quod defacto habuerunt, non essent decreta cum indifferentia, ut nascerentur vel ex Adam peccatore, vel ex Adam non peccatore: ergo non sunt decreta cum hoc corpore determinato, quod defacto habuerunt. Minor probatur. Si posterius nascerentur ex Adam non peccatore, eo quod ipse non peccasset, non nascerentur cum hoc corpore determinato, quod defacto habuerunt: ergo si essent decreta cum hoc corpore determinato, quod defacto habuerunt, non essent decreta cum indifferentia, ut nascerentur vel ex Adam peccatore, vel ex Adam non peccatore. Antecedens probatur. Corpus formatum ex semine, & sanguine parentum: sed casu, quo posterius nascerentur ex Adam non peccatore, non esset idem semen, & sanguis in parentibus, ex quo formandum esset tunc corpus posterius: ergo non nascerentur tunc cum hoc eodem corpore determinato, quod defacto habuerunt. Minor probatur. Semen, & sanguis fit ex cibis, quibus homines aluntur: sed si Adam non peccasset, homines non alerentur eisdem cibis, quibus nunc aluntur; tunc enim alerentur ex arboribus, & fructibus Paradyfi, nunc vero aluntur ex alijs arboribus, & fructibus, specie, vel numero distinctis, & ex carnibus animalium, per orbem dispersorum: ergo non esset tunc idem semen, & sanguis in parentibus, ac modo est.

1066 Probatur secundò. Si in primo signo prædefinitionis Christi essent efficaciter decreta posterius Adæ cum anima, corpore, & unione determinatis, essent etiam efficaciter decreta eorum generationes: sed hæc non sunt efficaciter decreta in tali signo: ergo nec posterius Adæ cum anima, corpore, & unione determinatis. Minor probatur. Tum quia plurimum hominum generationes fuerunt impetratæ precibus, & orationibus parentum ex meritis Christi absolute passibilis, & redemptoris liberatiuè: ergo saltem istorum generationes non sunt effi-

caci-

faciter decretæ in primo illo signo, in quo prædefinitus est Christus independentè à passibilitate, & redemptione liberatiua, absolute volita. Tum quia generationes posterius dependent ab affectu Adæ, liberè se applicantis ad generandum filios: sed hic affectus liber Adæ non fuit in primo illo signo: ergo nec generationes posterius. Minor probatur. Hic affectus liber Adæ fuit honestus, & supernaturalis, elicitus cum auxilio gratiæ ex meritis Christi absolute passibilis, & redemptoris liberatiuè; cum iuxta receptam Theologorum doctrinam omnia auxilia gratiæ, data hominibus post peccatum Adæ, fuerint ex meritis Christi absolute passibilis, & redemptoris liberatiuè: ergo hic affectus liber Adæ non fuit in primo illo signo, in quo prædefinitus est Christus independentè à passibilitate, & redemptione liberatiua, absolute volita. Tum quia generationes posterius Adæ dependent ab applicatione libera parentum ad generandum: ergo si hæc generationes fuerint efficaciter decretæ, & prædefinitæ in illo signo prædefinitionis Christi, in illo etiam debuit esse efficaciter prædefinita libera parentum applicatio ad generandum, à qua illæ dependent defacto: sed libera hæc parentum applicatio non potuit efficaciter prædefiniri, iuxta dicta disp. 3. de Providentia Dei, ubi generalitèr ostendimus fasè, non posse actus liberos creatos à Deo efficaciter prædefiniri sine læsione libertatis: ergo nec dictæ generationes posterius in tali signo.

1067 Iuxta hanc doctrinam rectè intelligitur, primò, quomodo aliquorum generatio impetrata fuerit precibus, & orationibus parentum ex meritis Christi absolute passibilis, & redemptoris liberatiuè: Nam cum posterius non fuerint decreta à Deo in primo signo cum determinato corpore, unione, & generatione, atque adeò nec ex determinatis parentibus, poterunt quidem postea preces, & orationes parentum ex meritis Christi absolute passibilis, & redemptoris liberatiuè, impetrare, quòd aliqua ex animabus, à Deo prædefinitis in primo signo, uniretur huic corpori determinato, formando ex materia, à dictis parentibus ministranda, & per unionem determinatam, à dictis parentibus, aut eorum semine producendam.

Rrr

dam.

dam. Secundò, quomodo generatio posterorum Adæ dependeat ab applicatione libera parentum: Nam post animas, in primo signo prædefinitas præscisive à corpore determinato, potuit Deus decernere postea, quòd illæ vnirentur corpori determinato, formando ex materia, subministranda à parentibus, liberè ad id applicatis, & per vnionem determinatam, ab eisdem sic liberè applicatis, aut ipsorum semine producendam, eos excitando, & alliciendo ad se liberè ad id applicandum.

1068

PUNCTUM III.

Motiva, propter qua fuit Christus in primo signo prædefinitus.

1069 **E**X Doctoribus nobiscum constituentibus Christum prædefinitum in primo signo, independentè à peccato absolutè futuro, eiusque permissione, Aliqui dicunt, Christum fuisse in primo signo prædefinitum ob solam excellentiam mysterij intrinsecam præscisive omnino à passibilitate, & impassibilitate. Alij sentiunt, fuisse prædefinitum absolutè ob excellentiam mysterij intrinsecam, præscisive à passibilitate, & impassibilitate, & conditionatè fuisse prædefinitum passibilem ob redemptionem liberatiuam generis humani, sub conditione scilicet quòd esset peccatum. Alij addunt, fuisse prædefinitum etiam vt causam finalem rerum omnium, vt causam exemplarem prædestinatorum, & vt caput omnis Ecclesiæ saltem conditionatè.

1070 Ad resolutionem supponenda sunt duo, à nobis fusè declarata in materia de Prædestinat. disp. 6. cap. 4. Primum est, ex meritis Christi alia fuisse communia, & generalia ex se ad omnes homines, & Angelos, tam Prædestinatos, quàm Reprobos, eo quòd non haberent ex se specialem respectum ad Prædestinatos potius quàm ad Reprobos, v. g. actio gratiarum, à Christo elicitæ pro beneficio vnionis hypostaticæ, alijque donis, & beneficijs, eam comitantibus ex natura rei, lu-

ten.

tionissima Dei dilectio, & similia: alia verò fuisse specialia, & determinata ad solos Prædestinatos, v. g. oratio, pro eis specialitèr facta, per quam ipsis specialitèr applicauit alia merita communia, & generalia, futura iam antecedentè, & independentè ab hac speciali applicatione, ita vt hæc specialis applicatio non fuerit principium, imperans merita illa communia, & generalia, sed subsequens, & supponens illa iam absolutè præuisa.

1071 Secundum est, primum Dei decretum, terminatum ad Christum, voluisse Christum, eiusque merita aliqua communia, & generalia, non quidem ex affectu speciali salutis Prædestinatorum, sed ex affectu salutis generali, & æquali ad omnes tam Prædestinatos, quàm Reprobos, qualem posuimus loco citato de Prædestinat. quo Deus decreuit Christum, eiusque merita aliqua communia, & generalia propter hominum, & Angelorum salutem, & gloriam, dandam ipsis, prout placeret postea Christo, inspirato per inspirationem, à se postea determinandam, & immittendam. Christi voluntati postea determinandum relinquendo, pro quibus esset specialitèr salus desideranda, & pro quibus non, pro quibus etiam essent specialitèr ipsius merita illa communia postea applicanda, & pro quibus non. Dixi, tale decretum non voluisse Christum, eiusque merita aliqua communia ex affectu speciali salutis Prædestinatorum: nam aliàs Christus, eiusque merita communia dicta, essent effectus nostræ Prædestinationis; cumque Christus non meruerit defacto suam existentiam, & merita dicta communia, licet omnes alios effectus promeruerit, non posset absolutè dici causa meritoria totius nostræ Prædestinationis, omniumque effectuum eius; quod multum detraheret de excellentia, & dignitate Christi, & meritorum eius, essetque parum conforme modo loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, vt ponderauimus loco citato de Prædestinat.

1072 Censeo primò. Christus prædefinitus est in primo signo ob excellentiam intrinsecam mysterij Incarnationis. Probatur primò. Christus ponendus est prædefinitus in primo signo, modo magis decente ipsi Christo, magisque cedente in

Rrr 2

eius

eius gloriam, & honorem: sed Christum esse prædefinitum in primo signo ob excellentiam intrinsecam mysterij, est modus magis decens ipsi Christo, magisque cedens in eius gloriam, & honorem: ergo ponendus est Christus prædefinitus in primo signo ob excellentiam intrinsecam mysterij, præsertim cum hoc motiuum non excludat alia. Secundò. Deus decreuit Christo plurima dona ob ipsius Christi excellentiam, v.g. gratiam habitualem, visionem beatam, scientiam infusam, & similia, ipsi debita ex natura rei: ergo & decreuit ipsum ob eandem excellentiam; si enim excellètia Christi mouet Deum ad decernenda dicta dona, cur negandum est, mouere Deum etiam ad decernendum ipsummet Christum.

1073 Tertiò. Si Christus non esset decretus ob excellentiam intrinsecam mysterij, maximè quia Scriptura, dum de Christi prædefinitione loquitur, nullam facit mentionem huius motiui, sed salutis hominum præcisè: sed hæc ratio est nulla: ergo &c. Minor probatur. Scriptura solùm facere solet mentionem motiui extrinseci, quod ex natura rei deduci non potest, non verò motiui intrinseci, quod ex natura rei deducitur, debere interuenire, qualis est excellentia mysterij; sic Scriptura nullibi dicit, Angelos, & alias creaturas excellentes vniuersi esse conditas propter excellentiam intrinsecam ipsarum, & tamen sentiunt Doctores communiter, esse conditas ob intrinsecam ipsarum excellentiam; similiter Scriptura asserens præcisè, Christum prædefinitum propter hominum salutem, non excludit ipsius prædefinitionem propter gloriam Dei, etenim Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Confirmatur. Salus hominum, ob quam dicitur prædefinitus Christus, fuit etiam prædefinita à Deo propter ipsam Christum, ipsiusque gloriam, vt constat ex Trident. sess. 6. cap. 7. vbi dicit, gloriam Christi, & Dei esse causam finalem nostræ iustificationis: ergo gloria Christi, quæ est motiuum prædefiniendi salutem hominum, erit prædefinita propter se. Quòd si aliqui Patres innuant, Christum non propter se, sed propter nostram salutem prædefinitum: solùm intendunt, excellentiam mysterij præcisè non fuisse motiuum sufficiens prædefinitionis Christi sine motiuo nostræ salutis.

non autem negant, illam fuisse motiuum simul cum ista.

1074 Addunt aliqui, Christum fuisse prædefinitum ob nobilitandum genus humanum tam excellenti mysterio Incarnationis; id deducentes ex illo symboli Niseni, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est;* vbi diuersum motiuum exprimi videtur in prioribus verbis, *propter nos homines*, ac in posterioribus, *propter nostram salutem*, aliàs inutilis esset illa repetitio, si solius salutis nostræ in vtrisque verbis mentio fieret: cum ergo in posterioribus verbis sermo sit de motiuo nostræ salutis, in prioribus erit sermo de nobilitatione hominum, ita vt sensus sit, descendisse de cælis, & incarnatum fuisse propter nos homines nobilitandos, & saluandos. Quam doctrinam valde probabilem iudico, motiuum enim nobilitandi genus humanum tam excellenti mysterio, cedit sine dubio in gloriam, & honorem Christi, eiusque prædefinitionis.

1075 Censeo secundò. Christus decretus est in primo signo vt causa finalis, & motiua productionis rerum. Probatur. Primò testimonijs citatis punct. 1. præsertim Prouerb. 8. v. 30. vbi Sapientia Incarnata ait de se ipsa, *cum eo eram cuncta componens*, scilicet vt causa finalis, & motiua. Eccles. 24. v. 5. dicit etiam de se ipsa, eadem Sapientia Incarnata, *ego facta in cælis, vt orientetur lumen indeficiens*, scilicet vt causa finalis, & motiua. Ad Colossenses 1. v. 16. 17. & 18. & ad Hebræos 2. v. 10. dicuntur omnia creata *in Christo, per Christum*, & propter Christum, vt causam scilicet finalem. Rupertus etiam ibidem citatus aperte pronuntiat, omnia propter Christum creata esse. Secundò. Christum esse causam finalem, & motiuam productionis rerum omnium, cedit in maiorem Christi gloriam, & excellentiam: ergo concedendum est Christo.

1076 Aduerte tamen, Christum in primo signo solùm fuisse decretum absolutè causam finalem productionis rerum, in tali signo decretarum, non verò rerum in alijs sequentibus decretarum; licet enim res, in sequentibus signis decretæ, sint in illis decretæ etiam propter Christum, non tamen sunt propter ipsum decretæ in primo signo, vt liquet. Vnde conditionatè solùm decretus est Christus in primo signo causa finalis

productionis rerum, in signis sequentibus decretarum, sub conditione scilicet, quod illæ producerentur, decernendo iam ex tunc nihil producere, & decernere nisi propter Christum.

1077 Censeo tertio. Christus decretus est in primo signo caput saltem in actu primo omnis Ecclesiæ, & membrorum eius ob hanc capitis dignitatem. Et quidem Christum fuisse caput omnis Ecclesiæ, quatenus fuit causa meritoria, meritorie influens gratias in omnes, Ecclesiam constituentes, tanquam membra, constat iam ex punct. 1. præsertim probat. §. nu. 1050. Quod verò in primo signo decretus fuerit caput saltem in actu primo omnis Ecclesiæ ob hanc capitis dignitatem, patet. Nam Christum esse in primo signo decretum ut caput saltē in actu primo omnis Ecclesiæ, meritorium ex se salutis hominum, & Angelorum, & gratiarum, ad eam conducentium in quocunque statu cuiusvis Ecclesiæ, cedit in maximam Christi gloriam, & excellentiam: ergo concedendum est Christo.

1078 Vbi adverte, decretum dictum Christi ut capitis in actu primo omnis Ecclesiæ velle Christum, & merita aliqua eius communia, simul cum auxilijs gratiæ ad elicienda illa, licet cum aliqua differentia, nam Christū, & auxilia vult efficaciter, merita verò ineffaciter; actus enim liberi creati, qualia sunt merita Christi, secundum quod dicunt in recto, non possunt à Deo prædefiniri decreto efficaci, sed ineffaciter solum, sufficiente tamen ad applicandam omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate creata ad ipsos, ut ostendimus in tractatu de Providentia Dei.

1079 Censeo quarto. Christus decretus est in primo signo ut causa exemplaris Prædestinatorum saltem conditionatè, sub conditione scilicet, quod placeret Christo, aliquos prædestinare. Et imprimis quod Christus sit causa exemplaris Prædestinatorum, ad cuius similitudinem sint aliqui prædestinati, patet ex testimonio Pauli ad Roman. 8. citato punct. 1. probat. §. num. 1051. *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, scilicet Prædestinatis.* Deinde quod Christus decretus sit in primo signo ut causa exemplaris Prædestinatorum saltem conditionatè, probatur. Christum esse ita decretum in primo si-

gno,

gno, nullam dicit repugnantiam, & aliunde cedit in maiorem Christi gloriam, & excellentiam: ergo non est id Christo denegandum. Dixi, *saltem conditionatè*: nam cum in primo signo Christus cum meritis communibus non sit decretus ex affectu speciali salutis Prædestinatorum, sed ex affectu salutis generali, & æquali ad omnes, Christi voluntati postea determinandum relinquendo prædestinationem aliquorum præ alijs, si ipsi placeret, non potuit in tali signo decerni absolutè causa exemplaris Prædestinatorum, sed conditionatè solum, si Christo placeret postea, aliquos prædestinare.

1080 Maior difficultas est, Quomodo Christus decretus sit in primo signo ut Redemptor, seu ob dignitatem Redemptoris. Ad quod suppono ex Bernardo serm. 22. in Cantica, duplicem esse redemptionem à peccato: unam liberatiuam, seu reparatiuam, qua persona liberatur à peccato iam incurso, vel quoad sufficientiam, dato auxilio sufficiente ad talem liberationem, vel quoad efficaciam, dato auxilio efficaci ad illam, quo sequitur in re liberatio à peccato incurso: aliam verò præservatiuam, qua persona præservatur à peccati contractione, vel quoad sufficientiam, dato auxilio sufficiente, ne persona in illud labatur, vel quoad efficaciam, dato auxilio efficaci, quo persona in re non labitur in peccatum. Primum redemptionis genus exercuit defacto Christus respectu omnium hominum, excepta Deipara, quatenus omnibus illis meruit auxilia, ut liberarentur à peccato, quibusdam quidem efficaciam, alijs verò sufficientiam; non verò respectu Angelorum, quia Angelis, qui peccaverunt, nulla Christus meruit auxilia ad huc sufficientiam, ut à peccato commisso liberarentur: Secundum autem redemptionis genus exercuit Christus defacto, tam respectu Angelorum, quibus omnibus meruit præservationem à peccato, bonis quidem quoad efficaciam, malis verò quoad sufficientiam, quam respectu hominum, quibus meruit præservationem à peccato originali quoad sufficientiam tantum, dato Adæ auxilio sufficiente ad non peccandum, excepta Deipara, cui meruit præservationem ab originali quoad efficaciam: præservationem etiam à peccatis actualibus, quibusdam hominibus meruit quoad efficaciam, & alijs quoad suffi-

cientiam.

cientiam, quibusdam præseruationem efficacem à pluribus, & quibusdam à paucioribus peccatis. Aduerte tamen, me hic non loqui de Redemptione præseruatiua stricta, qualis fuit præseruatio Deiparæ ab originali, sed de Redemptione præseruatiua, præsciliuè à stricta, & lata, pro qualibet præseruatione à peccato, quod persona incurrere potest; non enim qualibet præseruatio à peccato etiam efficax, est strictè redemptio præseruatiua, iuxta inferiùs dicenda cap. 5. punct. 4.

1081 Hoc supposito, Censeo quinq̄. Christus decretus est in primo signo vt Redemptor, seu ob dignitatem Redemptoris, tam præseruatiuè in ordine ad Angelos, & homines, quàm liberatiuè in ordine ad homines saltem conditionatè, scilicet sub conditione, quòd esset peccatum, & Christus vitam passibilem eligeret pro liberatione hominum ab ipso. Declaro conclusionem. Christus decretus est absolutè Redemptor præseruatiuè Angelorum, & hominum, quatenus decretus est causa meritoria, & inductiua auxiliorum ad vitanda peccata in ipsis, modo postea determinando à Christo, iuxta superiùs dicta num. 1071. Decretus est etiam Christus Redemptor hominum liberatiuè saltem conditionatè, quatenus decretus est causa, tum meritoria ex se auxiliorum, & requisitorum ad depellendum peccatum, tum condignè satisfactoria pro illo, casu quo committeretur, & Christus vitam passibilem eligeret pro liberatione hominum ab ipso, Christi etiam arbitrio determinandum relinquendo modum, quo hæc redemptio liberatiua exequenda esset.

1082 Conclusio, sic declarata, probatur primò testimonijs scripturæ punct. 1. num. 1054. citatis. Lucæ 19. *Venit Filius hominis querere, & saluum facere, quod perierat.* Ioan. 3. *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* 1. ad Timotheum 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* Et in Symbolo Niseno, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & Incarnatus est.* In his testimonijs satis clarè dicitur, Christum venisse, descendisse, & missum esse ad saluandos, & redimendos homines: cumque verba sint genera-

lia,

lia, & indifferentia aptè intelligi poterunt de vtraque redemptione, tam præseruatiua, quàm liberatiua conditionatè voluta modo explicato, præsertim cum non possint intelligi de redemptione liberatiua, saltem in primo signo absolutè voluta, iuxta dicta cap. 1. 2. & 3. Eundem modum loquendi obseruant communiter Ecclesiæ Patres.

1083 Nec dicas cum Scotistis, Christum non ideo dici venisse, descendisse, & missum esse in remedium peccati, quia substantia eius fuerit prædefinita ob remedium peccati, sed quia factus est passibilis ob remedium peccati, & ob hoc motiuum Christo, iam antecedentè futuro, adiuncta est circumstantia passibilitatis. Nam hoc est apertè contra citata Scripturæ testimonia, in quibus dicitur, Christum venisse, descendisse, & missum esse ob remedium peccati: hoc autem denotat, substantiam ipsam Christi factam, & prædefinitam fuisse ob remedium peccati, & ex hoc motiuo Verbum assumpsisse carnem humanam: Si enim Christo, iam antecedentè existenti, esset solum adiuncta passibilitas accidentalis ob remedium peccati, non rectè diceretur, venire, descendere, & mitti ex tali motiuo, sed ad summum Christus, iam antecedentè existens, diceretur, accipere accidentalitè ob tale motiuum circumstantiam passibilitatis: sicut cum parietes templi, iam antecedentè existentes, ornantur ob aliquam festiuitatem, non dicuntur fieri, sed accidentalitè ornari præscisè ob talem finem. Adde, in symbolo Nyceno expressè distingui descensum Christi, & Incarnationem à passibilitate, de qua fit postea mentio post verba, superiùs citata nu. præcedente, ibi, *Crucifixus, passus, & sepultus*, & omnia hæc dicuntur facta propter nostram salutem: ergo nomen descensus, & Incarnationis propter nostram salutem cadit supra substantiam Christi, & non supra passibilitatem eius.

1084 Nec refert, decretum illud efficax Christi in primo signo fuisse absolutum respectu substantiæ Christi, sicque non potuisse esse conditionatum respectu eiusdem substantiæ Christi. Nam licet decretum illud in primo signo fuerit absolutum substantiæ Christi respectiue ad motiuum excellentiæ mysterij, ob quam fuit absolutè voluta substantia Christi, tamen

Sss

fait

fuit conditionatum eiusdem substantiæ Christi respectu ad motiuum redemptionis liberatiuæ à peccato, in ordine ad quæ fuit solùm conditionatè volita substantia Christi; non enim repugnat, idem decretum esse simul absolutum, & conditionatum eiusdem obiecti respectu ad diuersa motiua.

1085 Probatur secundò. Christum esse in primo signo decretum vt Redemptorem modo dicto, cedit in maximam Christi gloriam, & excellentiam; cum hoc pacto constituatur totum nostræ salutis, & redemptionis negotium in voluntate Christi, liberè ad id eligentis vitam passibilem, & mortalem, ex quo mirè elucet, & commendatur charitas eius erga homines: hic etiam modus decernendi Christum commendat maximè benignitatem, & misericordiam Dei, præparantis iam antecedentè remedium, & medicinam vulnere peccati, si contingeret, ob præuisum periculum eius; quod elegantè expressit Cyrillus Alexand. lib. 5. thesauri cap. 8. dicens, *Creator noster Christum nostræ salutis fundamentum etiam ante initium fundauit, vt si præuicatione caderemus, in ipso rursus renouareretur;* & hoc idem dixerat iam paulò antea idem Cyrillus verbis supra relatis punct. 1. probat. 4. nu. 1049: ergo ponendus est Christus decretus in primo signo vt Redemptor modo dicto.

1086 Probatur tertio. Iuxta hanc doctrinam facile conciliantur plura Scripturæ, & Patrum testimonia, quorum aliqua dicunt, Christum prædefinitum antecedentè, & independentè à nostro peccato, absolutè futuro; alia verò dicunt, Christum prædefinitum in remedium peccati: vtraque enim testimonia vera sunt, ponendo Christum prædefinitum in primo signo vt Redemptorem præseruatiuum à peccato imminente per merita auxiliorum ad illud vitandum, & vt Redemptorem liberatiuum ab eodem peccato conditionatè, si committeretur, & vitam passibilem Christus eligeret; sic enim cõstituitur Christus prædefinitus dependentè à peccato præuiso, non vt absolutè futuro, sed vt imminente ratione causarum, & circumstantiarum præuisarum. Quomodo verò intelligendi sint aliqui Patres, qui innuere videntur, Christum fuisse prædefinitum post peccatum Adæ, absolutè futurum, constabit ex inferius dicendis, præsertim ex obiectionum solutione.

1087 Censeo sextò. Motiua suprascripta, ob quæ decretus est Christus in primo signo, non sunt totalia, sed partialia, constituentia vnum motiuum adæquatum decreti Christi. Probatur. Christus decretus est in primo signo propter omnia dicta motiua: ergo decretus est propter omnia illa vno decreto indiuisibili; non enim est, cur in eodem signo poni debeant plura eiusdem rei decreta, quando sufficit vnum: ergo omnia illa motiua efficiant vnum motiuum totale talis decreti. Patet hæc consequentia. Nam tale decretum attingit indiuisibilitèr omnia illa motiua, ita vt, quolibet ex eis sublato, non posset esse tale decretum: ergo attingit omnia illa indiuisibilitèr pro vno motiuo adæquato.

1088 Censeo septimò. Christus in primo signo neque est decretus absolutè impassibilis, neque absolutè passibilis formalitèr, sed conditionatè impassibilis, si non esset peccatum, & conditionatè passibilis, si esset peccatum, & Christus eligeret vitam passibilem. Ad conclusionis intelligentiam suppono, passibilitatem, & impassibilitatem posse duplicitèr sumi, vel radicalitèr, vel formalitèr. Passibilis radicalitèr dicitur homo, qui habet vnionem, ex natura sua pendente ab accidentibus contrarijs, pugnantibus ex se ad internecionem, ratione cuius est capax ex se passionis, quam in se subibit, nisi præueniatur dono aliquo intrinseco, aut extrinseco, impediens actualem passionem, & dolorem, quale habebunt homines Beati post resurrectionem: passibilis verò formalitèr dicitur homo, qui habet dictam vnionem, & aliud caret dono illo, impediens actualem passionem, & dolorem. Deinde impassibilis radicalitèr est, qui ratione suæ naturæ, vel ratione subsistentiæ complentis illam, exigit habere aliquam perfectionem, vel donum, impediens actualem passionem, & dolorem: impassibilis verò formalitèr est, qui habet perfectionem, aut donum, impediens actualem passionem, & dolorem. Hinc Adam, qui in statu innocentie erat formalitèr impassibilis, post peccatum factus fuit formalitèr passibilis: homines verò Beati, qui in via erant formalitèr passibiles, post resurrectionem erant formalitèr impassibiles, recipiendo tunc donum aliquod, impediens actualem passionem, & dolorem. In con-

clufione autem folùm loquimur de impafibilitate, & pafibilitate formali, quæ diftincta eft, & feparabilis à fubftantia Chrifti; non autem de radicali, nam certum eft, Chriftum in primo figno fuiffe decretum pafibilem, & impafibilem fimul radicalitèr, pafibilem radicalitèr ratione naturæ humanæ, includentis vnionem, pendentem à qualitatibus contrarium habentibus, & impafibilem radicalitèr ratione fubftantiæ Verbi Diuini, complementis naturam humanam, ratione cuius exigebat Chriftus donum aliquod, impediens actualem pafionem, & dolorem.

1089. Hæc fupposito, Prima conclufionis pars patet. Si Chriftus effet in primo figno decretus abfolutè impafibilis formalitèr, veniffet defacto formalitèr impafibilis: fed non venit defacto formalitèr impafibilis, fed pafibilis: ergo non fuit decretus abfolutè impafibilis formalitèr. Secunda pars probatur. Pafibilitas formalis Chrifti non eft expetibilis ratione fui, fed ratione reparationis peccati: fed Chriftus in primo figno non eft decretus abfolutè reparator peccati, vt oftèfum eft cap. 1. 2. & 3: ergo nec abfolutè pafibilis formalitèr. Tertia pars conftat. Et quidem effe Chriftum in tali figno decretum conditionatè pafibilem formalitèr, fi effet peccatum, & Chriftus eligeret vitam pafibilem, deducitur ex conclus. 5. Nam Chriftus in tali figno decretus eft conditionatè Redemptor liberatiuè per pafionem, & mortem crucis fub dicta conditione, vt ibi oftèfum eft: ergo & decreta eft ipfi fub eadem conditione pafibilitas formalis, fine qua non poffet effe dicto modo Redemptor. Ex quo à fortiori fequitur, fuiffe etiam Chriftum in tali figno decretum conditionatè impafibilem formalitèr, fi non effet peccatum: Nam decretus eft formalitèr pafibilis pro cafu folùm, quo effet peccatum: ergo cafu, quo non effet peccatum, non effet formalitèr pafibilis, fed impafibilis, cum non poffit effe à parte rei ftatus medius inter formalem pafibilitatem, & impafibilitatem: fed eam impafibilitatem formalem, quam haberet in eo cafu, non haberet nifi ex vi decreti: ergo decretum Chrifti decreuit ipfum formalitèr impafibilem pro cafu, quo non effet peccatum.

(.O.)

PVN-

1090

PUNCTVM IV.

Quid iuxta noftram doctrinam fentiendum fit de aduentu Chrifti, Adamo non peccante.

1091. EX hætenus dictis facilè inferitur, quòd, Adamo non peccante, adhuc veniret Chriftus ex vi decreti, quo defacto prædefinitus eft in primo figno. Probatur primò. Non videtur congruum, quòd tam excellens Incarnationis bonum, quo tantum nobilitatur genus humanum, alligaretur peccato, & quòd dependentèr ab ipfo poneretur à parte rei ergo &c. Secundò. Gratia, data primis Parentibus in ftatu innocentia, & Angelis in ftatu viæ, fuit ex meritis Chrifti prædefiniti, vt oftèfum eft punct. 1. probat. 5. nu. 1050: fed hæc gratia fuit in illis independentèr à peccato Adæ; ea enim extitiffet in illis, etiam nõ peccante Adamo, imò & tunc transfunderetur in pofteros, vt dictum eft loco citato: ergo etiam Chriftus, ex cuius meritis fuit in illis talis gratia, prædefinitus eft independentèr à peccato Adæ futuro, ficque exifteret ex vi huius prædefinitionis, etiam non peccante Adamo. Tertiò. Omnia motiua fupradicta, ob quæ decretus eft Chriftus in primo figno, funt omnino independentia à pofitione peccati à parte rei, & indifferentia ex fe, vt componatur cum pofitione peccati Adæ, aut cum carentia eius, vt perpendicularitèr conftabit; licet enim decretum Chrifti velit ipfum conditionatè Redemptorem fub conditione peccati, non ideo pendet à pofitione peccati, cum decretum conditionatum non pendeat à pofitione conditionis, imò poffit exiftere fine illa, vt patet in decreto conditionato, quo Deus conditionatè voluit, dare gloriam reprobis, fi illam mererentur, quod ftat in Deo, quãvis non ponatur à parte rei conditio meriti reproborum: ergo, non peccante Adamo, adhuc exifteret Chriftus à parte rei ob dicta motiua.

1093. Di-

1092 Dices, quod si Adam, positus in hac occasione, non peccasset, non fuisset in Deo scientia conditionata, cognoscens, peccatum Adam, si in tali occasione poneretur, atque adeo nec fuisset in Deo hoc decretum Christi conditionatè Redemptoris, quod pendet defacto ex directione dictæ scientiæ conditionatæ. Contra primò. Gratia, data primis parentibus in statu innocentiae, & Angelis in statu viæ, fuit ex meritis Christi prædefinita, ut dictum est n. præcedent. sed hæc gratia fuit independens à positione peccati, & à scientia conditionata de illo; nam quamvis Adam non peccasset in tali occasione, nec Deus per scientiam conditionatam cognouisset peccatum eius futurum in tali occasione, adhuc ea gratia extitisset in illis, essetque tunc in posteros transfundenda: ergo etiam Christus, ex cuius meritis fuit ea gratia, prædefinitus est independentè à positione peccati Adæ, & à scientia Dei conditionata de illo.

1093 Contra secundò. Si decretum illud Christi penderet ex directione scientiæ Dei conditionatæ de peccato Adæ futuro in tali occasione, non posset esse illud decretum sine scientia Dei conditionata de futuritione peccati Adæ in tali occasione: ergo nec posset esse sine futuritione peccati Adæ, posita tali occasione, à qua in tali occasione pendet scientia illa conditionata: ergo illud decretum Christi, posita tali occasione, esset essentialitèr connexum cum positione peccati Adæ in illa: ergo, posita tali occasione, ex vi illius decreti necessariò poneretur in illa peccatum Adæ, cum adhuc non supponatur absolutè futurum, aut positum in illa antecedentèr: ergo Deus ex vi illius decreti, posita tali occasione, necessariò induceret à parte rei peccatum Adæ in illa; quod esset maxima imperfectionis.

1094 Nec satisfacies, dicendo, decretum illud Christi, necessariò inducens positionem peccati Adæ in tali occasione, esse ex suppositione scientiæ conditionatæ futuritionis eius in tali occasione, quæ est suppositio consequens, & sic decretum illud Christi non esse per se causam positionis peccati Adæ. Primò. Quia decretum, necessariò inducens positionem absolutam actus à parte rei, est verè, & propriè causa eius, licèt de-

cretum habeatur ex directione scientiæ conditionatæ futuritionis talis actus; ut patet in sententia, admittente prædefinitionem efficacem absolutam actus boni liberi, in qua prædefinitio est verè, & propriè causa positionis absolutæ actus boni prædefiniti, & hæc Deo prædefiniendi tribuitur, licèt prædefinitio habeatur ex directione scientiæ conditionatæ futuritionis talis actus: ergo similiter in nostro casu decretum illud Christi, necessariò inducens positionem absolutam peccati Adæ in tali occasione, erit verè, & propriè causa eius, licèt decretum habeatur ex directione scientiæ conditionatæ futuritionis peccati. Confirmatur. Decretum illud Christi, utpote necessariò inducens positionem absolutam peccati Adæ ex directione scientiæ conditionatæ futuritionis eius, esset virtute, & æquivalentèr prædefinitio peccati, iuxta dicta de prædefinitionibus tract. de Providentia disp. 2. & 3: sed Deo repugnat prædefinitio peccati etiam quoad materiale eius, ut ostensum est disp. 3. citata de Providentia: ergo & dictum decretum Christi, directum à scientia conditionata futuritionis peccati Adæ.

1095 Secundò. Quia eo ipso quod decretum illud Christi esset principium, inevitabiliter inductivum futuritionis absolutæ peccati Adæ, etiam scientia conditionata peccati Adæ, directiva illius decreti, esset principium eiusdem futuritionis absolutæ peccati Adæ: ergo suppositio dictæ scientiæ conditionatæ non esset omnino consequens, sed antecedens; suppositio enim principij actus nunquam est omnino consequens, sed antecedens. Unde iuxta contrariam doctrinam duplex esset in Deo constituenda scientia conditionata peccati Adæ: una cognoscens peccatum Adæ futurum omnino contingenter, si sentur ei hæc comprincipia omnino indifferentia, & inconnexa cum tali peccato, ex cuius scientiæ conditionatæ directione, dicunt aduersarij, pendere decretum illud Christi conditionatè Redemptoris; alia verò cognoscens peccatum Adæ inevitabiliter futurum, si ponatur decretum illud Christi, directum à priori illa scientia conditionata peccati. Ex his hæc posterior scientia conditionata est omnino consequens respectu peccati: illa verò prior scientia conditionata, licèt esset

esset suppositio consequens respectu illius primæ futuritionis peccati Adæ contingentis, ortæ ex comprincipijs inconnexis, esset tamen suppositio antecedens respectu illius secundæ futuritionis inevitabilis peccati Adæ, ortæ ex decreto illo Christi essentialitèr connexo cum positione peccati.

1096 Inquires, à qua scientia diuina peccati Adæ dirigatur decretum illud Christi conditionatè Redemptoris. Respondeo, dirigi à scientia diuina possibilitatis peccati, & periculi moralis eius, qua Deus cognouit, esse possibile, & imminens peccatum Adæ; hæc namque scientia sufficit, vt Deus prudenter decerneret Christum conditionatè Redemptorem in remedium, & reparationem peccati, si cõmitteretur: scientiam verò conditionatam peccati Adæ fuisse solùm necessariam in Deo concomitantèr ratione perfectionis eius absque influxu directiuo in tale decretum, vt diximus tract. de Prouidentia disp. 2.

1097

PUNCTUM V.

De Decreto Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue post absolutè præuisum peccatum.

1098 Certum est, Christum defacto productum esse absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiue ad reparanda omnia hominum peccata tam originalia, quam actualia, mortalia, & venialia: Scriptura enim loquitur vniuersaliter de omni peccato, Ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. *Ipsè est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Hoc autem fuit necessarium, vt Christus esset vniuersalis, & perfectissimus hominum Redemptor.

1099 Hinc duo oriuntur dubia. Primum dubium est, quando Christus sit primò decretus absolutè passibilis, & Redemptor libe-

liberatiue. An post absolutè præuisa omnia peccata Adæ, & posterorum, tam actualia, quam originalia, etiam vt contracta in ipsis, vt quidam volunt. An post absolutè præuisum peccatum originale, non solùm vt commissum à posteris in Adamo vt capite, sed etiam vt contractum in ipsis per generationem, & ante præuisionem absolutam actualium, vt ait Salazar de Concept. cap. 24. An post absolutè præuisum peccatum actuale Adæ, & originale posterorum vt commissum præcisè in Adamo vt capite, & ante absolutam præuisionem eius vt contracti in ipsis per generationem, vt sentire videntur Vasques to. 1. in 3. p. disp. 13. cap. 2. Gaspar Hurtado de Incarnat. disp. 1. difficult. 9. Lugo de Incarnat. disp. 7. sect. 5. & alij. Variè enim in hoc discurrunt Doctores.

1100 Ad resolutionem suppono primò ex dictis disp. 4. cap. 1. peccatum originale posse duplicitèr considerari. Primò, vt moralitèr commissum à posteris in Adamo tanquam in capite, in quo constituerat Deus eorum voluntates; quod, vt sic consideratum, erat peccatum originale quasi actuale in posteris, quicum Adamo moralitèr actu concurrerunt tunc ad peccatum ipsius. Secundò, vt contractum iam in posteris per generationem ex semine Adæ; quod, vt sic consideratum, est peccatum originale habituale, quatenus peccatum illud Adæ, iam antea à posteris in ipso moralitèr actu commissum, perseverans moralitèr, eos maculando in instanti generationis, eo quòd non fuerit à Deo posteris remissum, nec condigna satisfactione, à Deo acceptata pro illo, compensatum. Vnde non est idem, posteros peccasse in Adamo, ad eius peccatum moralitèr actu tunc concurrente, ac actu contrahere tale peccatum, habitualitèr existens, & perseverans; primum enim contigit in instanti, in quo peccauit Adam, antecedenter ad generationem posterorum; secundum autem contingit in instanti ipso generationis posterorum, & dependentèr ab ista, in quo instanti incipiunt maculari posteri peccato, ab ipsis moralitèr commissum in Adamo; imò, vt ostensum est loco citato, primum illud est separabile à secundo, & impossibile ex se cum carentia eius.

1101 Suppono secundò, Deum in signo, in quo vidit Adamum

num peccantem, & posteros moraliter peccantes in ipso, & cum ipso, non potuisse videre peccatum originale, à posteris contractum in se, sed quasi in radice, vel potius non potuisse videre in se contractionem formalem peccati in actu exercito, sed præcisè contractionem quasi radicalem eius. Ratio est. Nam peccatum originale non contrahitur in se defacto in actu exercito, nisi per generationes posterorum, defacto existentes, & producentes ipsos, tanquam conditiones inducentes defacto contractionem eius: sed has generationes non potuit videre Deus in signo, in quo videbat Adamum peccantem, & posteros moraliter peccantes in ipso, & cum ipso: ergo nec potuit in illo videre peccatum originale contractum in se in actu exercito. Minor probatur. In signo, in quo videbat Deus Adamum peccantem, & posteros moraliter peccantes in ipso, & cum ipso, nondum Deus determinauerat corpora posterorum, atque adeò nec vniones, & generationes ipsorum; cum hæc determinata sint postea ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, iuxta dicta punct. 2. in fine præsertim nu. 1066: ergo non potuit Deus in tali signo videre generationes posterorum determinatas, defacto existentes. Solùm igitur potuit in tali signo videre Deus peccatum originale posterorum contractum quasi in radice, vel potius contractionem quasi radicalem eius, ratione legis diuinæ transfusionis ipsius, qua Deus statuerat, non condonare præseruationè pro instanti generationis posterorum peccatum originale, ab ipsis in Adamo moraliter commissum, nec ullam pro eo acceptare satisfactionem, iuxta dicta disp. 4. cap. 1. punct. 1. nu. 690. & 691: stante enim hac lege diuinæ transfusionis peccati, videbatur à Deo in tali signo, quòd peccatum, à posteris in Adamo moraliter commissum, esset eos necessariò infecturum, & maculaturum, statim atque generarentur, sicque quòd esset ab ipsis necessariò contrahendum in instanti generationis, eo ipso quòd Deus determinaret ipsorum generationes, istaque fierent absolute futuræ determinatè.

1102 Suppono tertio, omnes gratias, auxilia, & dona supernaturalia, data posteris, & primis parentibus post peccatum Adæ absolute præuisum, fuisse ex meritis Christi absolute passibilis,

passibilis, & Redemptoris liberatiuè, vt fatentur communiter Doctores: solùm enim gratiæ, auxilia, & dona, data Angelis in via, & primis parentibus in statu innocentie ante peccatum Adæ absolute præuisum, dicuntur communiter data ipsis independentè à Christo absolute passibili, & Redemptore liberatiuè.

1103 His suppositis, Censeo primò. Christus non fuit primò decretus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè post absolute præuisa peccata actualia personalia posterorum Adæ. Patet ex dictis punct. 1. nu. 1055. Nam sunt innumera peccata actualia personalia posterorum, quæ ex se supponunt Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè, v. g. peccata infidelitatis in Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè, in Ecclesiam, ab ipso vt sic institutam, & doctrinam ab eodem traditam, vel per se immediatè, vel mediante Ecclesia eius, peccata odij, blasphemie, & irrisionis in Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè in Ecclesiam, & doctrinam eius; peccata persecutionis, accusationis, flagellationis, & crucifixionis Christi, & Martyrum eius; peccata contra præcepta positua, imposita à Christo absolute passibili, & Redemptore liberatiuè, eiusque Ecclesia; ad quæ reduci possunt peccata contra legem veterem, eiusque ceremonias, quæ figurabant Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè, & legem gratiæ, ab ipso traditam; peccata etiam, commissa ab hominibus, resistentibus auxilio, ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, collato ad ea vitanda: hæc enim omnia, & similia peccata personalia posterorum dependent ab existentia Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè: ergo non est Christus primò decretus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè post dicta peccata permilla, & præuisa absolute futura.

1104 Idem generaliter ostendi potest de omnibus peccatis personalibus posterorum. Nam omnia hæc peccata supponunt existentiam, & generationem posterorum: sed existentia, & generatio posterorum supponit Christum decretum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè: ergo & omnia dicta

peccata; atque adeò non fuit primò decretus Christus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè post ipsa permilla, & præuisa absolute. Minor probatur. Tum quia parentes frequenter applicantur ad generandum, instructi gratia, orta ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, ad vitanda peccata, quæ in generatione contingere possent. Tum quia multorum generatio oritur liberè ex applicatione parentum ad ipsam, imperata affectu honesto supernaturali, elicitò ex auxilio gratiæ supernaturali, habito ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè. Tum quia plurimorum generatio fuit impetrata à parentibus per orationem supernaturalem, procedentem ex gratia Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè. Tum quia generatio omnium posterorum dependet ab affectu Adæ, liberè volentis gignere filios, eumque supponit defacto: at hic affectus Adæ, (vt piè credi potest,) fuit honestus supernaturalis, elicitusque ex auxilio gratiæ, dato ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, huncque merentem supponens cum omnia gratiæ auxilia, data primis etiam parentibus post peccatum ipsorum absolute præuisum, sint ex meritis Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, iuxta dicta nu. 1102: ergo eundem supponit generatio omnium posterorum Adæ.

1105 Censeo secundò. Christus non fuit primò decretus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè post absolute præuisum peccatum originale posterorum, vt in se formaliter contractum in actu exercito. Patet ex dictis punct. 1. num. 1055. Peccatum originale posterorum, vt formaliter contractum in se in actu exercito, supponit ipsorum generationem defacto existentem præuisam, à qua tanquam à conditione præuisa dependet defacto eius formalis contractio in se ex ordinatione diuina, vt dictum est disp. 3. cap. 4. punct. 2: sed generatio posterorum Adæ, defacto existens, supponit decretum Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè, vt ostensum est nu. præcedent: ergo eundem vt sic supponit peccatum originale posterorum, vt formaliter contractum in se in actu exercito: ergo non fuit Christus primò decretus absolute

passibilis, & Redemptor liberatiuè post absolute præuisum peccatum originale posterorum, vt formaliter contractum in se in actu exercito. Confirmatur. Deus in signo illo priori, ante decretum Christi absolute passibilis, & Redemptoris liberatiuè, non cognoscebat adhuc vt absolute futuram in se generationem posterorum determinatam, per quam sunt defacto geniti, & per quam contrahitur defacto peccatum originale, & infectio eius: ergo nec cognoscebat adhuc eorum peccatum originale formaliter contractum in se in actu exercito, nec illos ipso adhuc infectos, & maculatos in actu exercito: ergo tale decretum non potuit in illo signo velle Christum absolute passibilem, & Redemptorem liberatiuè, post absolute præuisum peccatum originale, vt formaliter contractum in se in actu exercito.

1106 Censeo tertio. Christus fuit primò decretus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè, post absolute præuisum peccatum Adæ vt capitis, atque adeò & post absolute præuisum peccatum originale posterorum, vt ab ipsis moraliter commissum in Adamo, & necessariò transfundendum in ipsos, statimque generarentur ex semine Adæ, & consequenter post absolute præuisum peccatum originale quasi radicaliter contractum in posteris, iuxta superius dicta supposit. 2. num. 1101. Patet ex dictis. Nam Christus fuit primò decretus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè, post absolute præuisum aliquod peccatum, in remedium eius: sed non post absolute præuisa peccata personalia posterorum, neque post absolute præuisum peccatum originale posterorum, vt formaliter contractum in se in actu exercito, vt probatum est: ergo post absolute præuisum peccatum Adæ vt capitis, & originale posterorum, vt ab ipsis in illo moraliter commissum, necessariò transfundendum, & quasi radicaliter contractum. Vbi aduerte, hoc decretum voluisse absolute Christum absolute passibilem, & Redemptorem, tum in ordine ad reparandum peccatum personale primorum parentum, & peccatum Adæ vt capitis, & originale posterorum, vt pote absolute præuisum iam ab ipsis moraliter commissum, & radicaliter contractum cum necessitate inuitabili contractionis, & transfusionis eius,

eius, statim atque generarentur, hæc enim præuisio sufficit, ut absolutè decerneretur reparatio eius; tum in ordine ad præservandum à peccatis personalibus: conditionatè verò in ordine ad reparanda peccata personalia posterorum, si committerentur, quorum cõmissionem imminentem prævidebat cum morali periculo lapsus.

1107 Nec dicas, ex hoc sequi, quòd Christus veniret absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè, quamvis Deus post absolutè præuisum peccatum originale, ut moralitèr commissum à posteris in Adamo ut capite, ex speciali privilegio impediret, ut potest, actualem transfusionem, & contractionem eius in omnibus posteris, eos præueniendo gratia sanctificante in instanti Conceptionis, sicut contigit in Deipara. Hoc enim falsum est: nam, ut ostendimus disp. 4. cap. 2. commissio semel moralitèr à posteris peccato originali in Adamo, & stante lege diuina transfusionis eius in omnes posteros, excepta Deipara, pro instanti generationis, non potuit impediri iam actualis transfusio, & contractio eius in illis pro tali instanti. Videantur ibi dicta.

1108 Censeo quartò. Post absolutè præuisa peccata actualia personalia posterorum, tam mortalia, quàm venialia, iterum decretus est Christus absolutè Redemptor eorum liberatiuè. Patet ex dictis. Nam, ut stabilitum est initio puncti nu. 1098. Christus venit defacto absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ad reparanda etiam omnia dicta peccata: ergo decretus est absolutè Redemptor liberatiuè omniam dictorum peccatorum: sed non potuit decerni absolutè Redemptor eorum liberatiuè, nisi post absolutam ipsorum præuisionem: ergo post absolutam eorum præuisionem iterum decretus est Christus absolutè Redemptor ipsorum liberatiuè.

1109 Hinc Censeo quintò. Christus venit absolutè Redemptor ex primaria intentione ob reparationem peccati originalis, & præseruationem à peccatis personalibus posterorum, non verò ob reparationem horum peccatorum. Constat ex dictis. Nam Christus fuit primò decretus absolutè Redemptor ad reparandum peccatum originale, & præseruandum à personalibus posterorum; postea verò, visis his peccatis per-

sona-

sonalibus posterorum, iterum decretus est absolutè Redemptor ad reparanda ipsa: ergo venit absolutè Redemptor ex primaria intentione ob reparationem peccati originalis, & præseruationem à personalibus posterorum, non verò ob reparationem istorum.

1110 Censeo sextò. Christus venisset absolutè Redemptor liberatiuè in remedium, & reparationem peccati originalis ex vi prioris decreti de Christo absolutè passibili, & Redemptore liberatiuè, quamvis futura non essent peccata personalia posterorum, nec decretum illud posterius de eodem Christo absolutè Redemptore eorum liberatiuè: si verò non esset peccatum originale, non veniret Christus absolutè Redemptor liberatiuè in remedium, & reparationem peccatorum personalium ex vi illius posterioris decreti. Prima pars patet. Prius illud decretum Christi absolutè Redemptoris liberatiuè ob reparationem peccati originalis, est prius, & independens à futuritione absoluta peccatorum personalium posterorum, & à posteriori decreto Christi absolutè Redemptoris eorum liberatiuè: ergo veniret Christus absolutè Redemptor liberatiuè ob reparationem originalis ex vi illius prioris decreti, quamvis non essent peccata personalia posterorum, nec decretum illud posterius Christi absolutè Redemptoris eorum liberatiuè.

1111 Secunda pars probatur. Si non esset peccatum originale, homines nascerentur cum iustitia originali, & sic peccata, tunc committenda, non essent multa, nec omnes homines communiter, sed pauci peccarent: ergo non esset tunc motiuum illius posterioris decreti, quod est communis reparatio generis humani à peccatis personalibus, quæ ab omnibus ferè posteris committuntur: ergo nec esset tunc posterius illud decretum, ex vi cuius venire posset Christus absolutè Redemptor liberatiuè. An verò Christus tunc alio decreto decerneretur absolutè Redemptor liberatiuè illorum paucorum hominum, qui peccarent diuinare est, pendet enim ex libera Dei voluntate, quæ posset tunc pro libito decernere, vel non decernere redemptionem liberatiuam eorum; quamvis credibile sit de benignitate, & misericordia Dei non relicturum eos homines

pauc-

paucos peccatores sine remedio, sed dispositurum, quod Christus, tunc impassibilis, & immortalis, applicaret sua merita pro liberandis illis à peccato.

1112 Nec obstat illud Pauli ad Galatas 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: nec illud Chrysostomi homil. 3. in acta Apostolorum, etenim si vnus animæ salus tanta est, vt ob hanc Epilius Dei fieret homo, tantaque pateretur &c.* Quibus verbis significari videtur, Christum venturum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, quamuis id conduceret solum ad salutem, & reparationem vnus animæ. Nam dicta testimonia solum significant, Christum se totum tradidisse, & Filium Dei factum esse hominem, tantaque passum fuisse pro vnus animæ salute, & redemptione, licet simul etiam pro omnibus alijs, quia merita, & passio tota Christi pro omnibus simul, & pro qualibet anima in particulari oblata sunt. Vel significatur in illis promptitudo animi Christi ad se tradendum, & patiendum pro vnus animæ salute, si Deus ita fieri vellet.

1113 Secundum dubium est, An decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè terminetur solum ad formalem passibilitatem, & redemptionem, an simul etiam ad substantiam Christi. Ex Doctoribus, nobiscum constituentibus Christum in primo signo prædefinitum, independentè à peccato absolutè futuro, eiusque permissione, & præuisione, Aliqui præsertim ex Scotistis docent, decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè post absolutè præuifum peccatum, terminari solum ad circumstantiam formalem passibilitatis, & redemptionis, non verò ad substantiam Christi. Alij verò cum Suares to. 1. in 3. par. disp. 5. sect. 4. §. dicto 3. sentent, tale decretum terminari etiam ad substantiam Christi, eiusque productionem; & sic Christum defacto procedere à duobus decretis efficacibus, vno habito à Deo ante peccatum absolutè præuifum, & alio post absolutam eius præuisionem.

1114 Censeo septimò. Decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, quod habuit Deus post absolutam peccati præuisionem, terminatur etiam ad substantiam Christi, & non ad solam circumstantiam formalem passibilitatis, & redem-

redemptionis, vtramque volens efficaciter absolutè in remedium peccati absolutè præuifum. Probatum. Tum quia sic melius explicantur testimonia Scripturæ, & Patrum, assertoria, Christum defacto venisse, descendisse, & missum esse ob remedium peccati; qui modus loquendi apertè denotat, substantiam ipsam Christi prædefinitam, & factam esse ob remedium peccati, & ex hoc motiuo Verbum carnem assumpsisse, vt contra Scotistas ponderaui nus supra punct. 3. conclus. 5. præsertim nu. 1083. Nam iuxta hanc doctrinam dicta testimonia intelligi possunt de Prædefinitione substantiæ Christi in remedium peccati, tam conditionatè ex vi primi decreti, quàm absolutè ex vi huius posterioris decreti. Tum quia non sola circumstantia passibilitatis, & redemptionis, sed substantia etiam ipsa Christi fuit defacto medium, absolutè conducent, & concurrens ad nostram salutem, & peccati remedium ergo vtraque fuit defacto absolutè volita propter hoc motiuum. Tum quia licet substantia Christi fuisset iam efficaciter absolutè volita in primo signo saltem ob excellentiam mysterij, potuit nihilominus, nouo decreto postea efficaciter absolutè decerni in remedium, & reparationem peccati, vt patet trito exemplo eius, qui ex fine videndi Romanam Curiam decreuerat Romam adire, & postea, occurrente necessitate subueniendi amico in curia Romana, nouo decreto decernit, adire Romam, vt subueniat etiam necessitati amici, vbi aditus imperatur tunc duplici decreto simul ex duplici in illo fine. Videatur Suares supra citatus nu. præcedent.

1115 Censeo octauò. Dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, habitum à Deo post peccatum absolutè præuifum, non concurrat ex se defacto totaliter, & adæquatè ad productionem Christi, nec dat illi existentiam simpliciter, sed secundum quid ad summum, quatenus facit illum existere ad reparationem absolutam peccati præuifum. Prima pars probatur. Dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, supponit iam Christum existentem per primum Dei decretum, habitum in primo signo, & dependet ab ipso vt exituro iam per primum illud decretum: ergo dictum decretum Christi non concurrat defacto totaliter

raliter, & adæquatè ad productionem Christi, nec ad dandum illi existentiam simpliciter. Consequentia in primis patet. Nam licet duo decreta possint totaliter, & adæquatè concurrere ad eundem effectum, dando illi existentiam simpliciter, hoc tamen solùm est, quando talia decreta sunt mutuò independentia ex se, ita ut vnum non supponat per se effectum exiturum iam per aliud decretum, nec ab eo ut sic iam exituro dependeat; tunc enim decretum dependens non potest totaliter, & adæquatè concurrere ad producendum effectum, & dandum illi existentiam simpliciter.

1116 Deinde antecedens probatur. Tum quia dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè supponit iam peccatum primorum parentum, reparandum cum damnis eo illatis, atque adeò supponebat gratiam eorum, peccato amissam: sed hæc gratia erat ex meritis Christi, exituri per primum decretum, ut ostendimus punct. 1. nu. 1050: ergo & supponit iam Christum exiturum per primum decretum. Tum quia dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, est ex meritis Christi, exituri iam per aliud decretum primum: ergo supponit per se Christum exiturum per aliud decretum primum, & ab eo ut sic exituro dependet. Antecedens probatur. Dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, est aliquid pertinens ad Prædestinationem primorum parentum: sed quidquid pertinet ad prædestinationem hominum, est ex meritis Christi, cum Christus sit causa meritoria totius prædestinationis: ergo & dictum decretum Christi. Maior probatur. Ad prædestinationem pertinet omnis affectus specialis salutis, & gloriæ prædestinati: sed dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, continet in se specialem affectum salutis, & gloriæ primorum parentum: ergo est aliquid pertinens ad prædestinationem primorum parentum. Minor probatur. Dictum decretum vult Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè ad reparandam in primis parentibus gratiam, peccato amissam, cuius reperatio cum effectu conduxit ad beatitudinem illorum, & cum ea est defacto coniuncta; quod solis prædestinatis specialiter compete-

re potest: ergo dictum decretum continet in se specialem affectum salutis, & gloriæ primorum parentum.

1117 Secunda conclusionis pars patet. Dictum decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, vult Christum existere ad reparationem absolutam peccati præiū: ergo concurrat defacto ad dandam Christo existentiam saltem secundam quid, scilicet in ordine ad talem reparationem.

1118

PUNCTUM VI.

Contrariæ rationes profligatæ.

1119 **O**Mnes obiectiones, quæ contra doctrinam, quinque præcedentibus punctis traditam, fieri possunt, huc proponendas, & soluendas remisi, quia nunc post totam nostram opinionem, integrè declaratam, facillimè solui possunt.

1120 Contra doctrinam punct. 1. 3. & 4. Obijcies primò. Quæ dependet ex libera Dei voluntate, deducenda sunt ex Scriptura, aut Patribus: sed ex Scriptura, & Patribus deducitur, Christum prædefinitum esse dependenter à peccato, & ex suppositione eius: ergo non fuit in primo signo prædefinitus independenter à futuritione peccati, sed in alio signo sequente permissionem, & præuisionem peccati. Minor probatur. Tum testimonijs Scripturæ, adductis punct. 3. pro conclusion. 5. n. 1082. in quibus asseritur, Christum venisse, descendisse de cælis, & missum esse ad saluandos, & redimendos homines à peccatis, & in remedium eorum; imò in vno ex illis expressè dicitur, venisse ad quærendum, & saluandum, quod perierat, scilicet per peccatum. Tum testimonijs Patrum, quorum plures obseruant eundem modum loquendi Scripturæ, apud Vasques tom. 1. in 3. par. disp. 10. cap. 5. Alij verò dicunt, nullam aliam fuisse causam, & occasionem aduentus Christi nisi saluationem, & redemptionem generis humani. Alij tandem ponunt expressè Christum prædefinitum dependenter à peccato, ita ut, hoc deficiente, non veniret, apud Vasques citatum

cap. 4. Irenæus lib. 5. aduersus hæreses cap. 14. *Si non habere carnis saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli, *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Gregorius Magnus in 4. Reg. 1. *Si Adam non peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret,* & similiter locuntur alij Patres. Quibus consonat antiquus Ecclesiæ Hymnus de Deipara, *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto digna Filio.* Hæc autem omnia, & similia testimonia vera esse non possunt, nisi ponatur Christus prædefinitus dependenter à futuritione peccati, & ex suppositione eius: ergo &c.

1121 Inefficaciam huius obiectionis facile perspiciet, quisquis attentè consideret, testimonia citata Scripturæ, & omnium ferè Patrum loqui vniuersaliter non solum de peccato primorum parentum, & originali posterorum, sed etiam de peccatis personalibus omnium hominum; & tamen propter citata testimonia non potest poni Christus primò prædefinitus absolute passibilis, & Redemptor liberatiuè post permissa, & præuisa absolute omnia omnium hominum peccata saltem personalia, vt ostendimus punct. 1. probation. 5. nu. 1055. & punct. 5. conclusion. 1. nu. 1103. & 1104. Quare maior pars aduersariorum debet etiam respondere citatis testimonijs, quatenus vniuersaliter locuntur de omni peccato.

1122 Ad testimonia igitur Scripturæ Respondeo, Christum dici, venisse, descendisse de cælis, & missum esse ad saluandos, & redimendos homines a peccatis, & in remedium eorum, tum saluatione, & redemptione præseruatiua a peccatis imminentibus cum morali periculo lapsus præuiso, tum saluatione, & redemptione liberatiua, conditionatè intenta sub conditione quòd esset peccatum, & Christus vitam passibilem eligeret: dicitur autem in vno ex testimonijs citatis, Christum venisse ad quærendum, & saluandum, quod perierat, quia venit ad saluandos, tum præseruatiuè, tum liberatiuè conditionatè homines, qui defacto perierant, non quidem vt saluaret eos, quia præuiderit, eos periisse, sed vt saluaret eos liberatiuè, si perirent, quia præuiderat eos in periculo imminenti periculi, & sic prædefinitus est venturus ad id, antequam perirent.

rent. Quòd si aliqua ex dictis testimonijs loqui forsan videantur de saluatione, & redemptione liberatiua, absolute intenta, explicari poterunt de aduentu, descensu, & missione Christi ex vi omnium decretorum simul, quibus defacto prædefinitus est, quorum vnum est de Christo absolute passibili, & Redemptore ad liberationem absolutam à peccato, absolute præuiso, vt diximus punct. 5. conclusion. 3. & 4. num. 1106. & 1108.

1123 Ad testimonia Patrum Respondeo, testimonia primi generis explicanda esse, sicut testimonia Scripturæ. Testimonia secundi generis solum volunt, nullam fuisse causam, & occasionem totalem aduentus Christi, distinctam, & independentem à saluatione, & redemptione generis humani, tam præseruatiua, quàm liberatiua conditionata modo dicto. Testimonia tertij generis, aliqua locuntur de aduentu Christi absolute passibilis, forma serui suscepta, in similitudinem carnis peccati, & ex Deipara nascituri, vt patet ex contextu, quo pacto non venisset Christus, deficiente peccato: alia loquuntur de peccato imminente ratione morali periculi peccandi præuisi, si enim non esset peccatum imminens cum morali periculo lapsus, non venisset Christus liberatiuè Redemptor adhuc conditionatè, vt dictum est. Vnde si Irenæus loquatur de saluatione liberatiua, (poterant enim eius verba intelligi de saluatione præseruatiua, siue præseruatiua, siue liberatiua,) sic exponi debet, *Si non indigeret caro saluari imminente, eo quod esset imminens indigentia saluationis liberatiua ratione periculi morali peccandi præuisi, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Verba etiam Augustini hunc sensum reddunt, *Si homo neque in re, neque imminente periisset, Filius hominis non venisset.* Similiter interpretanda sunt verba Gregorij, *Si Adam neque in re, neque imminente peccasset, Redemptorem carnem suscipere nostram, non oporteret;* & eodem modo explicari possent alia similiter loquentia Patrum testimonia. Alia autem testimonia loquuntur de aduentu Christi ex vi omnium decretorum simul, quibus defacto prædefinitus est, quorum vnum est de Christo absolute passibili, & Redemptore liberatiuè, ex vi cuius non veniret Christus defacto, deficiente peccato, absolute præuiso existente.

1124 Tandem antiquus ille hymnus Ecclesiæ non denotat, quod Christus non veniret, non stante peccato, sed quod Deipara non esset tunc mater eius, nam, ut aiunt Aldrete to. 1. de Incarnat. disp. 17. sect. 3. num. 1. & Arriaga de Incarnat. disp. 14. sect. 2. nu. 14. Si non esset peccatum, Christus non conciperetur, nec nasceretur ex matre, sed produceretur à s. lo Deo. Vel significat hymnus ille, quod, non stante peccato, Deipara non esset digna tanto Filio, habente scilicet dignitatem absolutè Redemptoris liberatiuè, quam nunc habet.

1125 Obijcies secundò. Si Christus esset decretus in primo signo antecedentè ad peccatum absolutè futurum, gratia, data Angelis in via, & primis parentibus in statu innocentie, esset ex meritis Christi: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur. Primò ex parabola illa Lucæ 15. Pastoris, relinquentis in deserto nonaginta nouem oues, ut vnã perditã quæreret: quam intelligunt Patres de Christo, qui relictis Angelis, venit quærere hominem, peccato perditum: ergo nihil meruit Angelis in via, nec primis parentibus in statu innocentie, antequam peccato perderentur. Secundò ex Paulo ad Hebræos 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, propter quã causam non confunditur, fratres eos vocare:* vbi ait Paulus, Christum sanctificatorem, & sanctificatos per ipsum, esse vnus naturæ, & ex vno Adamo ortos: sed Angeli sunt diuersæ naturæ à Christo, nec cum Christo ex Adamo oriuntur: ergo non sunt sanctificati per ipsum. Tertiò ex S. Thoma in 3. dist. 13. q. 2. & atibi, expressè negante, Christum meruisse Angelis gratiã, & gloriam. Quartò. Si Christus Angelis meruisset gratiã, & gloriam, verè esset pro illis mortuus, & passus, sicut pro hominibus, cum omnia Christi merita sint morte, & passione consummata, illosque verè redemisset: vnde consequenter gloria non esset collata Angelis ante mortem Christi, sicut nec fuit ante ipsam collata antiquis Patribus: sed hoc est absurdum, & contra Scripturam Sacram: ergo &c.

1126 Respondeo, negans minorem. Ad primam probationem, admissa illa Patrum intelligentia parabolæ Pastoris, dico, idè Christum dici, reliquisse Angelos, & ad solum hominem, peccato perditum, quærendam venisse, quia non venit ad liberandos à peccato Angelos, qui ceciderunt, sicut venit ad liberandum

dum à peccato hominem, licet Angelis malis ante peccatum meruerit gratiam, & auxilia sufficientia ad gloriam, & Angelis bonis gratiam, & gloriam per merita, independentia à peccato, & à Christo ut Redemptore liberatiuè. Addo, nomen Pastoris, deserentis Angelicas oues in deserto, denotare, eum fuisse Pastorem earum, ipsarumque curam gessisse, antequam eas desereret, scilicet ante peccatum, dum essent in via.

1127 Ad secundam probationem dico, loqui ibi Paulum de sanctificatis à Christo per remissionem peccati, qui sine dubio sunt eiusdem naturæ humanæ cum Christo, & ex vno Adamo cum Christo orti; non verò de omnibus sanctificatis etiã sine remissione peccati, quales sunt Angeli, licet verè sanctificati sint ex meritis Christi dictis, ut docet idem Paulus ad Ephes. 1. vbi vocatur Christus *Caput supra omnem Ecclesiam*, & ad Colossenses 2. vbi dicitur Christus *Caput omnis Principatus, & Potestatis*. Ad tertiam probationem assero, S. Thomam ibi solum velle, Christum, ut formaliter absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, non meruisse Angelis gratiam, & gloriam per merita passionis, & mortis, licet eam ipsis meruerit per merita, independentia à passione, & morte.

1128 Ad quartam probationem falsa est prima pars sequelæ: nam Christus non est passus, & mortuus pro Angelis, licet meruerit illis gratiam, & gloriam: Tum quia, cum passio, & mors nõ possit esse per se intenta, sed occasione peccati, Christus solum potest dici passus, & mortuus pro illis, qui per ipsũ à peccato liberandi erant, quales non sunt Angeli, sed homines solum: Tum quia Christus non meruit Angelis gratiam, & gloriam per merita passionis, & mortis, imò nec per affectũ illum conditionatum patiendi, & moriendi, elicitem à Christo antecedentè ad peccatum Adæ ut capitis, sed per alia merita, independentia à passione, & morte, & ab omni affectu patiendi, & moriendi etiam conditionato: dicuntur, autem merita Christi morte, & passione consummata respectiue ad homines, quorum peccatum reparandum erat, non verò respectiue ad Angelos, quorum peccatum reparandum non erat. Falsa est etiam secunda pars sequelæ: nam licet Angeli possint aliquo modo dici saltem late præseruatiuè redempti per me-

aira Christi, independentia à passione, & morte, boni quidem quoad efficaciam, & mali quoad sufficientiam, ut docet Bernardus serm. 22. in cantic. tamen non possunt dici liberatiue redempti, imò nec præseruatiue per merita passionis, & mortis, aut affectus conditionati patiendi, & moriendi. Falsa est quoque tertia pars sequelæ: nam antiquis Patribus ideo non est collata gloria ante mortem Christi, quia per peccatum originale erat clausum cælum hominibus, eisque aperiendum non erat nisi per mortem Christi ex ordinatione diuina; quod non militat in Angelis bonis, qui non peccauerant, & ideo collata est eis gloria ante mortem Christi.

¶ 129 Obijcies tertio. Prædestinatio hominum fuit ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue, ut est constans inter Patres, & Doctores: sed Christus, ut absolutè passibilis, & Redemptor liberatiue, fuit post peccatum Adæ absolutè præuisum, ut dictum est punct. 5. à nu. 1106: ergo & prædestinatio hominum fuit post peccatum absolutè præuisum; imò ob hanc rationem dicimur per prædestinationem separati à massa perditionis, quod non potuit fieri nisi post peccatum Adæ, per quod constituti eramus in massa perditionis: falsò ergo posuimus punct. 1. nu. 1051. 1052. & 1053. Prædestinationem hominum, inceptam ante peccatum Adæ absolutè præuisum.

¶ 130 Respondeo, distinguens maiorem, prædestinatio hominum fuit ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue quoad omnia, nego; quoad aliqua, concedo. Et, concessa minore, similiter distinguendum est consequens. Itaq; prædestinatio primorum parentum includit, tum gratiã habitualem cum donis annexis, datam ipsis ante peccatum ex intentione reparandi illam efficaciter casu, quo per peccatum amitteretur; tum reparationem absolutam peccati eorum absolutè præuisi, & reliqua omnia, post peccatum conducentia cum effectu ad eorum beatitudinem, & quasi complentia prædestinationem, cū voluntate ponendi, & exequendi illa omnia à parte rei: quoad secundam prædestinatio primorum parentum fuit post peccatum Adæ ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue; quoad primum verò fuit ante

antecedentè ad peccatum Adæ ex meritis Christi, præscindens à passibilitate absoluta, & ad summum ex meritis eius conditionatè passibilis, & Redemptoris. Similiter prædestinatio posterorum Adæ includit, tum voluntatem diuinam conditionatam reparandi in ipsis quoad efficaciam peccatum originale, si Adam peccaret ut caput, ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue; tum reparationem absolutam peccati originalis eorum iam absolutè præuisi, & reliqua omnia, post tale peccatum conducentia cum effectu ad illorum beatitudinem, & complentia ipsorum prædestinationem, cum voluntate ponendi, & exequendi omnia illa à parte rei: quoad primum prædestinatio posterorum non fuit post peccatum Adæ ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue, sed ex meritis Christi conditionatè passibilis, & Redemptoris liberatiue, & præscindens à passibilitate absoluta, antecedentè ad peccatum Adæ; quoad secundum verò fuit post peccatum Adæ ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue. Prædestinatio igitur hominum incepit ante peccatum Adæ ex meritis Christi conditionatè passibilis, & Redemptoris liberatiue, & præscindens à passibilitate absoluta; fuit verò completa, & consummata post peccatum Adæ ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiue. Per prædestinationem autem dicimur separati à massa perditionis, tum post peccatum absolutè præuisum, prouidente Deo absolutè remedium efficax eius, tum ante peccatum absolutè præuisum præparatiue conditionatè, quatenus Deus conditionatè decreuit remedium efficax peccati, exequendum casu, quo peccatum committeretur, & Christus vitam passibilem eligeret.

¶ 131 Instabis. Si voluntas efficax conditionata reparationis peccati, si hoc ponatur, est ex meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindens à passibilitate absoluta: ergo etiam reparatio ipsa peccati, posita post ipsum absolutè præuisum, erit ex eisdem meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindens à passibilitate absoluta, & non ex meritis Christi absolutè passibilis. Patet consequentia. Nam effectus voluntatis efficacis est præmium, causatum ab eisdem meritis, à qui-

bus causatur voluntas efficax eius: ergo si voluntas illa efficax conditionata reparationis peccati, est ex meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta, ex eisdem meritis erit reparatio ipsa, posita post peccatum absolutè præuisum. Antecedens est certum. Nam effectus, & voluntas efficax eius computantur pro eodem præmio, eo quòd effectus necessariò sequatur ex tali voluntate: ergo effectus voluntatis efficacis est præmium, causatum ab eisdem meritis, à quibus causatur voluntas efficax eius.

1132 Respondeo, negans consequentiam, quoad secundam partem. Nam reparatio ipsa peccati, posita post ipsum absolutè præuisum, & est ex meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta, quatenus procedit saltem mediatè ab illa voluntate efficaci conditionata Dei, volentis, reparari peccatum, si contingat, ex meritis Christi absolutè passibilis, quæ voluntas est in se subiectiuè ex meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta; & simul est eadem illa reparatio peccati ex meritis Christi absolutè passibilis, quatenus procedit immediatè ex alia voluntate absoluta talis reparationis, habita à Deo post absolutè præuisum peccatum ex meritis Christi absolutè passibilis, & inducta à priori illa voluntate conditionata reparationis, posita conditione peccati, eiusque præuisione: Nā cum prior illa voluntas conditionata efficax reparationis peccati, ad quam habendam mouetur Deus ex meritis præuisi Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta, velit reparari peccatum per Christum absolutè passibilem, & ex meritis eius ut sic casu, quo illud committeretur, talis voluntas, posita conditione peccati præuisi, transit virtualitèr in absolutam, inducendo aliam voluntatem absolutam dictæ reparationis, habitam à Deo ob merita Christi absolutè passibilis.

1133 Ad probationem consequentiæ distinguo antecedens, effectus voluntatis efficacis est præmium, causatum ab eisdem meritis tantum, à quibus causatur voluntas efficax eius, ita ut non possit simul causari ab alijs meritis, nego; est præmium, causatum ab eisdem meritis, & simul ab alijs meritis, quando

talibus voluntas efficax vult effectum ut ponendum ex alijs meritis sub aliqua conditione, ut contingit in nostro casu in voluntate dicta conditionata efficaci reparationis peccati, concedo. Et distinguo consequens, ex eisdem meritis tantum erit reparatio ipsa, posita post peccatum absolutè præuisum, nego; ex eisdem meritis, & simul ex meritis Christi absolutè passibilis, concedo. Ad probationem antecedentis similiter distinguendum est consequens.

1134 Replicabis. Voluntas illa efficax conditionata reparationis peccati, si hoc ponatur, vel respicit merita Christi absolutè passibilis, vel merita Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta? Si primum, existet illa voluntas ob merita Christi absolutè passibilis. Si secundum, voluntas illa exequetur reparationem absolutam ex meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta. Respondeo, voluntatem illam respicere simul utraque merita, merita quidem Christi absolutè passibilis respicit obiectiuè, quatenus vult ex parte obiecti reparationem peccati, exequendam ob talia merita, si sit peccatum, ea tamen voluntas non existit ob talia merita, quia nondum tunc supponuntur absolutè præuisa; merita verò Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate absoluta, respicit subiectiuè, quatenus Deus ex his meritis, tunc iam præuisis, allicitur, & mouetur ad habendam talem voluntatem: unde reparatio peccati mandatur executioni postea ex his meritis, & simul ex alijs meritis Christi absolutè passibilis.

1135 Obijcies quartò. Si Christus esset decretus in primo signo independentèr à peccato Adæ, vel esset decretus formaliter passibilis, vel impassibilis, vel abstrahens ab utroque. Non formaliter passibilis: nam passibilitas formalis Christi, cum sit bonum occasionatum ex peccato, non potest decerni nisi ratione peccati, & ex suppositione eius. Non formaliter impassibilis: aliàs venisset defacto impassibilis. Non denique abstrahens à formaliter passibili, & impassibili. Tum quia Christus non potest decerni efficaciter, nisi prout potest existere à parte rei: sed Christus non potest existere à parte rei sine formali passibilitate, aut impassibilitate, cum hæc sint ex-

tema contradictoria: ergo nec potest efficaciter decerni nisi cum formali passibilitate, aut impassibilitate. Tum quia si Christus efficaciter decerneretur producendus cum hac, vel illa actione disiunctiue sine determinatione actionis, non esset absolutè futurus in se formaliter: ergo idem erit, si efficaciter producendus decernatur cum formali passibilitate, vel impassibilitate disiunctiue sine determinatione vnius ex illis. Tum quia Christum decerni sine determinatione formalis passibilitatis, aut impassibilitatis, est decerni valde confusè, & indistinctè: ergo est dedecens Deum.

1136 Respondeo, Christum in primo signo esse decretum præcisiuè à formali passibilitate, & impassibilitate absoluta, quia neutra ex his est absolutè volita: conditionatè verò simul est decretus passibilis, & impassibilis formaliter, impassibilis quidem, si non esset peccatum, passibilis etiam, si esset peccatum, & Christus eligeret vitam passibilem: per decretum autem primi signi non est absolutè determinata formalis passibilitas, aut impassibilitas, sed conditionatè solummodo dicto: nam cum istæ circumstantiæ sint realiter distinctæ à substantia Christi, eamque consequentes, potuit relinquere alteri decreto subsequenti determinatio vnius præ alia, quando esset purificata aliqua ex illis conditionibus.

1137 Vnde ad primam impugnationem distinguo maiorem, Christus non potest efficaciter decerni, nisi prout potest existere à parte rei, determinando absolutè vi illius decreti efficacis præcisiuè aliquam ex circumstantijs extrinsecis subsequentibus, cum quibus debet existere à parte rei, nego; determinando absolutè aliquam ex illis circumstantijs, vel vi illius decreti efficacis, vel vi alterius decreti subsequentis, à priori illo decreto orti necessariò, posita conditione, sub qua fuerat illa circumstantia conditionatè volita efficaciter per prius decretum, concedo. Et, concessa minore, distinguo similiter consequens, nec potest efficaciter decerni nisi cum formali passibilitate, aut impassibilitate, determinata absolutè vi illius decreti efficacis præcisiuè, nego; determinata absolutè, si non vi illius decreti, saltem vi alterius decreti subsequentis, à priori illo decreto orti necessariò, posita condi-

tio-

tionem, sub qua fuerat iam illa circumstantia conditionatè volita efficaciter per prius decretum, concedo. Et hanc doctrinam admittere debent aduersarij in alijs circumstantijs incarnationis, scilicet quòd Christus natus sit in hoc loco, in hoc tempore, & ex his progenitoribus &c. quæ quidem non sunt absolutè determinatæ per primum decretum efficax Christi, sed alio decreto subsequente, ex meritis Christi absolutè passibilis, vt docent communiter Theologi, quamuis Christus non possit existere à parte rei, nisi in hoc loco, vel in alio, in hoc, vel in alio tempore, ex his progenitoribus, vel sine illis: nihil igitur obstat, quòd vno decreto decernatur absolutè efficaciter substantia Christi, & alio decreto subsequente decernatur absolutè vna ex circumstantijs contradictorijs, sine quarum altera nequit existere à parte rei substantia Christi.

1138 Ad secundam impugnationem, concessa antecedente, nego consequentiam. Nam Christus dependet quasi à priori ab actione, & ab ea accipit esse, & ideo non potest esse in se formaliter futurus, nisi sit futura actio determinata, à qua habeat esse futurum: at non dependet à priori à circumstantijs extrinsecis consequentibus formalis passibilitatis, aut impassibilitatis, & sic potest esse in se formaliter futurus vi alicuius decreti efficacis, antecedenter ad determinationem vnius ex dictis circumstantijs, & independentem ab ipsa. Ad tertiam impugnationem nego antecedens: Nam ille modus decernendi non est confusus, aut indistinctus, sed disiunctiuus, quo distinctè voluit Deus Christum impassibilem, si non esset peccatum, & passibilem, si esset peccatum, & ipse vitam passibilem eligeret; sicut quando Deus præcepit, offerri sibi par tururum, aut duos pullos columbarum, *Leuitici 12*. Videatur hæc doctrina, alijs exemplis, & rationibus illustrata tract. de Prædestinat. disp. 2. cap. 3.

1139 Contra conclusionem 1. puncti 2. Obijcies quintò, omnia testimonia à nobis adducta punct. 1. à n. 1041. pro nostra sententia, in quibus dicitur Christus initium operum Dei, primogenitus omnis creaturæ, & ante omnem creaturam, propter quem, & per quem omnia creata sunt; tenens in omnibus primatum, ante nos præfundatus &c. Quæ vera esse non possent, nisi

nisi

nisi Christus ponatur solus prædefinitus in primo signo sine alijs creaturis: ergo nullæ aliæ creaturæ sunt prædefinitæ in tali signo. Respondeo, in dictis testimonijs modum illum loquendi non denotare prioritatem aliquam decreti Christi ad decreta aliarum creaturarum, sed prioritatem aliqualem solum obiectiuam Christi ad productionem aliarum creaturarum in genere causæ finalis, & motiuæ, eo quod Christus sit finis, & motiuum, ob quod Deus decreuit producere alias creaturas.

1140 Obijcies sextò. Christus fuit causa meritoria exaltationis sui nominis, & suæ glorificationis: ergo & creationis omnium rerum, ex quibus oritur exaltatio nominis Christi, & glorificatio eius. Respondeo, distinguens antecedens, Christus fuit causa meritoria exaltationis sui nominis, & suæ glorificationis, in ordine supernaturali resultantis ex gratia, gloria, alijsque donis superis, quæ hominibus, & Angelis conferuntur, concedo; in ordine naturali resultantis ex creatione rerum naturalium, nego: nam exaltationis, & glorificationis, Christo resultantis ex rerum naturalium creatione, Christus solum fuit causa finalis, & motiua, non autem meritoria, aliàs diceretur Christus venisse, & missus de cælis propter existentiam mundi, sicut & propter nostram salutem, quod est absurdum, & inauditum.

1141 Obijcies septimò. Si Adam non peccasset, plures tunc homines nascerentur, qui modò non sunt futuri, quia in statu illo innocentie omnes vacarent matrimonio, & ex quolibet concubitu generarent, quod modò non fit: & ex his, qui modò sunt post peccatum Adæ, plures non essent in statu illo innocentie, præsertim qui modò nascuntur ex adulterijs, & fornicationibus, quæ abessent ab illo felicissimo statu, & qui modò parentum precibus impetrantur: ergo non sunt determinatè prædefiniti in primo signo, antecedenter ad peccatum Adæ, homines futuri in quolibet ex dictis statibus.

1142 Respondeo, negans antecedens. Vnde ad primam eius partem permissò, quod in statu innocentie omnes vacarent matrimonio, (quod certum non est, cum oppositum sentias probabile Suares de opere sex dierum lib. 5. cap. 2.) & concessò,

cessò, quod homines tunc ex quolibet concubitu generarent, dico, totum id sufficienter compensari in hoc statu peccati, ex eo quod plures in hoc statu peccati habuerint plures uxores, vel simul, vt ante legem gratiæ, vel successiuè ante, & post legem gratiæ, & plures concubinas, quod non esset in statu illo perfectissimo innocentie; item ex eo quod in hoc statu peccati nascantur plurimi ex adulterijs, & fornicationibus, quod tunc non contingeret: & si opus esset, Deus in statu illo innocentie abreuiaret hominibus statum viæ multò magis quàm nunc, ne essent plures generationes. Ad secundam partem dico, homines, nunc natos ex adulterijs, & fornicationibus, nascituros tunc ex copula matrimoniali ex alijs parentibus: quod facile fieri potuit, nam, cum in nostra sententia posteri Adæ solum fuerint in primo signo prædefiniti determinatè quoad animas, & non quoad corpora, & vnionem, potuit qualibet anima prædefiniri vnienda huic corpori per vnionem, procedentè ab his parentibus sub conditione peccati Adæ, & vnienda alteri corpori per vnionem, procedentem ab alijs parentibus sub conditione, quod non esset tale peccatum.

1143 Contra secundam conclusionem puncti 2. Obijcies octauò. Si in primo signo ante peccatum Adæ solum essent prædefiniti posteri determinatè quoad animas, & non quoad corpora, & vniones, non potuissent constitui in voluntate Adæ ad peccandum cum ipso: sed hoc est falsum: ergo &c. Maior probatur. In voluntate Adæ sunt constituti posteri vt generandi ex semine Adæ, & vt apti ad concurrendum moraliter ad peccatum eius: sed posteri Adæ vt generandi ex semine eius, & vt apti ad concurrendum moraliter ad peccatum ipsius, non dicunt solum animam, sed compositum ex anima, & corpore determinato vnitis: ergo si essent solum prædefiniti determinatè quoad animas, & non quoad corpora, & vnionem, non potuissent constitui in voluntate Adæ ad peccandum cum ipso. Confirmatur. In voluntate Adæ sunt constituti ijdem posteri, & homines, qui possent postea, posita generatione, contrahere maculam, & peccatum originale: sed non possunt id contrahere, nisi posteri compositi ex anima, & corpore determinato vnitis: ergo nec sunt constituti in voluntate Adæ, nisi vt com-

compositi ex anima, & corpore determinato unitis.

1144 Respondeo, negans maiorem. Nam cum posteri solum moraliter concurrerint ad peccatum Adæ per concursum morale, procedentem à sola anima, sufficiebat, quòd essent prædefiniti determinatè quoad animas, uniendas cum hoc, vel illo corpore, ut possent constitui in voluntate Adæ in ordine ad peccandum cum ipso. Ad probationem distinguo maiore, in voluntate Adæ sunt constituti posteri ut generandi ex semine Adæ cum hac determinata unione ad determinatum corpus, producenda per determinatam generationem, nego; cum hac, vel illa unione ad hoc, vel illud corpus disiunctiue, quo pacto erant iam apti ad concurrèdum moraliter ad ipsius peccatum, concedo. Et in hoc sensu neganda est minor.

1145 Ad confirmationem dico, in voluntate Adæ constitutos esse eosdem homines, qui possent postea, posita generatione, contrahere maculam, & peccatum originale, non quidem eosdem physicè saltem adæquatè, eo quòd non fuerit idem corpus, & unio determinatè, sed eosdem moraliter, eo quòd fuerit eadem anima; sicut contingit in nobis, in quibus, licet nutritione continua varietur corpus, & unio, semper tamen sumus ijdem homines moraliter, eo quòd sit eadem anima. Unde, concessa minore, nego consequentiam: Nam, ut posteri contrahere possint maculam, & peccatum originale, requiritur ut conditio, generatio posita à parte rei, generatio autem posita à parte rei, debet esse determinata, producens determinatam unionem ad determinatum corpus, & sic non possunt contrahere illud, nisi posteri, compositi ex anima, & corpore determinato unitis: at, ut constituentur posteri in voluntate Adæ, non requirebatur ut conditio, generatio in re posita à parte rei, sed præcisè quòd constituti in illa, essent prædefiniti determinatè quoad animas, & generandi ex semine Adæ, sine cum hac unione, & generatione, siue cum illa disiunctiue, & indeterminatè. Quòd autem, ut contrahatur à posteris peccatum originale, requiratur generatio in re posita à parte rei, patet, ex eo quòd si Deus, ut potest, produceret aliquam animam aliquo tempore ante unionem ad corpus, talis anima toto eo tempore, antecedente unionem, non contraheret peccatum

tum originale, nec eo macularetur, quia nondum esset in re posita à parte rei generatio determinatæ unionis eius ad determinatum corpus, solumque inciperet contrahere illud, quando poneretur in re à parte rei generatio determinatæ unionis eius ad determinatum corpus; quod non ita esset, si ad contractionem peccati originalis sufficeret existentia animæ determinatæ, uniendæ præcisè ad hoc, vel illud corpus disiunctiue, siue generatione, & unione, in re posita à parte rei.

1146 Obijcies nonò. Christus fuit decretus in primo signo cum anima, & corpore determinato: ergo idem erit de posteris Adæ. Respondeo, negans consequentiam: Nam Christus decretus est miraculosè producendus absque semine viri, & sic potuit illum decernere etiam cum eodem corpore habèdo, tam peccante Adamo, quam eo non peccante, sua extraordinaria providentia disponendo, quòd eadem materia deseruiret in utroque euentu ad formationem corporis eius: at posteri Adæ decreti sunt producendi modo naturali ex semine Adæ sine extraordinaria aliqua providentia, disponente materiam, deseruientem in utroque euentu ad formanda corpora eorum, & sic non potuerunt decerni cum eodem corpore, naturaliter habèdo, tam peccante, quam non peccante Adamo.

1147 Obijcies decimò. Filij debent parentibus, à quibus defacto generantur, quòd sint nati in mundo, ita ut nisi per illos nati non fuissent, iuxta illud Ecclesiastici 7. *Honora Patrem tuum, & gemitus matris tuæ non obliuiscaris, memento quoniam nisi per ipsos natus non fuisses*: ergo non fuerunt omnes filij, in mundo futuri, decreti in primo signo determinatè quoad animas, & disiunctiue, & indeterminatè quoad corpora, & unionem, ab his, vel illis parentibus producendam; aliàs non deberent, esse natos, his parentibus, à quibus defacto generantur, cum ratione dicti decreti deberent nasci ex alijs parentibus, si ex his defacto non nascerentur. Respondeo, negans antecedens, quòd non conuincit locus citatus Ecclesiastici: Nam Ecclesiasticus loquitur de filio physicè adæquatè accepto secundum omnia, cum quibus natus est ex suis parentibus, scilicet secundum animam, & hoc corpus, & unionem determinatam, quæ ab illis accepit; quæ omnia simul non haberet ab

alijs parentibus, si ab alijs, & non ab his natus fuisset, tunc enim haberet ab alijs parentibus aliud corpus, & aliam unionem, & sic non esset physicè adæquatè idem homo, & consequenter verificatur rectè, quòd nisi per hos suos parentes non esset natus hic filius saltem adæquatè modo dicto, licèt deberet nasci ex alijs parentibus inadæquatè quoad eandem animam, iam in primo signo prædefinitam.

1148 Obijcies undecimò. Si Deus in primo signo efficaciter decreuisset posteros determinatè quoad animas, & disiunctivè, & indeterminatè quoad corpora, & uniones eorum generandas, à se postea determinanda, mansisset necessitatus ex vi huius decreti ad determinandum postea efficaciter corpora, & uniones generandas: ergo essent necessariò futuræ tales uniones generandæ, & generationes earum: ergo posteri genitores mansissent necessitati ad generandum: ergo non generarent liberè cum potestate libera non generandi, quod est absurdum. Nec potest in præfenti recurri ad prædefinitiones efficaces generationum, cùm in nostra sententia huiusmodi prædefinitiones tollant libertatem rei prædefinitæ, ut fusè ostendimus disp. 2. de Providentia Dei.

1149 Respondeo, concessio antecedente, distinguens primum consequens, essent necessariò futuræ tales uniones generandæ, & generationes earum casu, quo nulli parentes se liberè applicarent ad generandum, concedo; absolutè independentè ab hac conditione, nego. Et distinguo secundum consequens, posteri genitores mansissent necessitati ad generandum casu, quo non se liberè applicarent ad generandum, concedo; absolutè independentè ab hac conditione, nego. Et nego ultimam consequentiam: Nam Deus ex vi illius decreti voluit necessitare aliquos posteros ad generandum casu scilicet, quo illi, quos ad id eligit, aut permittit generare, non se applicarent liberè ad generandum, ut sic certissimè ponerentur à parte rei aliquæ generationes ex his, quas disiunctivè efficaciter decrevit, suumque decretum frustrari non posset; quia verò defacto posteri se liberè applicarunt ad generandum, ideo Deus nullum necessitat ad generandum, nec defacto sunt necessariò futuræ uniones generandæ, nec generationes earum, sed

sed liberè: non enim repugnat, Deum velle, necessariò inducere à parte rei aliquem effectum sub conditione, quòd ille liberè ab homine non ponatur, quæ enim potest huius diuinæ voluntatis repugnantia assignari?

1150 Dices. Si Deus suo illo decreto voluisset necessitare aliquos ad generandum casu, quo nulli se liberè applicarent ad generandum, voluisset etiam eosdem necessitare ad contrahendum matrimonium in tali casu, sine quo non posset esse licita generatio, nec Deum decens, illam inducere: sed Deus non potest necessitare ad contrahendum matrimonium: ergo nec ad generandum. Minor probatur. Matrimonij contractus debet esse liber, cùm nullus sine libertate possit alteri tradere dominium sui corporis: ergo eo ipso quòd Deus necessitaret ad contrahendum matrimonium, hoc non esset iam contractus matrimonij: ergo non potest Deus necessitare ad contrahendum matrimonium. Respondeo, negans maiorem: Nam Deus tunc non necessitaret ad contrahendum matrimonium, ut rectè probat argumentum; sed tamen induceret necessariò vinculum simile vinculo matrimonij inter masculum, & foeminam, tradendo illis mutuum dominium corporum; cùm enim Deus sit magis dominus corporum, quàm homines, potest multò magis dare mutuum corporum dominium masculo, & foemine, quàm ipsi, ut cum communi Doctorum docet Coninch de Matrimonio disp. 24. dub. 5. conclusio. 2. nu. 49. quo pacto redderet Deus licitam generationem, non minùs ac si matrimonium contraxissent, sicque non esset Deum indecens, illam necessariò inducere.

1151 Contra conclusionem 5. punct. 3. Obijcies duodecimò. Christus est finis nostræ salutis, & redemptionis: ergo nostra salus, & redemptio non potuit esse finis producendi Christum. Antecedens probatur. Primò ex Trident. sess. 6. cap. 7. asserente, gloriam Dei, & Christi esse finem nostræ iustificationis. Secundò. Christus non est bonum occasionatum, sed expetibile propter se: ergo non debuit decerni propter nostram salutem, & redemptionem ut finem. Tertiò. Christus ut homo est optimus omnium creatorum: ergo omnia creata debent intendi propter ipsam, & ipse propter nullum aliud creatum intendi debet.

1152 Respondeo, distinguens antecedens, Christus est finis *Cui* nostræ salutis, & redemptionis, in cuius scilicet gloriam cedit nostra salus, & redemptio, concedo; est finis *Qui*, scilicet consequendus per nostram salutem, & redemptionem, nego. Deinde distinguo consequens, nostra salus, & redemptio non potuit esse finis *Cui* producendi Christum, concedo; non potuit esse finis *Qui* non ultimus, consequendus per productionem Christi, nego: nulla enim est repugnantia, in eo, quod Christus sit finis *Cui*, ordinatus ad nostram salutem, & redemptionem tanquam ad finem *Qui* non ultimum, qui scilicet ordinetur aliunde ad gloriam Christi, & Dei tanquam ad finem *Qui*. Ad primam antecedentis probationem dico, veram esse doctrinam Trident. quia licet nostra iustificatio sit finis *Qui* productionis Christi, est tamen finis non ultimus, sicque ordinatus ultra ad gloriam Christi, & Dei tanquam ad finem *Qui* ultimum. Ad secundam probationem distinguo antecedens, Christus non est bonum occasionatum per se, concedo; per accidens ex ordinatione extrinseca libera Dei, qui liberè ordinavit productionem Christi ad nostram salutem, & redemptionem, ex qua ipsi Christo maxima resultat gloria, nego. Ad tertiam probationem, concessio antecedente, ad consequens dico, omnia creata debere intendi propter Christum ut finem *Cui*, & ipsum propter nullum aliud creatum debere intendi ut finem *Cui*, licet possit intendi propter aliud creatum ut finem *Qui* saltem per accidens.

1153 Contra secundam conclusionem punct. 5. Obijcies decimotertiò. Ante decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, præuidit Deus peccatum originale contractum in posteris: ergo decretus est Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè, post absolutè præuisum originale contractum in posteris. Antecedens probatur. Primò. Ante decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, præuidit Deus posteros, in Adæ voluntate constitutos, & moraliter peccantes cum ipso, physicè peccante: ergo præuidit illos, tali peccato iam tunc infectos, & maculatos, præsertim stante, & præuisa tunc lege transfusionis peccati. Secundò. Patres dicunt, venisse Christum absolutè passibilem,

lem, & Redemptorem liberatiuè, quia natura humana erat peccato infecta: ergo ante decretum aduentus Christi præuisa erat natura humana, peccato infecta: sed natura humana non inficitur nisi peccato originali, contracto in posteris: ergo præuisum erat peccatum originale, contractum in posteris.

1154 Respondeo, distinguens antecedens, ante decretum Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, præuidit Deus peccatum originale, contractum radicaliter in posteris, iuxta dicta punct. 5. conclus. 3. nu. 1106. concedo; in se formaliter contractum in actu exercito, nego; quia tunc nondum præuidebat absolutè futuram in se generationem posterorum determinatam, per quam defacto contrahitur in se in actu exercito peccatum originale. Et distinguo consequens similiter, decretus est Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè, post absolutè præuisum originale, contractum radicaliter in posteris, concedo; contractum formaliter in se in actu exercito, nego.

1155 Ad primam antecedentis probationem, concessio antecedente, distinguo consequens, præuidit illos, tali peccato tunc iam infectos, & maculatos radicaliter, eo quod illud esset inevitabili necessitate contrahendum à posteris, statimque generarentur, ratione legis diuinæ transfusionis peccati, tunc iam existentis, & præuisæ, concedo; præuidit illos, tali peccato tunc iam infectos, & maculatos formaliter in se in actu exercito, nego: quia tunc nondum præuidebat absolutè futuram in se generationem posterorum determinatam, quæ defacto est conditio, ut posterius inficiantur, & maculentur in se formaliter in actu exercito. Nam, ut diximus disp. 3. cap. 3. punct. 3. in solutione instantiæ contra solutionem obiectionis 7. à n. 535. in instanti, in quo peccavit Adam physicè, licet posterius, moraliter concurrentes cum ipso ad peccatum, denominati fuerint peccantes, non tamen potuerunt denominari tunc formaliter infecti, & maculati in se in actu exercito, ob doctrinam ibi fusè propositam. Videantur ibi dicta.

1156 Ad secundam probationem dico, loqui forsan Patres, non de aduentu Christi in prædefinitione prima eius, sed de aduentu Christi in executione, quando conceptus est in utero Dei-
paræ;

paræ; tunc enim venit iam, prædefinitus alio decreto ad reparanda omnia peccata originalia, & actualia totius mundi, atque adeo post infectionem naturæ humanæ. Si verò permittamus, loqui Patres de aduentu Christi in prima prædefinitione eius ut absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, distinguo antecedens, Patres dicunt, venisse Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, quia natura humana erat peccato infecta radicaliter, concedo; formaliter in se in actu exercito, nego. Et similiter distinguendum est consequens.

1157 Contra tertiam conclusionem punct. 5. Obijcies decimoquarto. Adam ante peccatum in statu innocentie habuit reuelationem de Christo absolutè passibili, & Redemptore liberatiuè, cum qua concepit fidem illius, eaque meruit augmentum aliquod gratiæ sanctificantis, quod totum fuit sine dubio ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè; sed si Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè, ponatur prædefinitus post absolutè præuisum peccatum Adæ, non potest illa secunda gratia, correspondens merito fidei Adæ, esse ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, & ab eo ut sic dependens: ergo Christus non est prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè post absolutè præuisum peccatum Adæ.

1158 Minor probatur primo. Quia illa secunda gratia, correspondens merito fidei Adæ, fuit in statu innocentie antecedenter ad peccatum Adæ; ergo & antecedenter ad prædefinitionem Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, si Christus ut sic ponatur prædefinitus post absolutè præuisum peccatum Adæ; ergo illa secunda gratia non potest esse ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, & ab eo ut sic dependens.

1159 Secundo. Quia si Christus ponatur prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè, post absolutè præuisum peccatum Adæ, prædefinitio Christi ut sic supponit absolutè præuisum peccatum Adæ; sed præuisio absoluta peccati Adæ supponit non solum primam gratiam status innocentie, sed secundam etiam gratiam, correspondentem merito fidei Adæ:

ergo

ergo eandem supponit prædefinitio illa Christi ut sic: ergo illa secunda gratia non fuit ex meritis Christi ut sic prædefiniti, & ab eo dependens. Minor probatur. Præuisio absoluta peccati Adæ præuidet peccatum, expellens totam gratiam, quæ erat in Adamo ante peccatum, quamque defacto expulit peccatum: ergo præuidet illud, expellens etiam secundam illam gratiam, quia ea erat iam in Adamo ante peccatum, ipsamque hoc expulit defacto: ergo talis præuisio supponit peccatum Adæ, ut expellens etiam secundam illam gratiam: ergo & supponit secundam illam gratiam, quæ præuidetur expelli per illud.

1160 Permissa illa reuelatione, fide, & augmento gratiæ sanctificantis in Adamo ante peccatum in statu innocentie ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, Respondco, negans minorem. Ad primam probationem distinguo antecedens, illa secunda gratia, correspondens merito fidei Adæ, fuit in statu innocentie antecedenter ad peccatum Adæ prioritate à quo, & independenter ab illo, nego; prioritate in quo, & cum dependentia ab illo, concedo: nam licet illa secunda gratia fuerit prior tempore, & in quo peccato Adæ, fuit tamen posterior à quo, & dependens ab illo; cum enim illa secunda gratia sit dependens à Christo absolutè passibili, & Redemptore liberatiuè, ex cuius meritis est, & Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè sit dependens à peccato Adæ, & posterior à quo illo, etiam secunda illa gratia est dependens à peccato Adæ, & posterior à quo illo: sicut gratia antiquorum Patrum est prior tempore, & in quo Christo, & posterior à quo ipso, utpote effectus meritorum eius.

1161 Ad secundam probationem nego minorem. Ad probationem nego antecedens: nam præuisio prima absoluta peccati Adæ non præuidet peccatum, expellens totam gratiam, quæ erat in Adamo ante peccatum, quamque defacto expulit peccatum, sed expellens solum primam gratiam, datam Adæ in statu innocentie independenter à merito illius fidei ipsius. Unde negandæ sunt omnes consequentiæ sequentes: nam præuisio prima absoluta peccati Adæ, mouens Deum ad decernendum Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, non potuit præuidere in suo signo secundam illam

gra-

gratiam, correspondentem merito fidei Adæ, utpote nondum prædefinitam tunc, quia nondum erat decretus Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè, ex cuius meritis erat, atque adeò non potuit tunc præuidere peccatum, expellens illam secundam gratiam, sed primam solùm: post decretum autem Christum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, & viso merito fidei Adæ ex illius meritis, decreuit dare Adæ secundam illam gratiam in præmium fidei ob merita Christi sic decreti, & sic tunc præuidit secundam illam gratiam, & peccatum expellens illam noua alia præuisione absoluta, distincta à præuisione illa prima absoluta.

1162 Nec dicas, peccatum Adæ habuisse specialem circumstantiam ingratitude maioris rationis illius secundæ gratiæ, acceptæ antecederet ad peccatum prioritate in quo, & sic peccatum ratione illius circumstantiæ fuisse dependens ab illa secundæ gratiæ. Nam peccatum Adæ non habuit specialem circumstantiam maioris ingratitude, saltem formaliter imputabilem, ratione illius secundæ gratiæ, obtentæ per actum fidei; quia quando Adam commisit peccatum, non recordabatur actus fidei elicitum, nec illius secundæ gratiæ, per illum obtentæ: quod necessariò ita sentiendum est, ut dicamus, peccatum fuisse causam aduentus Christi absolutè passibilis, & Redemptoris liberatiuè, & hanc causam meritoriam illius secundæ gratiæ.

1163

CAPVT V.

Deciditur ex dictis præcipua disputationis difficultas.

1164 **H**ætenus dicta circa prædefinitionem Christi tam secundum se, quam ut passibilis, & Redemptoris, ideo tam ex professo discussa sunt, ut exactè, & pro dignitate resolui posset præcipua disputationis difficultas, in eius titulo proposita num. 835. scilicet an, & quomodo Deipara potuerit

rit præseruari à peccato originali, eiusque debito ex meritis Christi absolutè passibilis in hoc diuinarum decretorum ordine.

1165

PUNCTVM I.

Sensus difficultatis, & Doctorum opiniones.

1166 **D**ixi in titulo, *ex meritis Christi absolutè passibilis*, Primo. Quia certum est, Deiparam potuisse præseruari à peccato originali, omni que debito eius tam proximo, quam remoto ex meritis Christi prædefiniti conditionatè passibilis, & præscindenti à passibilitate, & impassibilitate absolutas, cum merita Christi sic prædefiniti præcedant peccatum Adæ ut capitis, moraliter à posteris commissum, & constitutionem eorum in voluntate Adæ, ob quæ potuit Deus non constituere Deiparam in voluntate Adæ in ordine ad peccatum, sicque illam eximere à commissione peccati Adæ, omni que debito eius.

1167 Secundo. Quia si Deipara constituatur præseruata à peccato originali, eiusque debito, debet ita constitui ex meritis Christi absolutè passibilis, ut docent Suares disp. 9. de Peccatis sect. 4. num. 14. & 34. & ex ipso Aldrete to. 1. de Incarnat. disp. 22. sect. 3. nu. 14. & sect. 4. à nu. 2. Tum quia negari non potest, Deiparam fuisse propriè, & strictè redemptam per Christum, scilicet præseruatiuè, ut docet Suares citatus num. 13. quod adeò verum est, ut Bernardus serm. de Assumpt. inuauat, Christum magis pro redimenda Matre, quam alia creatura venisse: Redemptio autem propria, & stricta debet esse ex meritis passionis, & sanguinis Christi, iuxta illud 1. ad Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno*, & ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, & ad Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius*, & ad Hebræos 9. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*, & Apocalip. 5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*. Eundem hanc modum loquen-

Zzz

di

di Scripturæ imitantur Patres, præsertim Augustinus tom. 2. lib. aduersus articulos falsè impositos, ubi, loquendo de peccato Adæ, ait, *sanguis Christi redemptio est totius mundi*, & paulò infra, *Redempti omnes rectè dicuntur*, & Gregorius in Iob lib. 17. cap. 15. apud Peñalosa disp. 3. cap. 4. nu. 28. Tum quia id expressè canebat Ecclesia in oratione, quæ ante Pium V. vniuersaliter recitabatur in Missa Festi Conceptionis Deiparæ, his verbis, *Vt sicut ex morte Filij tui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita &c.* Tum quia omne donum, & priuilegium, posteris Adæ collatum, ex Christo absolutè passibili dimanat, ut est solemne inter Doctores: ergo idem erit de dicto priuilegio præseruationis Deiparæ.

1168 Solùm igitur dubitatur in præsentia, An, & quomodo Deipara potuerit ex meritis Christi absolutè passibilis præseruari à peccato originali, eiusque debito. Prima opinio ait, Deiparam nec à peccato originali, nec à debito eius potuisse præseruari ex meritis Christi absolutè passibilis. Ita sentire videntur Doctores sententiæ minùs piæ, qui Deiparam in peccato originali conceptam volunt.

1169 Secunda opinio communior docet, Deiparam potuisse ex meritis Christi absolutè passibilis præseruari à contractione peccati originalis, non autem ab eius debito etiam proximo. Ita Doctores eam defacto ita constituentes præseruatam à peccato, & non à debito adhuc proximo, Suares to. 2. in 3. par. disp. 3. sect. 2. 4. & 5. & disp. 9. de peccatis sect. 4. Vasquez to. 2. in 3. p. disp. 115. & 116. Belarminus controuers. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16. Valentia in controuers. lib. de peccato originali cap. 3. Episcopus Don Ludouicus Crespi à Borgia in suo propugnaculo definibilitatis proximæ sententiæ piæ disp. 2. art. 6. subart. 1. nu. 296. & plures alij.

1170 Tertia opinio, pietate, & eruditione plena, asserit, Deiparam ex meritis Christi absolutè passibilis potuisse præseruari à peccato originali, & à debito saltem proximo eius, & defacto præseruatam fuisse. Ita Salazar de Concept. à cap. 7. Luzero de Concept. B. Virginis par. 2. Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus in cap. 5. ad Roman. Clitonæus lib. de Concept. Virginis cap. 8. & 9. Turrianus de peccato originali

lib. sed iam accessuri ad finem, Benedictus Fernandes in Genes. cap. 9. sect. 8. nu. 1. Barradas to. 1. in Euang. lib. 6. cap. 3. Bernardinus à Bustis 1. par. Marialis serm. 9. in 2. serm. part. Granada opusc. de Immaculata Virginis Conceptione lib. 1. cap. 3. Lezana in lib. Apolog. pro Immaculata Conceptione c. 32. Ludouicus de Ponte in Cantie. lib. 7. exhortat. 20. §. 3. nu. 5. Petrus Hurtado de Incarnat. disp. 13. sect. 4. subsect. 5. Ioannes de Lugo de Incarnat. disp. 7. sect. 3. Arriaga de Incarnat. disp. 16. sect. 4. subsect. 3. Aldrete to. 1. de Incarnat. disp. 22. sect. 4. & 9. Peñalosa in vindicijs Deiparæ Virginis disp. 9. & 10. Nieremberg de perpetuo obiecto festi Conceptionis cap. 30. §. 1. & alij. His adiungi possunt plures Doctores, qui probabilem pronuntiant hanc opinionem apud Aldrete citatum sect. 3. à nu. 8.

1171 De secunda opinione nihil dicam in hoc capite; eius enim falsitas constat iam ex disp. 4. cap. 2. conclus. 2. à nu. 735. ubi ostendimus, nullum ex posteris potuisse præseruari à contractione peccati originalis, contracto semel debito proximo eius; ex quo manifestè sequitur, vel fuisse possibilem præseruationem Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo simul, ex meritis Christi absolutè passibilis, vel à neutro potuisse fieri immunem ex dictis meritis, ut contendit prima opinio: hoc autem secundum falsum esse, euictum iam plenè habent Doctores sententiæ piæ, & constabit etiam ex confirmatione tertiæ opinionis, quæ in sequentibus comprobanda, & illustranda est.

1172

PUNCTVM II.

Aliqui modi constituendi possibilem præseruationem Deiparæ à peccato, & debito originali ex meritis Christi absolute passibilis.

1173

AD declarationem tertiæ opinionis, quam veriozem existimo, oportet priùs examinare præcipuos aliquos

modos, quibus Doctores eius contendunt, eximere Deiparam à peccato originali, eiusque debito proximo, ex meritis Christi absolutè passibilis. Omisissis autem modis id declarandi iuxta sententiam, constituentem Christum, in primo signo prædefinitum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè, independenter ab antecedente permissione peccati Adæ, quam sententiam impugnauimus iam fusè cap. 1. 2. & 3. huius disputationis; percurram solùm modos id declarandi iuxta sententiam, constituentem Christum prædefinitum absolutè passibilem, & Redemptorem liberatiuè post peccatum Adæ absolutè permissum, & præuisum.

1174 Primò igitur aiunt nonnulli Doctores, Deum, quando primò statuit pactum cum Adamo, in eoque constituit posterorum voluntates, non inclusisse in pacto Deiparam, nec eam in voluntate Adæ constituisse simul cum alijs posteris, sed nec eam positiuè exclusisse, imò merè præscisiuè se habuisse, sibi postea determinandum relinquendo, an Deipara esset in pacto includenda, & constituenda in voluntate Adæ, vel non: Deinde verò post absolutè præuisum peccatum Adæ futurum, & committendam hora v. g. duodecima ab eius creatione, & post prædefinitum Christum absolutè passibilem, in remediũ eius, potuisse adhuc pro toto illo tempore, antecedente horam duodecimam, includi, & constitui Deiparam in pacto, & in voluntate Adæ, & cum ipso peccare postea hora duodecima; Christum autem, tunc iam prædefinitum absolutè passibilem, potuisse, impetrare Deiparæ hanc secundam non inclusionem eius in pacto, & in voluntate Adæ, subsequentem peccatum, licet non potuerit, ipsi impetrare primam illam non inclusionem, antecedentem peccatum: & hoc modo potuisse suis meritis, eam præseruare à peccato originali, eiusque debito proximo.

1175 Displicet modus iste constituendi possibilem præseruationem Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis. Primò. Quia hic modus discurrendi non solùm statuit possibilem præseruationem Deiparæ à debito proximo peccati originalis ex meritis Christi absolutè passibilis, sed etiam à debito remoto eius, à quo non

non debet poni præseruata ex dictis meritis: ergo tribuit plus Deiparæ, quàm oportet, sicque est ex hoc capite reiiciendus modus hic discurrendi. Antecedens patet. Hic modus discurrendi statuit possibilem præseruationem Deiparæ ab inclusione, & constitutione eius in voluntate Adæ, & consequenter etiam à concursu morali in peccatum Adæ, in quibus consistere poterat debitum remotum peccati originalis, iuxta dicta disp. 4. cap. 1. punct. 2. conclus. 8. n. 715: ergo statuit possibilem præseruationem eius etiam à debito remoto peccati originalis.

1176 Secundò. Quia Deipara non potuit iam includi in pacto, & voluntate Adæ, post absolutè præuisum peccatum eius futurum: ergo eam tunc non includi, non fuit gratia, ipsi facta ex meritis Christi absolutè passibilis. Antecedens probatur. Tum quia Deipara solùm potuit includi in pacto, & voluntate Adæ, quando eius inclusio conducere poterat, vt ipsa posset influere in peccatum Adæ: sed post absolutè præuisum peccatum Adæ futurum, non posset inclusio Deiparæ conducere, vt ipsa posset influere in peccatum Adæ: ergo non potuit tunc includi in pacto, & voluntate Adæ. Minor patet. Talis inclusio tunc non antecederet, sed subsequeretur peccatum Adæ iam futurum, & ex huius præuisi suppositione fieret. ergo non posset conducere, vt Deipara posset influere in peccatum Adæ. Confirmatur. Si inclusio Deiparæ in pacto, & voluntate Adæ fieret, quando iam actu peccabat Adam hora duodecima, non conduceret, vt Deipara posset influere in illud peccatum, vt fatentur etiam aduersarij: ergo nec conduceret ad id, si fieret, quando Adam præuidebatur iam peccaturus; nam in præuisione diuina peccatum futurum perindè est, ac si esset iam in actu commissum.

1177 Tum quia si, post absolutè præuisum peccatum Adæ futurum, Deus includeret, & constitueret Deiparam in pacto, & voluntate Adæ, eam determinatè destinaret ad peccandum in Adamo, sed hoc est Deo indignum, & indecens: ergo non posset tunc eam includere in pacto, & voluntate Adæ. Maior probatur. Deus includens Deiparam in pacto, & voluntate Adæ, eam destinaret ad concurrendum ad operationem, ad quam

quam Adam se liberè determinaret: sed post absolutè præuisum peccatum Adæ futurum, Adam supponitur iam determinatus ad peccandum: ergo Deus, includens tunc Deiparam in pacto, & voluntate Adæ, eam destinaret determinatè ad peccandum in Adamo.

- 1178 Tum quia si, post absolutè præuisum peccatum Adæ futurum, potuisset Deipara includi in pacto, & voluntate Adæ, vel Deipara, sic inclusa, posset moraliter impedire peccatum Adæ, vel non posset illud impedire: neutrum dici potest: ergo nec quòd Deipara posset tunc includi in pacto, & voluntate Adæ. Minor probatur. Non secundum. Nam aliàs tale peccatum nunquam posset imputari ad culpam Deiparæ, inclusa tunc in pacto, & voluntate Adæ: cum non possit personæ imputari ad culpam, quod ipsa impedire non potest. Si primum ergo posset tunc similiter Deipara impedire, quòd non esset prædefinitus Christus, cum iuxta aduersarios prædefinitus sit Christus ex suppositione peccati Adæ absolutè præuisi: sed hoc dici non potest: ergo &c. Minor probatur. Vt Deipara, inclusa tunc in pacto, & voluntate Adæ, posset impedire, quòd non esset prædefinitus Christus, necesse esset, quòd prædefinitio Christi facta esset dependenter ab inclusione dictæ Deiparæ in pacto, & voluntate Adæ, & ab influxu eiusdem in peccatum Adæ, & ex suppositione eius; sicut diximus in materia de Scientia Dei circa scientiam diuinam visionis peccati futuri v.g. Iudæ, hic enim potuit non peccare, sicque impedire, quòd non esset in Deo scientia visionis de peccato eius futuro, quia Deus habet talem scientiam dependenter à peccato futuro Iudæ, & ex suppositione eius: sed iuxta aduersarios licet prædefinitio Christi facta sit dependenter a peccato Adæ absolutè præuiso, tamen non esset facta dependenter ab inclusione Deiparæ in pacto, & voluntate Adæ, & ab influxu eiusdem in peccatum Adæ; cum ipsi post absolutè præuisum peccatum Adæ, & post prædefinitum Christum absolutè possibilem, ponant Deiparam indifferentem, vt posset includi in pacto, & voluntate Adæ, aut non includi in illo, ex meritis Christi sic prædefiniti: ergo dici non potest, quòd Deipara, inclusa tunc in pacto, & voluntate Adæ, posset impedire, quòd
non

non esset prædefinitus Christus.

- 1179 Dices. Si post futuritionem effectus ex aliqua causa morali sufficiente, adueniat noua alia causa moralis, antequàm ponatur in re effectus à parte rei, potest noua illa causa moraliter influere in talem effectum: ergo etiam, post absolutè præuisum peccatum Adæ futurum hora duodecima, si ante eam horam constituta fuisset Deipara in voluntate Adæ, potuisset moraliter influere in peccatum Adæ hora duodecima. Antecedens patet exemplo clarissimo. Si quis hodie efficaciter decernat conferre cras pauperi eleemosinam ob subleuandam miseriam eius, & antequàm eam cras conferat, præcipiat ipsi confessarius, conferre eleemosinam pauperi, poterit nouo affectu efficaci imperare eandem eleemosinam ex motiuo parendi confessario, qui affectus moraliter influeret etiam in collationem eleemosinæ simul cum priori affectu: ergo &c.

- 1180 Respondeo, antecedens verum esse, quando noua causa moralis adueniens, vel est affectus efficax, imperans positionem effectus à parte rei, vel mouet, & inducit causam physicam efficientem ad illius productionem, vel non supponit per se effectum iam futurum per aliam causam, nec ab eo vt sic futuro dependet, vt contingit in exemplo adducto eleemosinæ, imperatq; duplici illo affectu efficaci, in quo hæc tria concurrunt in secundo affectu efficaci adueniente, imperante eleemosinam ex motiuo parendi confessario, vt liquet, & sic affectus iste moraliter influit etiam ad collationem eleemosinæ simul cum priori affectu: falsum verò esse antecedens, si nihil ex his tribus concurrat in noua causa morali adueniente, vt in nostro casu, in quo constitutio illa Deiparæ in pacto, & voluntate Adæ, nec esset affectus efficax, imperans positionem peccati Adæ à parte rei, nec moueret, & induceret causam physicam efficientem, scilicet voluntatem Adæ, ad productionem peccati, & aliundè supponeret per se peccatum Adæ futurum iam ex determinatione Adæ, & ab eo vt sic futuro dependeret, & sic non posset iam moraliter influere hora duodecima in dictum peccatum, iuxta superius dicta. Et propterea diximus in materia de Peccatis disp. 3. cap. 3. quòd si post aliquod opus purè impeditium adimpletionis præcepti, ad-
datus

datur aliud opus pure etiam impeditiuum, volitum ex suppositione solam, quod appositum sit iam prius illud opus, tale opus additum, non influeret in omissionem adimplentionis precepti, nec inferretur malitia eius. Videantur ibi dicta. Unde neganda est consequentia.

1181 Deinde quamvis verum esset antecedens absolute in alijs causis moralibus aliorum effectuum, negari debet consequentia in nostro casu. Tum quia si post absolute preuisum peccatum Adæ futurum, Deipara includeretur à Deo in pacto, & voluntate Adæ, destinaret eam Deus determinate ad peccandum in Adamo, quod est indecens Deum. Tum quia cum Deipara, tunc inclusa in pacto, & voluntate Adæ, non posset iam impedire peccatum Adæ, non posset illi tale peccatum ad culpam imputari, vt dictum est.

1182 Secundò Salazar de Concept. cap. 24. & alij cum ipso sic declarant præseruationem Deiparæ à peccato, & debito originali ex meritis Christi absolute passibilis. Afferunt, Deum primò decreuisse, homines determinate producere, excepta Deipara. Secundò, constituisse Adamum caput morale hominum tunc iam futurorum, cum pacto de transfundenda in illos iustitia originali, si ille non peccaret. Tertio, vidisse peccatum Adæ, & homines, antea decretos futuros, & in pacto inclusos, peccato originali maculatos. Quarto, in remedium dicti peccati decreuisse Christum passibilem. Quintò, ob merita Christi passibilis ex foeminis possibilibus decreuisse producere Deiparam, vt esset eius mater. Ex quo inferunt primò, Deiparam non fuisse inclusam in pacto, cum nondum esset futura in signo celebrationis pacti. Secundò, quòd licet dilatio futuritionis Deiparæ, eiusque exclusio à pacto, non fuerit in primo illo signo gratia, nec effectus meritorum Christi, tamen in quinto signo, in quo Deipara habuit futuritionem ex meritis Christi, illa dilatio, & exclusio à pacto, cepit esse fausta, & felix Deiparæ. Et hoc modo existimant, immunitatem Deiparæ à peccato, & debito originali fuisse ex meritis Christi, quia licet Christus non meruerit dilationem futuritionis Deiparæ, eiusque exclusionem à pacto in primo signo, tamen, merendo, quòd Deipara fieret postea futura, esse

effecit, quòd illa dilatio, & exclusio à pacto eidem prodesset in ordine ad immunitatem à pacto, & debito originali.

1183 Minus placet modus iste declarandi possibilitatem præseruationis Deiparæ à peccato, & debito originali ex meritis Christi absolute passibilis. Nam primò supponit, Christum non fuisse prædefinitum adhuc præscisive à possibilitate ante peccatum Adæ absolute preuisum; quod falsum est, iuxta dicta cap. 4. punct. 1. & 3. Secundò. Ex hoc sequitur, quòd si Adam non peccasset, in Deiparam, si postea à Deo decerneretur futura, non esset transfundenda originalis iustitia, quæ in reliquos posteros Adæ transfunderetur: hæc enim erat solam transfundenda in posteros, in pacto inclusos, & comprehensos, qualis non erat Deipara; quòd, licet admittat Salazar, negari non potest, esse absurdum.

1184 Tertio. Si Christus, quia meruit productionem Deiparæ, dicitur meruisse, quòd exclusio eius à pacto, esset ipsi fausta, & felix, atque adeò meruisse præseruationem eius à peccato, & debito originali: ergo cum probabile sit, eius parentes Ioachimum, & Annam meruisse de congruo productionem Deiparæ, dicentur etiam, meruisse, quòd exclusio eius à pacto esset eidem fausta, & felix, atque adeò meruisse præseruationem eius à peccato, & debito originali. Vel si dicantur, non meruisse productionem Deiparæ, cum saltem eam physicè causariant, dicentur physicè effecisse, quòd exclusio illa esset fausta, & felix Deiparæ, & quòd ipsa consequenter esset præseruata à peccato, & debito originali: quæ videntur absurda, & inaudita.

1185 Quarto. Licet Christus passibilis in hac sententia meruerit futuritionem Deiparæ post peccatum Adæ preuisum, tamen non potuit mereri præseruationem eius à peccato, & debito originali: ergo hæc præseruatio non potuit esse ex meritis Christi passibilis. Antecedens probatur. Præseruatio Deiparæ à debito originali, non stat in futuritione eius, decreta post peccatum Adæ preuisum, sed in sola exclusionem eius à pacto: sed licet Christus passibilis meruerit futuritionem Deiparæ, decretam post peccatum Adæ preuisum, tamen non potuit mereri exclusionem eius à pacto, cum in signo pa-

ai, & exclusionis Deiparæ ab illo nondum esset Christus prædefinitus iuxta aduersarios : ergo non potuit mereri præseruationem Deiparæ à debito originali. Maior probatur. Tum quia ex hoc præscisè, quòd intelligatur Deipara exclusa à pacto, intelligitur, iam, Adamum non fuisse caput morale eius, nec eam in illo potuisse peccare : ergo ex hoc præscisè intelligitur præseruata à debito originali, ad quod incurrendum necessaria est inclusio in pacto : ergo præseruatio Deiparæ à debito originali stat in sola exclusione eius à pacto. Tum quia quamuis futuritio Deiparæ non esset decreta post præuisum peccatum Adæ, sed ante illud, si nihilominus ea non fuisset inclusa in pacto, esset verè præseruata à debito originali, cum sine dicta inclusione non posset hoc incurrere : ergo præseruatio Deiparæ à debito originali non stat in futuritione eius, decreta post peccatum Adæ præuisum, sed in sola exclusione eius à pacto.

1186 Dices primò, exclusionem Deiparæ à pacto incepisse esse se faustam, & felicem ipsi ex eius futuritione ; cumque Christus meruerit futuritionem Deiparæ, meruit etiam exclusionem eius à pacto, ut est gratia, atque adeò & præseruationem à debito originali. Contra primò. Exclusio à pacto esset fausta, & felix Deiparæ etiam in statu possibilitatis, sicut est fausta, & felix alijs hominibus possibilibus ; ergo non incepit esse ipsi fausta, & felix ex eius futuritione. Antecedens probatur. Hominem possibilem manere in statu possibilitatis, ne includatur in pacto, ex quo præuidetur inficiendus macula, & debito originali, est speciale eius beneficium, & melius, quàm oppositum ; sicut est illi speciale, & melius beneficium, manere in statu possibilitatis, quàm transire ad statum futuritionis, in quo præuidetur personali aliquo peccato inquinandus, iuxta illud Christi de Iuda proditore Matthæi 26. *Ve homini illi, per quem filius hominis tradetur ; bonum erat ei, si natus non fuisset :* ergo exclusio à pacto esset fausta, & felix Deiparæ etiam in statu possibilitatis, sicut est alijs hominibus possibilibus.

1187 Contra secundò. Si exclusio Deiparæ à pacto incepit esse ipsi fausta, & felix ex eius futuritione : ergo Christus, merens futuritionem Deiparæ, meruit ad summum, quòd illa exclu-

clusio à pacto esset ipsi fausta, & felix : sed Christum mereri, quòd exclusio à pacto esset fausta, & felix Deiparæ, non est, mereri exclusionem illam à pacto secundum se, sed Deiparæ solùm futuritionem : ergo neque est, mereri præseruationem Deiparæ secundum se, consistentem in illa exclusione à pacto, sed Deiparæ solùm futuritionem. Minor probatur. Exclusionem à pacto esse faustam, & felicem Deiparæ, non est aliquid intrinsecum tali exclusioni, sed denominatio extrinseca à futuritione decreta Deiparæ ; cum, non stante hac Deiparæ à futuritione, esset nihilominus eadem illa exclusio eius à pacto, quin esset ei fausta, & felix iuxta aduersarios : ergo Christum mereri, quòd exclusio à pacto esset fausta, & felix Deiparæ, non est, mereri exclusionem illam à pacto secundum se, sed futuritionem solùm Deiparæ.

1188 Dices secundò, in signo pacti ante peccatum solùm voluisse Deum includere in pacto homines tunc futuros, non includendo, nec excludendo Deiparam, & alios homines posibles, sed præscindendo ab illis ; postea verò, post præuisum peccatum Adæ, & prædefinitum Christum absolutè passibilem, ex huius meritis habuisse voluntatem excludendi Deiparam à pacto : hæc autem voluntas excludendi Deiparam à pacto, non potuit esse in priori illo signo pacti, quia cum hæc prioritas debeat esse à quo, & quasi causalitatis, solùm debet intelligi in illo voluntas eorum, quæ sunt aliquo modo causa, vel occasio aduentus Christi absolutè passibilis ; cumque exclusio Deiparæ à pacto non fuerit causa, vel occasio aduentus Christi, sed peccatum solùm Adæ, & posterorum, inclusorum in pacto, eo quòd Christus absolutè passibilis non sit prædefinitus, quia Deipara non introierat pactum, sed quia alij introierant, & peccauerunt, consequens est, voluntatem illam excludendi Deiparam à pacto, non posse intelligi in priori illo signo pacti, sed post præuisum peccatum, & prædefinitum Christum absolutè passibilem, ex cuius meritis decreuit Deus producere Deiparam.

1189 Contra primò. Voluntas Dei, liberè volentis, excludere Deiparam à pacto, debet intelligi, & constitui in eo signo, in quo poterat Deipara, indifferenter includi, vel non includi

in pacto; in signo enim, in quo Deipara non poterat pro libito Dei includi in pacto, esset necessario exclusa ab illo, & sic exclusio eius a pacto non indigeret voluntate libera Dei, ipsam inducente, nec Deus liberè eam excluderet, sed ad id necessitatus: sed post absolutè præuisum peccatum Adæ, & prædefinitum Christum absolutè passibilem, iam pactum erat ita omnino clausum, ut nec Deipara, nec alius posset illud introire, ut constat ex dictis supra præsertim à nu. 1176: ergo voluntas Dei libera excludendi Deiparam a pacto, non potest intelligi, & constitui post absolutè præuisum peccatum Adæ, & prædefinitum Christum absolutè passibilem, sed in priori illo signo pacti solum, in quo poterat Deipara pro libito Dei includi adhuc in pacto. Ex quo fit, Deum non inijsse pactum, præscindendo tunc ab inclusione, & exclusione Deiparæ, ad hoc enim opus esset, quòd posset Deus postea, post absolutè præuisum peccatum Adæ, illam includere in pacto; quod falsum est, iuxta dicta.

1190 Contra secundò. Exclusio Deiparæ a pacto, & consequenter etiam a peccato, & debito originali, etiam si facta sine meritis Christi, potuit esse occasio conducens, ut prædefiniretur aduentus Christi absolutè passibilis ad fines, ad quos defacto prædefinitus est: ergo potuit illa esse prior à quo ipso. Antecedens probatur. Aduentus Christi absolutè passibilis prædefinitus est defacto iuxta aduersarios inter alia, ut Deipara existeret, essetque mater digna eius: ad hanc autem dignitatem conduceret sine dubio, eam non esse inclusam in pacto, nec originaliter peccasse: ergo dicta exclusio potuit esse occasio conducens, ut prædefiniretur aduentus Christi ad fines, ad quos defacto prædefinitus est.

1191 Tertiò. Cardinalis Lugo de Incar. disp. 7. sec. 3. & 4. quem sequuntur Sherlogus to. 2. in Cantic. vestig. 10. nu. 34. & aliqui Recentiores, aliter contendit constituere possibilem præseruationem Deiparæ a peccato, & debito originali ex meritis Christi absolutè passibilis. Primò ait, Deum, antequam vllum hominem decerneret futurum, constituisse Adamum caput morale hominum in ordine ad transfusionem iustitiæ, vel peccati originalis, collocando in voluntate eius omnes ho-

mines

mines posibles sub conditione, si nascerentur ex semine Adæ, excepta solùm fœmina, quæ eligeretur in matrem Christi, non determinando pro illo signo, quænam ex fœminis esset eligenda in matrem Christi, imò nec, an esset matrem Christi electurus; vnde licet Deipara, ut erat Maria, pactum intrauerit, tamen ut mater Christi exclusa est ab illo pacto saltem quoad transfusionem peccati. Secundò, videt Deus peccatum Adæ ut capitis, & decernit Christum absolutè passibilem in remedium peccati. Tertiò, ex meritis Christi sic prædefiniti, Maria decernitur futura, & eligitur in matrem Christi, quæ, eo ipso quòd electa est in matrem Christi, intelligitur exclusa a pacto, & in Adamo non peccasse, cum in pacto fuerit expressè excepta, quæcunq; eligeretur in matrem Christi, licet eadem Maria maneret inclusa in pacto, & in Adamo peccasset, si ex meritis Christi absolutè passibilis non eligeretur in matrem Christi: vnde si Maria habuit ex meritis Christi, eligi in matrem Christi, habuit eo ipso ex eisdem meritis, esse exclusam a pacto, & non peccasse in Adamo, cum tamen reliqui posterii manerant inclusi in pacto, & in Adamo peccasse censeantur. Hoc autem declarat suo illo exemplo Principis, concedentis Petro facultatem condendi nouam urbem cum pacto, ut si Petrus, conditor urbis, fidelis fuerit, sint nobiles omnes incolæ futuri urbis, si verò Petrus rebellis fuerit, omnes incolæ futuri urbis nobilitate careant, excepto eo, quem Princeps elegerit in Prætorem eius urbis: rebellat postea Petrus, seque, & incolas omnes futuros nobilitate priuat; Princeps verò, precibus Pauli inclinatus, eligit in Prætorem Ioannem, qui valetudinis causa ad eam urbem incolendam adit; tunc sanè Ioannes, precibus Pauli electus Prætor, eo ipso precibus Pauli censeretur exclusus a pacto, & liberatus ab ignobilitate, & debito proximo eius, cum tamen reliqui incolæ censerentur in Petro moraliter deliquisse, & ignobilitatem incurrisse.

1192 Hic modus discurrendi impugnatus est iam disp. 3. cap. 2. punct. 1. à nu. 448. vbi ostendimus, implicare, quòd fuerint constituti in pacto, aut voluntate Adæ in ordine ad obseruationem, vel transgressionem præcepti homines posibles sub

con-

conditione, si orientur ex semine Adæ. Videantur ibi proposita argumenta contra illum.

1193 Sed descendendo magis in particulari ad hunc modum refellendum: Sic arguo primò. Vt Deipara, post peccatum Adæ præuisum prædefinita extitura, & electa in matrem Christi ex meritis huius absolutè passibilis, censeretur ratione talis electionis, esse ex dictis meritis exclusa à pacto, & in Adamo non peccasse, opus esset, ut verificaretur tunc de illa, quòd, si prædefinita tunc futura, non esset electa in matrem Christi, peccasset in Adamo, ad eius peccatum moraliter concurrere: sed hoc non potest de illa tunc verificari: ergo nec quòd ratione talis electionis fuerit ex dictis meritis exclusa à pacto, & in Adamo non peccauerit. Minor probatur. Vel verificaretur tunc de illa, quòd peccasset in Adamo, ad eius peccatum moraliter concurrere, quando Adam peccauit, vel quando postea, post absolutè præuisum peccatum Adæ, prædefinita est eius existentia ex semine Adæ sine electione ad maternitatem Christi. Neutrum dici potest: ergo nec dici potest, quòd, si prædefinita tunc extitura, non esset electa in matrem Christi, peccasset in Adamo, ad eius peccatum moraliter concurrere. Minor quoad utramque partem probata est iam fusè loco citato nu. præcedent. vniuersaliter de omnibus hominibus, rationibus efficacissimis, quæ possunt facile in præsentia ad Deiparam applicari.

1194 Secundò. Pactum, constituens Adamum conditionatè caput morale hominum, & hos in voluntate illius, eo modo, quo ab aduersarijs constituitur circa B. Mariam, est omnino implicatorium: ergo ineptum ad componendam præseruationem B. Mariæ à peccato, & debito originali ex meritis Christi absolutè passibilis. Antecedens probatur. Pactum illud constituitur ab aduersarijs circa B. Mariam, volens illam includere, & constituere in voluntate Adæ in ordine ad peccandum in ipso, si post absolutè præuisum peccatum Adæ, non eligeretur in matrem Christi, & simul volens, illam non includere in voluntate Adæ, si, post absolutè præuisum peccatum Adæ, eligatur in matrem Christi: sed pactum illud, sic constitutum circa B. Mariam, est implicatorium: ergo &c.
Minor

Minor probatur. Pactum, conditionatè volens effectum sub aliqua conditione contingenti, qui vel non potest poni iam à parte rei, quando expectatur purificanda conditio, vel est necessariò extiturus antecedenter, & independenter à purificatione conditionis, est sine dubio implicatorium, ut innotescit ex ipsis terminis: sed pactum illud, quatenus volens, includere B. Mariam in voluntate Adæ ad peccandum sub conditione, si post absolutè præuisum peccatum Adæ non eligatur in matrem Christi, vult effectum, scilicet inclusionem dictam B. Mariæ in voluntate Adæ, quæ non potest poni à parte rei, quando expectatur purificanda conditio non electionis B. Mariæ in matrem Christi, & quatenus volens, non includere illam in voluntate Adæ, si, post absolutè præuisum peccatum Adæ, eligatur in matrem Christi, vult effectum, scilicet non inclusionem dictam B. Mariæ in voluntate Adæ, necessariò extituras antecedenter, & independenter à purificatione conditionis electionis B. Mariæ in matrem Christi: ergo pactum illud, sic constitutum circa B. Mariam, est implicatorium.

1195 Minor quoad primam partem patet ex dictis. Conditio illa non electionis B. Mariæ, expectatur purificanda post absolutè præuisum peccatum Adæ: sed post absolutè præuisum peccatum Adæ, iam non potest B. Maria includi in voluntate Adæ in ordine ad peccandum, ut supra ostensum est contra primum modum à nu. 1176: ergo inclusio B. Mariæ in voluntate Adæ in ordine ad peccandum, voluta per illud pactum, non potest poni à parte rei, quando expectatur purificanda conditio non electionis eius in matrem Christi. Quoad secundam partem constat etiam. Nam, cum, post absolutè præuisum peccatum Adæ, non possit iam B. Maria includi in voluntate Adæ in ordine ad peccandum, manet omnino necessariò exclusa a voluntate Adæ, ex suppositione solum peccati Adæ absolutè præuisi, independenter ab electione eius in matrem Christi, ita ut quamuis non eligeretur in matrem Christi, non possit iam includi in voluntate Adæ: ergo non inclusio B. Mariæ in voluntate Adæ in ordine ad peccandum, voluta per illud pactum sub conditione electionis eius in matrem Christi, post absolutè præuisum peccatum Adæ, est post tale
pecc

peccatum necessariò extitura, antecedenter, & independenter à purificatione dictæ conditionis electionis B. Mariæ in matrem Christi.

1196 Tertiò. Si Christus absolutè passibilis meruisset Deiparæ exclusionem à pacto, & volūtate Adæ in ordine ad peccandum, post absolutè præuisum peccatum Adæ, maximè merendo ipsi tunc electionem in matrem Christi: sed meritum huius electionis non infert meritum illius exclusionis: ergo &c. Minor probatur. Tum quia, vt meritum huius electionis inferret meritum illius exclusionis, opus esset, quòd exclusio illa Deiparæ à pacto, & voluntate Adæ esset consequens electionem in matrem Christi, post absolutè præuisum peccatum Adæ: sed exclusio illa à pacto, & voluntate Adæ non esset consequens tunc electionem in matrem Christi, imò illa existeret necessariò antecedenter, & independenter ab electione in matrem Christi, vt probatum est à nu. proximè præcedentibus: ergo meritum huius electionis non infert meritum illius exclusionis. Tum quia, si in Christo meritum electionis Deiparæ in matrem Christi inferret meritum exclusionis eius à pacto, & voluntate Adæ, atque adeò & immunitatem à peccato, & debito originali, cum Deipara ipsa meruerit sibi saltem de congruo electionem in matrem Christi, vt docent communiter Doctores, meruisset etiam sibi exclusionem dictam, & immunitatem à peccato, & debito originali: sed Deipara hoc non meruit, merendo electionem in matrem Christi: ergo nec Christus. Minor probatur. Actus, quibus Deipara de congruo meruit electionem ad tantam dignitatem matris Christi, fuerunt sine dubio actus eminentissimi, & valde laudabiliter meritorij, sicque oriri debuerunt à persona sancta, & libera à peccato, à qua vt sic dignificarentur illi actus: ergo illi actus supponebant in Deipara sanctitatem, & immunitatem à peccato tanquam principium dignificatiuum eorum: ergo non poterant mereri talem sanctificationem, & immunitatem à peccato; cum principium meriti non possit cadere sub merito, nec præmium possit ante meritum supponi iam datum, & existens.

1197 Hinc ad exemplum, adductum à Cardinali Lugo, patet

ex

ex dictis citata disp. 3. cap. 2. punct. 1. num. 460. incolas illius vrbs, post delictum rebellionis Petri conditoris eius, faturos ignobiles, manente solùm nobili Ioanne, precibus Pauli electo in Prætorem, non quidem quia incolæ moraliter deliquissent in Petro rebellante, Princeps enim non habet potestatem transferendi alienas voluntates in tertiam personam in ordine ad delinquendum, sed quia Princeps vult punire delictum conditoris vrbs in habitatoribus illius, eos reddendo ignobiles, & infames ob delictum illius, excepto solùm electo in Prætorem, quem non vult ignobilitate punire ob tale delictum; sicut sæpè punit delictum Patris in Filijs, hos reddendo infames ob delictum Patris, licet ipsi in Patre non deliquerint. Vnde voluntas conditionata Principis, volens Ioannis ignobilitatem, si post delictum Petri non eligatur in Prætorem, & eius nobilitatem, si eligatur in Prætorem, non vult effectum, qui vel non possit poni à parte rei, quando expectatur purificanda conditio, vel sit necessariò extituras, antecedenter, & independenter à purificatione conditionis, vt patet. Quod aliter contingit in nostro casu, vt liquet ex impugnatione secunda superiori nu. 1194. & 1195.

1198 Quartò Peñalosa in vindicijs Deiparæ disp. 9. cap. vnica colligit præseruationem Deiparæ à peccato, & debito originali ex meritis Christi absolutè passibilis ex his, quæ fusè docuerat disp. 4. 5. 6. & 7. scilicet, quòd licet peccatum comestionis Adæ fuerit causa meritoria transfusionis peccati, & debiti originalis in posteros, tamen non fuisse occasionem totalem, & completam eius, sed præter illud peccatum comestionis concurrisset ad talem transfusionem impoenitentiam, & excusationem Adæ tanquam conditionem, ex pacto, & lege Dei requisitam, non quidem vt peccaminosam, sed vt impeditiuam poenitentiae præcisè. Vnde asserit Primò, Deum constituisse Adamum caput morale omnium posterorum etiam Deiparæ, & tanquam caput morale eorum omnium commississe peccatum comestionis, sicque Deiparam fuisse inclusam in pacto, & constitutam in Adamo vt capite morali simul cum alijs posteris. Secundò, post peccatum comestionis Adæ absolutè præuisum, & ante præuisam impoenitentiam, & excu-

Bbbb

satio

sationem eius, ponit prædefinitum Christum absolutè passibilem, & mortalem, ex cuius meritis extraxit Deus Deiparam à pacto, & à periculo, in quo erat cum cæteris posteris, incurrendi peccatum, & debitum proximum originale, si sequeretur impoenitentia, & excusatio Adæ, quo eam exemit, & præservauit ab ipsis: sequuta verò postea impoenitentia, & excusatione Adæ, transfusum est in reliquos posteros peccatum, & debitum proximum originale, sola manente Deipara exempta, & præservata ab ipsis. Vnde infert etiam disp. 10. cap. 5. nu. 31. Deiparam non solum non incurrisse debitum proximum peccati originalis, sed neque dici posse, peccasse in Adamo cum cæteris posteris.

1199 Hunc discurrendi modum non impugno in præsentia, quia tota ferè doctrina eius fusissimè impugnata est iam disp. 3. cap. 5. punct. 1. & 2. à nu. 607. Videantur ibi dicta. Adde tamen, falsam videri illationem ultimam Peñalosa, etiam iuxta ipsius principia, scilicet Deiparam non peccasse in Adamo cum cæteris posteris, quando aliud ait, Adamum fuisse constitutum caput morale Deiparæ, & cæterorum posterorum, & tanquam eorum omnium caput commississe peccatum comestitionis. Etenim posteros in Adamo peccasse, iuxta doctrinam Peñalosa nihil aliud esse potest, quam Adamum peccasse tanquam caput morale eorum: sed iuxta doctrinam Peñalosa Adamus peccauit tanquam caput morale Deiparæ, sicut & cæterorum posterorum, quando comedit de fructu interdicto: ergo iuxta doctrinam Peñalosa dicendum est, Deiparam in Adamo peccasse, licet, quia extracta est à pacto, & à periculo suprascripto ante impoenitentiam, & excusationem Adæ, non incurrit debitum proximum originalis. Quod autem Adamus non fuerit postea impoenitens, nec se excusauerit tanquam caput morale Deiparæ, eo quod ea tunc esset iam extracta à pacto ex meritis Christi, solum arguit, eam non fuisse impoenitentem in Adamo, nec in eo se excusasse tanquam in capite morali, non verò, eam non peccasse in Adamo, comedente de fructu interdicto.

1200 Præmitto nonnullos alios discurrendi modos circa possibilitatem præseruationis Deiparæ à peccato originali, eiusque

eiusque debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis, quia parui, ne dicam nullius momenti, & quatuor illos præcipuos impugnasse, sufficiat: ex quibus apparet, quam difficulter declaretur à Doctoribus possibilitas præseruationis Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, quantumque in eo laborent.

1201

PUNCTIVM III.

Modus facilis constituendi possibilem præseruationem, & redemptionem Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolute passibilis.

1202 **O**mnès ferè modi discurrendi, hætenus excogitati, & examinati, idè tam difficulter declarent præseruationem Deiparæ à debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, quia omnes ferè eo tendunt, ut eximant eam ab inclusione in pacto, & voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius, ex meritis Christi absolutè passibilis, existimantes, non posse aliter esse immunem à debito proximo originali, quæ exemptio, ut vidimus, difficillimè sustineri potest possibilis ex dictis meritis Christi. Nos autem, qui putamus, non esse necessarium, eximere Deiparam ab inclusione in pacto, & voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius, ut constituatur immunis, & præservata à debito proximo peccati originalis, facillimè statuemus possibilem præseruationem eius ab hoc debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis.

1203 Ad quod reuocanda sunt in memoriam aliqua ex dictis disp. 4. cap. 1. vbi punct. 2. conclusion. 8. num. 714. diximus, debitum remotum peccati originalis esse peccatum Adæ ut ca-

Bbbb 2

pitis 2

pitis, & vt proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, præscisue à lege, & voluntate diuina transfundendi illud in posteros; quo pacto, vt notauimus ibidè punct. 1. supposition. 2. nu. 690. duo dicit, scilicet peccatum ipsum Adæ, & voluntatem diuinam, quæ constituerat in voluntate Adæ posterorum voluntates in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi: debitum verò proximum peccati originalis, præter dictum peccatum Adæ vt capitis, & vt proprium posterorum, ab ipsis moraliter commissum in illo, includere vterius legem, & voluntatem diuinam conditionatam transfusionis peccati in posteros, vt factam absolutam per positionem, & purificationem conditionis, quæ conditio respectu posterorum communiter fuit solùm peccatum Adæ vt capitis, quidquid sit respectu Deiparæ, de qua postea; Deus enim tali lege voluit, transfundi peccatum originale in posteros communiter, excepta Deipara, sub conditione solùm, si Adam vt caput eorum peccaret, & in eo ipsi. Hæc autem lex, & voluntas diuina transfusionis peccati in posteros, iuxta ibidem dicta punct. 1. supposition. 2. nu. 690. dicit quasi duplicem voluntatem diuinam efficacem; vnã non condonandi præseruatiue peccatum originale pro instanti generationis posterorum; & aliam non acceptandi pro illo vllam satisfactionem, quantumcunque aptam, & condignam, quæ voluntas est etiam aliqualis voluntas non condonandi illud præseruatiue, cum spontanea acceptatio diuina satisfactionis pro peccato sit aliqualis condonatio eius saltem virtute, & æquiualenter. Videantur hæc fusiùs locis citatis.

1204 Dixi etiam ibidem punct. 1. supposition. 3. nu. 693. voluntatem diuinam, constituentem voluntates posterorum in voluntate Adæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, esse distinctam, independentem, & separabilem ex se à lege, & voluntate diuina transfusionis peccati in posteros, nolente condonare illud præseruatiue pro instanti generationis eorum, imò & compossibilem ex se cum diuina condonatione præseruatina eius pro tali instanti: quòd tribus rationibus efficacibus demonstrauius loco citato, quæ ibidem videri poterunt.

1205 Ad

1205 Aduerte autem ante difficultatis resolutionem, præseruationem Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo, iuxta præsentem Dei ordinationem, non potuisse fieri, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis in primo suæ Conceptionis, & generationis instanti, & mediante ipsa; decebat enim, quòd tam singulare, & præclarum dicte præseruationis beneficium esset ex diuina ordinatione annexum gratiæ sanctificantis, eiusque infusionem comitaretur.

1206 His positis, Censeo primò. Ex meritis Christi absolutè passibilis non potuit Deipara præseruari à debito remoto peccati originalis. Probat. Debitum remotum peccati originalis est peccatum Adæ vt capitis, & vt proprium posterorum, ab ipsis in illo moraliter commissum, ratione voluntatis diuinæ, quæ constituerat in voluntate Adæ posterorum voluntates in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, vt dictum est supra nu. 1203. Vnde vt Deipara ex meritis Christi absolutè passibilis præseruaretur à debito remoto peccati originalis, deberet Christus absolutè passibilis mereri, quòd Deipara non concurreret moraliter ad peccatum Adæ: sed Christus absolutè passibilis non potuit mereri, quòd Deipara non concurreret moraliter ad peccatum Adæ: ergo Deipara non potuit ex meritis Christi absolutè passibilis præseruari à debito remoto peccati originalis. Minor probatur: Si Christus absolutè passibilis potuisset mereri, quòd Deipara non concurreret moraliter ad peccatum Adæ, id esset, merendo, vel quòd non constitueretur Deipara in voluntate Adæ simul cum alijs posteris, vel quòd Adam non peccaret, merendo ei auxilium efficax ad non peccandum; nam si semel ponatur Deipara, constituta in voluntate Adæ, & istum peccare, non potest iam ipsa non concurrere moraliter ad peccatum Adæ: sed Christus absolutè passibilis non potuit mereri, quòd Deipara non constitueretur in voluntate Adæ simul cum alijs posteris, nec quòd Adam non peccaret: ergo non potuit mereri, quòd Deipara non concurreret moraliter ad peccatum Adæ.

1207 Minor probatur. In signo, in quo Deus constituit posteros in voluntate Adæ, & iste peccauit, nondum erat Christus

1208

stus prædefinitus absolutè passibilis: ergo Christus absolutè passibilis postea prædefinitus, non potuit mereri, quòd Deipara non constitueretur in voluntate Adæ simul cum alijs posteris, nec quòd Adam non peccaret; hoc enim merendum erat in signo, in quo constituti sunt posteri in voluntate Adæ, & iste peccavit. Antecedens probatur. Christus prædefinitus est absolutè passibilis, post absolutè permissum, & præuisum peccatum Adæ ut capitis, & ut proprium posterorum, ut ostensum est supra cap. 1. 2. 3. & 4. punct. 5. conclusion. 3. nu. 1106. atque adeò post constitutos posteros in voluntate Adæ, & post peccatum istius: ergo in signo, in quo Deus constituit posteros in voluntate Adæ, & iste peccavit, nondum erat Christus prædefinitus absolutè passibilis.

1208 Nec dici potest, prædefinitionem Christi absolutè passibilis supponere quidem peccatum Adæ, absolutè permissum, & præuisum, non tamen supponere constitutionem posterorum in voluntate Adæ, sed eos constitutos fuisse in voluntate Adæ, post prædefinitam Christum absolutè passibilem, sicque potuisse ex meritis eius ut sic præservari Deiparam à constitutione in voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius, atque adeò & à debito remoto peccati originalis.

1209 Primò. Quia Authores huius solutionis nituntur falso fundamento: ideo namque asserunt, prædefinitionem Christi absolutè passibilis solùm præsupponere in priori à quo peccatum Adæ, absolutè permissum, & præuisum, & non constitutionem posterorum in voluntate Adæ, quia talis prædefinitio Christi solùm potest supponere in priori à quo id, quod est causa, vel occasio eius, causa autem, vel occasio prædefiniendi Christum absolutè passibilem, non fuit constitutio posterorum in voluntate Adæ, sed peccatum istius solùm: sed hoc fundamentum est falsum: ergo &c. Minor probatur. Nā, cum Christus fuerit prædefinitus absolutè passibilis in remedium peccati Adæ ut capitis, & ut à posteris moraliter commissi in illo, iuxta dicta cap. 4. punct. 5. conclusion. 3. nu. 1106. profectò causa, occasio, & motiuum prædefiniendi Christum absolutè passibilem, fuit sine dubio peccatum Adæ ut capitis, & ut à posteris moraliter commissum in illo: sed peccatum Adæ

Adæ ut capitis, & ut à posteris moraliter commissum in illo, inuoluit constitutionem posterorum in voluntate Adæ: ergo hæc constitutio posterorum in voluntate Adæ fuit etiam causa, & occasio prædefiniendi Christum absolutè passibilem.

1210 Secundò. Quia si peccatum Adæ supponebatur iam absolutè permissum, & præuisum absolutè futurum ante constitutionem posterorum in voluntate Adæ, iam non possent isti constitui in voluntate Adæ in ordine ad peccandum cum ipso, ut ostendimus punct. præcedent. contra primum modum discurrendi à nu. 1176: ergo peccatum Adæ non supponebatur absolutè futurum ante constitutionem posterorum in voluntate Adæ, sed hæc ante illud.

1211 Alia, si quæ responderi possent probationi nostræ conclusionis, impugnata sunt iam punct. 2. præcedente, cum modos, ibi recensitos, constituendi Deiparam, exemptam à peccato, & voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius ex meritis Christi absolutè passibilis, refutauimus.

1212 Dixi in conclusione, non potuisse Deiparam præservari à debito remoto peccati originalis ex meritis Christi absolutè passibilis: nam ex meritis Christi conditionatè passibilis, & præscindentis à passibilitate, & impassibilitate absoluta, potuisse à tali debito remoto præservari, dubitari non potest, ut notauimus iam punct. 1. nu. 1166. Vtrùm verò fuerit defacto ex his saltem Christi meritis præservata à tali debito remoto, constat iam ex disp. 4. cap. 4. à nu. 784. ubi ostendimus fuisse Deiparam non fuisse defacto præservatam à debito remoto peccati originalis, sed fuisse defacto cum cæteris posteris constitutam in voluntate Adæ, & cum ipsis peccasse in illo, ad eius peccatum moraliter concurrente.

1213 Censeo secundò. A debito proximo peccati originalis potuit præservari Deipara ex meritis Christi absolutè passibilis, quamuis admittatur, eam fuisse in voluntate Adæ constitutam cum cæteris posteris, & in ipso peccasse cum eis. Possibilitatem huiusmodi præseruationis Deiparæ sic declaro. Quamuis Deus æqualiter constituerit in voluntate Adæ Deiparam, & cæteros posteros, ipsaque, & cæteri posteri dicantur in eo peccasse, potuit nihilominus non eodem modo eam,

& ceteros posteros comprehendere in lege, & voluntate sua conditionata transfusionis peccati in instanti generationis eorum, si scilicet ponamus, legem, & voluntatem dictam conditionatam velle, transfundi peccatum in ceteros posteros, seu non condonari illud præseruatiuè, sub conditione solùm, si Adam peccaret, ita quòd talis lex, & voluntas, posita solùm conditione peccati Adæ, fieret absoluta, redderetque peccatum, in eos necessariò, & inuitabiliter transfundendum in instanti generationis: In Deiparā verò velle transfundi peccatum, seu non condonari illud præseruatiuè, non solùm sub conditione si Adam peccaret, sed etiam sub conditione, si Christus, decernendus absolutè passibilis post absolutè præuisum peccatum Adæ, non offerret sua merita pro impetranda gratia sanctificante, præueniente Deiparam in instanti suæ Conceptionis, eamque dictis meritis oblati re ipsa non impetraret, & cum effectu assequeretur, cuius infusioni in tali instanti ex diuina ordinatione annexa est præseruatiua condonatio peccati, vt vidimus nu. 1205. cum nolitione expressa, ne transfundatur peccatum, seu cum volitione expressa condonandi illud præseruatiuè pro tali instanti, casu quo Christus, sic decernendus, offerret sua merita pro dicta gratia sanctificante præueniente, Deiparæ impetranda pro tali instanti, eamque dictis meritis oblati re ipsa impetraret, & cum effectu assequeretur. Vnde lex, & voluntas illa diuina conditionata transfusionis peccati in Deiparam, non posset fieri absoluta, nec reddere peccatum, in eam necessariò, & inuitabiliter transfundendum in instanti generationis, atque adeò nec inducere debitum proximum contractionis eius, posita solùm conditione peccati Adæ, quousque Christus, prædefinitus postea absolutè passibilis, non offerret sua merita pro impetranda dicta gratia sanctificante pro instanti generationis Deiparæ, eamque dictis meritis oblati re ipsa non impetraret, & cum effectu assequeretur.

1214 Christus igitur absolutè passibilis, offerendo sua merita pro impetranda Deiparæ dicta gratia sanctificante pro instanti Conceptionis, eamque suis meritis oblati re ipsa impetrando, & assequendo cum effectu, potuit efficere, & mereri, quòd non

non fieret absoluta lex, & voluntas illa diuina conditionata transfusionis peccati in Deiparam, & quòd per illam non redderetur peccatum, necessariò, & inuitabiliter transfundendum in Deiparam in instanti Conceptionis, atque adeò quòd non induceret in ipsam debitum proximum contrahendi peccatum originale in tali instanti; quo pacto mereretur sine dubio præseruationem Deiparæ à transfusione huius debiti proximi, & consequenter etiam à contractione peccati originalis. Vnde ad hoc præstandum non sufficeret, Christum offerre sua merita pro impetranda Deiparæ dicta gratia sanctificante, nisi eam præfatis meritis oblati re ipsa à Deo impetraret, & cum effectu assequeretur, annuente Deo voluntati, & desiderio Christi, illamque conferente intuitu meritorum ab ipso oblatorum.

1215 Iuxta hunc tam facilem modum declarandi possibilitatem præseruationis Deiparæ à debito proximo peccati originalis ex meritis Christi absolutè passibilis, sic possunt ordinari signa decretorum. Ponamus primò, Deum constituere Adamum caput morale omnium posterorum, tunc iam absolutè futurorum determinatè quoad animas, & disiunctiuè, & indeterminate quoad corpora, & vniones, iuxta dicta cap. 4. punct. 2. conclus. 2. à nu. 1065. & ad hoc habere duplicem voluntatem: vnã absolutam, constituentem in voluntate Adæ voluntates omnium posterorum etiam Deiparæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi: & aliam conditionatam, tum volentem, transfundi iustitiam originalem in omnes posteros sub conditione solùm, si Adam non peccaret, absque vlla differentia inter Deiparam, & ceteros posteros; tum volentem, transfundi peccatum diuersimodè in Deiparam, & ceteros posteros, in hos scilicet sub conditione solùm, si Adam peccaret; in Deiparam verò non solùm sub conditione, si Adam peccaret, sed etiam sub conditione, si Christus, decernendus absolutè passibilis post absolutè præuisum peccatum Adæ, non offerret sua merita pro impetranda gratia sanctificante, præueniente Deiparam in instanti suæ Conceptionis, eamque suis meritis oblati re ipsa non impetraret, & assequeretur cum effectu, cum nolitione expressa, ne

transfundatur peccatum, seu cum volitione expressa condonandi illud præseruativè pro tali instanti, casu quo Christus, sic decernendus, offerret sua merita pro dicta gratia sanctificante præveniente, Deiparæ impetranda pro tali instanti, eamque suis meritis oblati re ipsa impetraret, & assequeretur cum effectu. Secundò, videre Deum peccatum Adæ ut capitis, moraliter in ipso commissum ab omnibus posteris etiam à Deiparæ, & necessariò, & inevitabiliter transfundendum in alios posteros præter Deiparam, eoque præviso, decernere Christum absolutè passibilem in remedium eius. Tertiò, Christum offerre sua merita pro impetranda gratia sanctificante, præveniente Deiparam in instanti suæ Conceptionis, eamque suis meritis oblati re ipsa impetrare, & assequi cum effectu, annuente Deo voluntati, & desiderio Christi, illamque conferente intuitu meritorum ab ipso oblatorum, sicque peccatum præseruativè condonante: quo non potuit iam transire in absolutam voluntas diuina conditionata transfusionis peccati in Deiparam, nec esse peccatum, necessariò, & inevitabiliter transfundendum in ipsam in instanti suæ Conceptionis, & consequenter nec esse in ea debitum proximum contrahendi illud, hæc omnia merente Christo absolutè passibili suis meritis oblati, ut supra.

1216 Hunc discurrendi modum esse præ alijs admittendum in confirmationem nostræ conclusionis, sic probo efficaciter. In hoc discurrendi modo nulla assignari potest implicantiæ, & contradictio, & aliundè eo optimè, & facillimè declaratur possibilis præseruatio Deiparæ à debito proximo peccati originalis ex meritis Christi absolutè passibilis: ergo hic modus discurrendi est præ omnibus alijs admittendus ad confirmandam veritatem nostræ conclusionis. Prima antecedentis pars patet. Tum quia contra hunc modum discurrendi non militant inconuenientiæ, contra alios modos discurrendi ponderata punct. 2. à nu. 1174. ut perpendenti constabit. Tum quia contra ipsum nulla fieri potest obiectio alicuius momenti: si quæ enim obiectio fieri possent, maximè vel contra modum constituendi debitum proximum peccati originalis, de quo fusè diximus iam disp. 4. cap. 1. præsertim punct. 2. conclu-

clusion. 8. à n. 714. vel contra constitutionem Deiparæ in voluntate Adæ, & concursum moralem eius ad peccatum in ipso, quod fusè tractatum, & resolutum est iam disp. 4. cap. 4. à num. 784.

1217 Secunda antecedentis pars probatur. Debitum proximum peccati originalis est necessitas transfusionis, & contractionis inevitabilis eius in instanti Conceptionis: sed iuxta hunc modum Christus absolutè passibilis suis meritis, oblati pro impetranda Deiparæ gratia sanctificante pro instanti Conceptionis, eamque re ipsa impetrans, & assequens cum effectu, mereretur, ne peccatum esset necessariò, & inevitabiliter transfundendum in Deiparam in instanti Conceptionis: ergo & mereretur, ne Deipara incurreret debitum proximum peccati originalis in instanti Conceptionis, atque adeò iuxta hunc modum optimè intelligitur possibilis præseruatio Deiparæ à debito proximo peccati originalis ex meritis Christi absolutè passibilis. Minor probatur. Peccatum non potest esse necessariò, & inevitabiliter transfundendum in instanti Conceptionis posterius, nisi ratione voluntatis diuinæ conditionatæ transfusionis eius, factæ iam absolutæ per positionem conditionis, sub qua ultimè volebat, illud transfundi: sed iuxta hunc modum Christus absolutè passibilis dictis meritis oblati mereretur, ne fieret absoluta voluntas diuinæ conditionatæ transfusionis peccati in Deiparam, merendo, ne poneretur conditio, sub qua ultimè volebat, illud transfundi in instanti Conceptionis eius: ergo & mereretur, ne peccatum esset necessariò, & inevitabiliter transfundendum in Deiparam in instanti Conceptionis. Minor probatur. Iuxta hunc modum voluntas diuinæ conditionatæ transfusionis peccati in Deiparam, ultimè volebat, transfundi peccatum in Deiparam pro instanti Conceptionis sub conditione illa ultima, si Christus, decernendus absolutè passibilis, suis meritis oblati re ipsa non impetraret, & assequeretur cum effectu Deiparæ gratiam sanctificantem pro instanti Conceptionis, sicque solùm poterat fieri absoluta per positionem caritative assequutionis actualis dictæ gratiæ sanctificantis pro instanti Conceptionis Deiparæ: sed Christus absolutè passibilis dictis meritis oblati

mereretur, ne poneretur præfata carentia talis assequutionis dictæ gratiæ sanctificantis, merendo, assequutionem dictæ gratiæ sanctificantis, per quã formaliter impediretur positio præfate carentiæ eius: ergo & mereretur, ne fieret absoluta voluntas diuina conditionata transfusionis peccati in Deiparam, merendo, ne poneretur conditio, sub qua vltimatè volebat, illud transfundi in instanti Conceptionis eius.

1218 Modus hic discurrendi procedit iuxta præsentem Dei ordinationem, secundùm quam præseruatio Deiparæ à peccato, & debito proximo originali annexa est infusioni gratiæ sanctificantis in instanti Conceptionis eius: si autem vniuersalius discurrendum esset etiam pro casu, quo præseruatio dicta Deiparæ fieret sine infusione gratiæ sanctificantis per extrinsecam Dei condonationem, sic posset declarari possibilis præseruatio dicta Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis.

1219 Si dicamus, Primò, quòd, constituto Adamo capite morali omnium posterorum, & constitutis in voluntate eius voluntatibus omnium posterorum etiam Deiparæ in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, habuit Deus voluntatem conditionatam, tum volentem, transfundi iustitiam originalem in omnes posteros sub conditione solùm, si Adam non peccaret, absque vlla differentia inter Deiparam, & cæteros posteros: tum volentem, transfundi peccatum diuersimodè in Deiparam, & cæteros posteros; in hos scilicèt sub conditione solùm, si Adam peccaret; in Deiparam verò non solùm sub conditione, si Adam peccaret, sed etiam sub conditione, si Christus, decernendus absolutè passibilis post absolutè præuisum peccatum Adæ, non offerret sua merita pro impedienda transfusione eius pro instanti Conceptionis Deiparæ, seu pro impetranda præseruatiua condonatione ipsius pro tali instanti, cum nolitione expressa, ne transfundatur, seu cum volitione expressa condonandi illud præseruatiuè pro tali instanti, casu quo Christus, sic decernendus, offerret sua merita pro dicto beneficio Deiparæ impetrando, petito prius, & obtento à Patre eterno auxilio efficaci ad faciendam oblationem eorum: Vnde voluntas diuina conditionata transf-

transfusionis peccati in Deiparam, non posset fieri absoluta, nec reddere peccatum, necessariò, & ineuitabiliter transfundendum in instanti Conceptionis eius, atque adeò nec inducere debitum proximum contrahendi illud, posita solùm conditione peccati Adæ, quousque Christus, prædefinitus absolutè passibilis, nollet offerre sua merita pro impedienda transfusione peccati pro instanti Conceptionis Deiparæ, seu pro impetranda præseruatiua condonatione ipsius pro tali instanti. Secundò, videre Deum peccatum Adæ vt capitis, moraliter in ipso commissum ab omnibus posteris, etiam à Deipara, & necessariò, & ineuitabiliter transfundendum in posteros præter Deiparam, eoque viso, decernere Christum absolutè passibilem in remedium eius. Tertio, Christum offerre sua merita pro impedienda transfusione peccati in Deiparam in instanti Conceptionis eius, seu pro impetranda præseruatiua condonatione ipsius pro tali instanti, petito prius, & obtento à Patre eterno auxilio efficaci ad faciendam oblationem eorum: quo non potuit iam transire in absolutam voluntas diuina conditionata transfusionis peccati in Deiparam, nec reddere peccatum, in eam necessariò, & ineuitabiliter transfundendum in instanti Conceptionis illius, atque adeò nec inducere debitum proximum contrahendi ipsum pro tali instanti; hoc enim complendum erat per carentiam dictæ oblationis meritorum Christi, cuius carentiæ existentia, & positio impediretur, & excluderetur formaliter per dictam oblationem meritorum Christi. Quarto, Deum ob merita, à Christo absolutè passibili sic oblata, condonare præseruatiuè peccatum pro instanti Conceptionis Deiparæ.

1220 Christus igitur, oratione feruentissima petens à Patre eterno auxilium efficax ad offerenda sua merita pro impetranda Deiparæ præseruatiua condonatione peccati, ab ipsa in Adamo moraliter commisi, hac meritoria oratione, & petitione potuit mereri auxilium efficax ad dictam oblationem meritorum, & hanc ipsam eorum oblationem etiam, quo sine dubio mereretur, ne poneretur carentia dictæ oblationis meritorum, & consequenter quòd non esset debitum proximum peccati, vtpote quod per talem carentiam complendum erat, &

& tandem suis meritis oblati mereretur, condonari à Deo præservatiuè peccatam pro instanti Conceptionis Deiparæ. Unde iuxta hunc secundum discurrendi modum tam præservatio à peccato, quam præservatio à debito proximo eius pro instanti Conceptionis Deiparæ, esset ex meritis Christi absolutè passibilis, illa quidem ex meritis oblati pro ea impetranda, & ista ex merito illius orationis, & petitionis auxiliij efficacis ad illa offerenda.

1221 Hic secundus discurrendi modus nulla indiget probatione, eius namque veritas ex ipsius solùm declaratione constat sufficienter, præterquam quòd probari posset eodem modo, quo probatus est supra nu. 1216. & 1217. primus discurrendi modus. Vbi aduerte, secundum hunc discurrendi modum deferuire etiam posse ad declarandam possibilem præservationem Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, etiam factam per infusionem gratiæ sanctificantis in primo instanti suæ Conceptionis, iuxta præsentem Dei ordinationem, vt perpendenti constabit.

1222

PVNCIVM IV.

Resolvitur difficultas emergens pro complemento nostra sententia.

1223 **E**X dictis oritur difficultas, an iuxta præfatos discurrendi modos esset Deipara propriè, & strictè redempta à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis. Negabunt sine dubio, tum omnes Doctores, asserentes, Deiparam fuisse in peccato originali conceptam, existimantes, quòd non posset dici propriè, & strictè redempta ex meritis Christi absolutè passibilis; tum etiam omnes Doctores, sentientes, Deiparam fuisse præservatam à peccato originali, & non à debito proximo eius, quos retuli punct. 1. pro secunda opinione nu. 1169. existimantes, non posse esse propriè, & strictè redemptam à peccato originali ex meritis Christi

sti

si absolutè passibilis, nisi dicatur incurrisse debitum proximum eius.

1224 Affirmabunt verò Doctores, relati citato punct. 1. nu. 1170. constituentes Deiparam præservatam à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, contendentes, ad propriam, & strictam Redemptionem non requiri, quòd persona liberetur à peccato, vel debito iam contracto, sed sufficere, quòd præservetur à contractione eius. Ad quod distinguunt cum Bernardo serm. 22. in Cantic. duplicem redemptionem: vnã liberatiuam, seu reparatiuam, qua persona liberatur à peccato, vel debito iam contracto, vel quoad efficaciam, dato auxilio, vel medio efficaci, quo in re ponitur liberatio, vel quoad sufficientiam, dato auxilio, vel medio sufficiente ad talem liberationem, quamvis in re non sequatur liberatio: & aliam præservatiuam, qua persona præservatur à contractione peccati, vel debiti, vel quoad efficaciam, providendo ei auxilium, aut medium efficax, quo in re non contrahitur illud, vel quoad sufficientiam, providendo ei auxilium, aut medium sufficiens, vt persona non contrahat illud, quamvis in re non sequatur præservatio.

1225 Sed non conveniunt Doctores affirmantes in declaranda redemptione præservatiua à peccato, & debito proximo originali. Nam aliqui eorum quamlibet præservationem à peccato, eiusve debito proximo, quod incurrit potest persona, appellant redemptionem præservatiuam, quamvis nullum præcedat debitum eius adhuc remotum. Maior verò, & sanior pars eorum putat, præter possibilitatem incurrendi, debere præcedere aliquod debitum peccati saltem remotum, vt præservatio ab illo, eiusve debito proximo censeatur propriè, & strictè redemptio. Iuxta quam doctrinam duplex distingui potest redemptio præservatiua: vna impropria, & lata, præservans personam à peccato, vel debito proximo eius, nullo præcedente illius debito adhuc remoto, sed sola possibilitate incurrendi illud: & alia propria, & stricta, præservans personam à peccato, vel debito proximo eius, quando præter possibilitatem incurrendi, præcedit aliquod debitum peccati saltem remotum, exigens, quantum est ex se, quòd ponatur peccato.

ca.

catum à parte rei, exigendo, quòd non condonet illud Deus præseruatiuè, aut impediatur eius contractionem, nec provideat medium efficac, aut sufficiens ad illud impediendum; quam exigentiam agnoscunt communiter Doctores in peccato Ade vt capitis, & vt moraliter commissio à posteris in illo, tam in ordine ad contractionem peccati originalis, quàm in ordine ad commissionem peccatorum personalium.

1226 Doctrina hæc Doctorum affirmantium, duo præsertim continet, examine, & declaratione digna, ex quorum notitia, & intelligentia pendet resolutio præcipui puncti difficultatis; primum est, an ad propriam, & strictam redemptionem à peccato, aut debito proximo eius, requiratur, quòd persona liberetur ab eo iam contracto, vel sufficiat, quòd præseruetur à contractione eius; secundum est, an vt præseruatio à peccato, eiusve debito proximo sit propriè, & strictè redemptio præseruatiua, sufficiat possibilitas incurrendi illud, vel prærequiratur etiam debitum aliquod eius saltem remotum. Et ideo hæc duo declaranda sunt ad perfectam difficultatis resolutionem.

1227 Censeo igitur primò. Ad propriam, & strictam redemptionem à peccato, aut debito proximo eius, non requiritur, quòd persona liberetur ab eo iam contracto, sed sufficit, quòd præseruetur antecederet à contractione eius, modo postea explicando; atque adeò præter redemptionem liberatiuam admittendum est etiam illud aliud genus redemptionis præseruatiuæ, sicut Medici præter medicinam curatiuam agnoscunt aliam præseruatiuam à morbo imminente. Probatum primò. Quia Doctores communiter admittunt hoc genus redemptionis præseruatiuæ à peccato: omnes enim Doctores, constituentes Deiparam à peccato originali præseruatam, qui sine dubio sunt maior pars Doctorum, constanter asserunt, eam fuisse à Christo propriè, & strictè redemptam; quod non potest esse verum nisi de redemptione præseruatiua: nomen autem redemptionis accipi debet secundum communem, & receptam illius acceptionem, non enim licet cuiilibet nouas nominum acceptiones, & significationes confingere. Adde, Doctores adhuc, negantes, præseruatam Deiparam à peccato originali,

non

non posse negare, eam fuisse à Christo præseruatiuè redemptam à commissione omnis peccati actualis tam mortalis, quàm venialis.

1228 Probatum secundò. In Scriptura Sacra præsertim in Psalmis nomen redemptionis accipitur frequenter pro redemptione, & liberatione præseruatiua à malo imminente: ergo admittenda est redemptio præseruatiua etiam. Antecedens probatur. Psal. 43. dicitur, *exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum*, scilicet à gladio imminente. Psal. 48. *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me*, id est, cum ex hac vita mortali me susceperit, & sustulerit, redimet me ab inferno, & pœnis eius æternis, scilicet præseruatiuè, non sinendo, me descendere in infernum, & sustinere pœnas eius æternas. Psal. 54. *redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquāt mihi*, id est, præseruatiuè tuebitur me à morte, & damnis, quæ mihi intentant inimici, & persequentes, dando mihi pacem, & securitatem ab eis. Psal. 70. *exultabunt labia mea, cum cantauero tibi, & anima mea, quam redemisti*, scilicet, præseruatiuè ab inimicis persequentibus, & à malis mihi imminuentibus ex odio eorum. Psal. 102. *qui redimit de interitu vitam tuam*, scilicet, præseruatiuè vendicando te ab interitu, & morte imminente. Psal. 105. *redemit eos de manu inimici*, id est, liberauit Israelitas præseruatiuè ab exercitu Pharaonis, & à morte, aut iterata captiuitate, eis imminente in mari rubro. Psal. 143. *redemisti David seruum tuum de gladio maligno*, eum præseruatiuè liberando, ne incideret in gladium inimicorum, eoque periret. Et alibi passim.

1229 Probatum tertio. Quia Patres similiter accipiunt nomen redemptionis, seu liberationis, scilicet pro præseruatiua, præsertim Augustinus ad illa verba, Psal. 85. *eruisi animam meam ex inferno inferiori*, inquit, *Quidam, orans in voce Christi, eruisse Deum animam ab inferno inferiori, dixit, quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni, quemadmodum si Medicus videat tibi imminuentem ægri tudinem, & dicat, parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere, nam, si non feceris, egrotabis, si autem feceris, saluus eris; recte dicit Medico, liberaisti me ab ægri tudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras.* Nescio

Dddd

quis

quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens, quid diceret? eruiſti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, debitum solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, ut, nisi subuentum esset, ibi essent, inde se recte dicunt liberari. Eandem doctrinam habet Augustinus alijs in locis apud Salazar de Concept. cap. 24. S. Bonaventura serm. 2. de B. Virgine Maria, *Credendum est, quod nouo sanctificationis genere in eius Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam a peccato originali, non quod fuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præseruauit; ubi nomine redemptionis expressè intelligit præservationem à peccato originali.* Dionysius de diuinis nominibus cap. 8. *Idcirco illam redemptionem etiam Theologi appellant, ex eo quod non fuit, quæ uera sunt, ad id cadere, ut non sint.*

1230 Probatur quartò, ex l. *decem de verbor. significat. & ex l. Non utique ff. de exception. ubi asseritur, quòd miles ab alio milite liberatus, ne in hostium potestatem veniret, censetur uerè liberatus, seu redemptus à seruitute, ut refert excellentissimus, & doctissimus D. Don Ludouicus Crespì à Borgia in suo propugnaculo Theologico disp. 2. art. 6. subart. 1. num. 271. & ideo dixit Caietanus, etiamsi originalis puritatis Marianæ aduersarius, l. 2. q. 81. art. 3. apud dictum Crespì citatum nu. 267. *Neque enim solum redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati.**

1231 Probatur quintò. Deipara fuit à Christo propriè, & strictè redempta, scilicet præseruatiuè, à peccatis actualibus tam mortalibus, quàm uenialibus, quæ tamen nunquam antea contraxerat: aliqui etiam sancti, qui nunquam mortaliter peccarunt, fuerunt à Christo propriè, & strictè redempti, scilicet præseruatiuè, à peccatis mortalibus, quæ antea non contraxerant: ergo ad propriam, & strictam redemptionem à peccato non requiritur, quòd persona liberetur ab eo, iam antea contracto, sed sufficit, quòd præseruatur antecedenter à contractione eius.

1232 Probatur sextò. Redimere propriè, & strictè, est pretio emere: pretio autem emi potest non solum extractio personæ à ser-

à seruitute, aut alio malo iam contracto, sed etiam, quòd ea non inducatur in seruitutem, aut ei non inferatur malum imminens, aliàs incurrendum, si, pretio dato, non impediretur contractio eius, & ideo hic modus impediendi pretio seruitutem, aut malum, aliàs futurum, meretur nomen propriæ, & strictæ redemptionis. Sic qui domino alicuius ancillæ, prægnantis ante foetus animationem offerret pretium, ne faceret seruum filium, ex ea gignendum, & nasciturum, uerè diceretur, pretio emere præservationem filij à seruitute, aliàs futuræ, eumque à seruitute, aliàs futura, propriè redimere. Item si, existente Petro in terra inimicorum, omnino exarinato, & ab eis undique obseſſo, quis, pretio dato, ab hostibus impetraret, ne illum in captiuitatem, & seruitute nre ligerent, uerè censeretur, pretio emisse liberationem præseruatiuam eius à captiuitate, & seruitute, aliàs futura, eumque ab ipsa propriè redemisse antecedenter. Si quis etiam det hostibus copiam pecuniæ, ne urbs, ab ipsas obseſſa, & oppressa, detur militibus in prædam, sine dubio emeret præservationem urbis à præda, aliàs futura, eamque à deprædatione strictè redimeret. Rursus si quis det pecuniam pro persona, condemnata ad mortem, aut exilium, ne sententia executioni mādetur, sicque executionem eius impediatur, uerè dicitur, emisse suspensionem executionis sententiæ, aliàs futuræ, & personam à morte, aut exilio uerè redemisse: idemque posset innumeris alijs exemplis comprobari: ergo præseruatio à malo, aliàs incurrendo, est propriè, & strictè redemptio.

1233 Nec refert, Augustinum, pro nostra doctrina citatum, prærequirere captiuitatem contractam, sic enim loquitur to. 2. epist. 156. *Nec redemptus dici potest, nisi qui uere per peccatum fuerit ante captiuus.* Idem habet lib. de natura, & gratia cap. 67. & concion. 2. in Psal. 70. & alibi. Idemque cum eo asserunt plures alijs Patres. Nam Augustinus ibi, & Patres, id asserentes, uel locuntur de redemptione communi reparatiua, ad quam prærequiritur captiuitas, formaliter contracta in actu exercito, non autem de redemptione speciali præseruatiua, ad quam sufficit captiuitas radicalis, & in debito saltem remoto, aliàs formaliter futura, si non impediretur: uel loquuntur de

captiuitate, non formali in actu exercito, sed præcisinè à captiuitate formali in actu exercito, & à captiuitate radicali, & in debito; ad omnem namque redemptionem prærequiritur aliqua captiuitas, siue formali in actu exercito, siue radicali in debito saltem remoto incurrendi illam, illa quidem ad redemptionem reparatiuam, hæc verò ad præseruatiuam, vt statim dico.

1234 Censeo secundò. Vt præseruatio à peccato, eiusve debito proximo sit propriè, & strictè redemptio præseruatiua, non sufficit possibilitas incurrendi illud, sed prærequiritur etiam debitum aliquod eius saltem remotum, exigens, quantum est ex se, poni peccatum à parte rei, exigendo, quòd non condonet illud Deus præseruatiuè, aut impediatur contractio eius, nec provideat medium ad illud impediendum, ita vt ex vi eius sit proculdubio contrahendum peccatum, nisi speciali priuilegio præseruetur persona ab eius contractione. Et ex hoc differt redemptio præseruatiua propria, & stricta à redemptione præseruatiua impropria, & lata, quæ præseruat à peccato, vel debito proximo eius, nullo præcedente illius debito adhuc remoto, sed sola possibilitate incurrendi illud. Hæc est communior sententia inter Doctores citatos punct. 1. pro secunda, & tertia opinione nu. 1169. & 1170. Probatur primò. Quia hæc est communis, & recepta acceptio nominis redemptionis præseruatiuæ inter Doctores Theologos, cui standum est sine dubio, ne cui libet sit libera facultas nouas nominum significationes confingendi.

1235 Probatur secundò. Augustinus nu. 1229. citatus ad illa verba psal. 85. in exemplis, quæ ibi adducit pro liberatione præseruatiua, non solùm possibilitatem, sed debitum etiam aliquod incurrendi mala illa aegritudinis, incarcerationis, & suspendij requirit, vt eius verba perpendenti constabit: ergo &c. Similiter Augustinus, & Patres, vt vidimus supra num. 1233. ad omnem redemptionem exigunt captiuitatem peccati præcedentem, & ideo dicebat Augustinus concion. 2. in psal. 70. *Ipsa redemptio clamat captiuitatem nostram, unde enim redempti, si non antea captiui?* ergo ad redemptionem etiam præseruatiuam, propriè, & strictè talem, aliqua captiuitas peccati

præ-

præcedens necessaria erit, non quidem formali in actu exercito, qualis requiritur ad redemptionem reparatiuam, sed radicali in debito eius saltem remoto, quæque futura esset, nisi per præseruationem ab ea liberaretur persona, sic enim vera erit vniuersaliter doctrina illa Augustini, & Patrum.

1236 Probatur tertio. Verbum *redimere* iuxta communio-rem acceptionem, non solùm pretio emere, sed iterum emere, significat: ergo vt quis dicatur, propriè, & strictè redimi à peccato, necesse est, quòd fuerit prius Diabolo venditus aliquo modo, siue formaliter in actu exercito, siue radicaliter remotè in debito saltem remoto.

1237 Probatur quarto. Per redemptionem præseruatiuam à peccato, propriè, & strictè talem, dicitur persona præseruari à peccato, non quòd iam sit actualiter, sed quòd futurum esset infallibiliter, nisi persona ab eo anticipatè præseruaretur per Christi merita: sed peccatum esse infallibiliter futurum, nisi persona ab eo anticipatè præseruaretur per Christi merita, non potest aliunde oriri, nisi ex debito aliquo eius saltem remoto, antecedenter existente, exigente, quantum est ex se, illius existentiam, & positionem à parte rei: ergo ad redemptionem præseruatiuam à peccato, propriè, & strictè talem, requiritur aliquod debitum eius saltem remotum.

1238 Probatur quinto. Si sola possibilitas incidendi in peccatum absque vllò debito adhuc remoto incurrendi illud, sufficeret ad redemptionem præseruatiuam, propriè, & strictè talem, sequerentur aliqua absurda: ergo &c. Antecedens probatur. Nam inde sequeretur primò, Angelos bonos fuisse propriè, & strictè redemptos præseruatiuè quoad efficaciam, idque iuxta nostram sententiam ex meritis Christi, præcisinè à possibilitate, & impassibilitate absoluta, eò quòd fuerint auxilio efficaci præseruati à peccato, quòd committere potuerunt; imò & Angelos malos fuisse propriè, & strictè redemptos præseruatiuè quoad sufficientiam, eò quòd haberint auxilium sufficiens ad non peccandum; quam sequelam licet admittat Salazar circa Angelos bonos, non tam ratione ductus, quàm argumento, conuictus, meritò absurda reputatur à Suares, & ab omnibus ferè Doctoribus. Quòd si Ber-

nar-

nardus serm. 22. in Cantic. citatus à Salazar de Conception. cap. 24. num. 138. insinuare videatur, bonos Angelos fuisse à Christo redemptos: loquitur de redemptione præseruatiua impropria, & lata, non de propria, & stricta. Sequeretur secundò, quòd si primi Parentes fuissent præuenti auxilio efficaci ad non peccandum, eoque non peccassent defacto, essent propriè, & strictè redempti præseruatiuè quoad efficaciam saltem ex meritis Christi, præscindentis à passibilitate, & impassibilitate: inò & defacto essent propriè, & strictè redempti præseruatiuè quoad sufficientiam, quatenus defacto habuerunt auxilium sufficiens ad non peccandum; quod est inauditum in Theologia, & absurdum iudicat Suares de peccat. disp. 9. sect. 4. nu. 20. Item sequeretur tertio, humanitatem Christi, per vnionem hypostaticam defacto præseruatam ab omni peccato, originali, & actuali, in quæ aliàs incidere poterat ex se, si non haberet vnionem hypostaticam, fuisse propriè, & strictè redemptam præseruatiuè; quod est absurdum, ptas enim aures offendit, aut lire, fuisse propriè, & strictè redemptam humanitatem, quæ, vt vnita Verbo diuino hypostaticè, fuit causa redemptionis omnium.

1239 Hinc sic arguo. In dictis casibus huiusmodi præseruationes Angelorum, primorum Parentum, & humanitatis Christi à peccato, non sunt propriè, & strictè redemptiones præseruatiuæ; idque non ob aliam rationem, nisi quia nullum præsupponitur debitum adhuc remotum eius, sed mera possibilitas incidendi in illud: ergo ad propriam, & strictam redemptionem præseruatiuam, præter possibilitatem incidendi in peccatum, prærequiritur etiam debitum aliquod eius saltem remotum.

1240 Dices primò, præseruationem humanitatis Christi à peccatis non fuisse propriam, & strictam redemptionem præseruatiuam, non quidem ob defectum debiti præexistentis, sed quia nullum fuit oblatum pretium pro ea. Contra primò. Hæc solutio non habet locum in præseruatione saltem suprascripta Angelorum, & primorum Parentum, pro qua fuisset oblatum pretium meritorum Christi, præscindentis à passibilitate, & impassibilitate. Contra secundò. Quamuis nomen redemptio-

tionis tam præseruatiuæ, quàm reparatiuæ, iuxta primæuam significationem, requirat oblationem pretij, tamen postea hoc nomen extensum est ad significandam quamlibet liberationem à malo, seu captiuitate contracta, vel aliàs contrahenda, siue cum pretio, siue sine pretio factam; sic qui Petrum à captiuitate contracta, vel contrahenda, vi, minis, seu precibus erueret, verè diceretur, eum propriè, & strictè à captiuitate redemisse: ergo similiter præseruatio humanitatis Christi à peccatis, etià si sine oblato pretio facta, posset dici propriè, & strictè redemptio præseruatiua, si ad hanc nullum prærequiratur debitum.

1241 Dices secundò, ad redemptionem præseruatiuam, propriè, & strictè talem, non prærequiri debitum adhuc remotum peccati, sed vel debitum, vel periculum maximum incidendi in illud. Contra. Si periculum maximum incidendi in peccatum sine debito eius sufficeret ad redemptionem præseruatiuam, propriè, & strictè talem, Angeli boni, qui fuerunt in maximo periculo incidendi in peccatum, in quod inciderunt Angeli mali, essent propriè, & strictè redempti præseruatiuè à peccato, quòd est absurdum, vt diximus: ergo &c. Nec dici potest, periculum illud Angelorum bonorum fuisse debitum aliquod peccati: Nam licet periculum illud Angelorum bonorum inclinaret vehementer ad peccatum, tamen non exigebat, quòd Deus non impediret peccatum, nec quòd Deus non prouideret media, & auxilia ad impediendum illud: ergo tale periculum non erat debitum peccati adhuc remotum.

1242 Dices tertio, præseruationem posterorum à multis peccatis, quæ defacto, præuenti gratia Christi, non committunt, cum possent, esse propriè, & strictè redemptionem præseruatiuam, cum tamen nullum præcesserit debitum labendi in illa. Contra. Quia falsum est, non præcessisse debitum aliquod remotum labendi in dicta peccata: Nam per peccatum originale, moraliter ab eis in Adamo commissum, incurrerunt debitum aliquod saltem remotum carendi auxilijs ad illa peccata vitanda, atque adeò & debitum incidendi in illa, exigens ex se, quòd Deus nulla ipsis ad id auxilia, & media prouideret, licet ea defacto misericorditer exhibeat contra dictam exigentiam peccati originalis: ergo redemptio præseruatiua ab

illis

illis non est absque debito saltem remoto incidendi in illa, antecedenter existente.

1243 His positis, pro difficultatis resolutione Censeo tertio. Iuxta supradictos discurrendi modos puncti præcedētis, Deipara esset propriè, & strictè redempta præseruatiuè à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis. Probat. Iuxta supradictos discurrendi modos Deipara esset præseruata à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, præcedente debito remoto peccati: ergo esset propriè, & strictè redempta præseruatiuè ab illis ex meritis Christi absolutè passibilis. Antecedens patet. Iuxta supradictos discurrendi modos Deipara esset præseruata à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, præcedente peccato Adæ vt capitis etiam Deiparæ, ab ipsa moraliter commisso in illo simul cum cæteris posteris: at peccatum Adæ vt capitis Deiparæ, ab ipsa moraliter commissum in illo, est debitum remotum peccati originalis, vt dictum est supra punct. 3. nu. 1203. quod quidem exigebat, quantum est ex se, transfusionem peccati originalis in Deiparam, exigendo, quòd non condonaret illud Deus præseruatiuè, aut impediret contractionem eius pro instanti Conceptionis, nec prouideret medium ad illud impediendum, ita vt ex vi eius esset quodammodo necessariò contrahendum à Deipara peccatum, & debitum proximum originale, nisi speciali priuilegio esset præseruata ab eius cōtractione: ergo esset præseruata à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis, præcedente debito remoto illius.

1244

PUNCTUM V.

In quo signo constitui posset redemptio præseruatiua Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis.

1245 **H**æc difficultas non aliter poterit meliùs, & faciliùs expediri, quàm proponendo totam seriem decretorum

rum Dei, & signa omnia, in quibus singula decreta constituenda sunt.

1246 In primo igitur signo decreuit Deus Christum, & propter ipsum caelos, elementa, Angelos, homines, omnesque alias creaturas, à libertate creata independētes, iuxta dicta c. 4. punct. 2. à n. 1060. Ex hominibus primos parētes decreuit determinatè quoad animas, corpora, & vniones simul; posteros verò determinatè quoad animas, & disiunctiuè, & indeterminatè quoad corpora, & vniones, à se postea determinanda, positus nonnullis conditionibus, aut circumstantijs, iuxta dicta citato cap. 4. punct. 2. conclus. 2. à nu. 1064. Christum decreuit in hoc signo propter motiua, supra recensita citato cap. 4. punct. 3. tum propter excellentiam mysterij Incarnationis, vt diximus ibidem conclus. 1. à nu. 1072: tum propter dignitatem finis rerum omnium, modo ibidem declarato conclus. 2. à nu. 1073: tum propter dignitatem capitis omnis Ecclesie, ex Angelis, & hominibus constitutæ, vt in omnes illos meritoriè influeret gratias, & dona, conducentia ad salutem, & beatitudinem, dandam ipsis, prout placeret postea Christo, inspirato per inspirationem, à se postea determinandam, & immittendam, iuxta dicta citato punct. 3. supposito 2. nu. 1071. & conclus. 3. à nu. 1077. vnde hoc decretum Christi vt capitis omnis Ecclesie voluit Christum, & aliqua merita eius communia simul cum auxilijs gratiæ ad ipsa, volendo efficaciter Christum, & auxilia, & inefficaciter merita, voluitque ipsa, non ex speciali affectu salutis, & gloriæ Prædestinatorum, sed ex affectu salutis, & gloriæ generali, & æquali ad omnes homines, & Angelos, ac proinde Christus cum his meritis communibus non est effectus Prædestinationis hominum, & Angelorum, sed causa meritoria totius prædestinationis eorum, omniumque effectuum eius, iuxta dicta in materia de Prædestin. disp. 6. cap. 4: tum propter dignitatem cause exemplaris Prædestinatorum saltem conditionatè, sub conditione scilicet quòd placeret Christo aliquos prædestinare, vt dictum est citato punct. 3. conclus. 4. nu. 1079: tum propter dignitatem Redemptoris, tam præseruatiuè in ordine ad Angelos, & homines, quàm reparatiuè in ordine ad homines saltem conditionatè.

Eeee

natè.

natè, sub conditione scilicèt quòd esset peccatum, & Christus vitam passibilem eligeret pro liberatione hominum ab illo, iuxta dicta citato punct. 3. conclus. 5. à nu. 1081. Decretus est autem Christus in hoc signo formaliter impassibilis conditionatè, si non esset peccatum, & simul formaliter passibilis conditionatè, si esset peccatum, & ipse vitam passibilem eligeret, cum præcepto subeundi mortem crucis, casu quo vitam passibilem eligeret. Videantur hæc fusiùs explicata citato punct. 3.

1247 In secundo signo elicit Christus aliqua merita communia cum proposito ea applicandi postea pro salute Angelorum, & hominum eo modo, quo Deus sibi postea inspiraret, v.g. actionem gratiarum pro beneficio unionis hypostaticæ, & donorum, eam comitantium, intensissimam Dei dilectionem, & similia.

1248 In tertio signo Christus, specialiter inspiratus per inspirationem, ipsi ob merita illa communia à Deo immixtam, applicat liberè dicta sua merita cõmunia pro impetrando omnibus Angelis gratiam habitualem, & auxilia ad perseverandum in illa, bonis quidem efficacia, & malis sufficientia, cum tamen haberet facultatem liberam aliter applicandi illa: ex qua inspiratione, Christo ad id immixta à Deo, incepit iam prædestinatio Angelorum bonorum.

1249 In quarto signo, visa dicta applicatione libera meritorum Christi, decernit Deus ob merita Christi, sic applicata, dare omnibus Angelis gratiam habitualem, & auxilia ad perseverandum in illa, bonis quidem efficacia, & malis sufficientia.

1250 In quinto signo, visa perseverantia Angelorum bonorum, & peccato malorum, decernit Deus, dare beatitudinem Angelis bonis, & poenam æternam malis.

1251 In sexto signo, ne vacuæ manerent sedes, amissæ ab Angelis malis, Christus, specialiter inspiratus per inspirationem, ipsi ob eadem illa merita communia à Deo immixtam, applicat liberè sua merita, tum pro impetrando primis parentibus gratiam habituaalem cum donis, debitis statui innocentie, illiusque reparationem quoad efficacia, si peccato amitteretur, & simul

simul auxilia efficacia ad aliqua opera honesta, elicit ab ipsis in statu innocentie, cum tamen potuisset ea aliter applicare; ex qua inspiratione, Christo ad id immixta à Deo, incepit prædestinatio primorum parentum: tum pro impetrando, quòd imponatur Adæ præceptum non comedendi de fructu arboris interdictæ, dando ei auxilium sufficiens ad illius observantiam, & quòd Adam constituatur caput morale omnium posterorum etiam Deiparæ, constituendo absolutè in ipso omnium eorum voluntates in ordine ad observantiam, vel transgressionem dicti præcepti, cum pacto, & voluntate conditionata transfusionis iustitiæ originalis in omnes posteros dictos, si Adam non peccaret, vel transfusionis peccati in posteros, distinctos à Deipara, sub conditione solùm, si Adam peccaret; & in Deiparam, non solùm sub conditione, si Adam peccaret, sed etiam sub conditione, si ipse, post assumptam, præiusto peccato Adæ, passibilitatem, non offerret sua merita pro impetranda gratia sanctificante pro instanti Conceptionis Deiparæ, eamque suis meritis oblati re ipsa non impetraret, & assequeretur cum effectu, vel sub conditione, si ipse, post assumptam, præiusto peccato Adæ, passibilitatem, non offerret sua merita pro impetranda præservatiua condonatione peccati pro dicto instanti Conceptionis eius, iuxta duos illos diversos modos discurrendi, declaratos punct. 3. à nu. 1213. In hoc eodem signo Christus, specialiter etiam à Deo inspiratus modo supradicto, liberè decernit conditionatè, eligere vitam passibilem, si Adam ut caput peccaret, cum proposito, & affectu etiam conditionato moriendi in cruce, obediendo Patris præcepto, si esset occasio ita moriendi, pro peccato posterorum originali reparando, in prædestinatis quidem quoad efficacia, in reprobis verò quoad sufficientiam: & ab hac inspiratione divina, Christo ob merita ipsius immixta ad eliciendum hoc propositum, & affectum conditionatum, dicendum est, incepisse prædestinationem posterorum. In eodem fortè signo decrevit Christus conditionatè, casu quo Adam peccaret, nasci formaliter passibilis ex Deipara, & ut ea esset digna mater ipsius, decrevit etiam conditionatè, casu quo Adam peccaret, offerre sua merita pro impetrando beneficio supradicto

cto præseruationis Deiparæ à peccato originali pro instanti Conceptionis, petendo antecedenter auxilium efficax ad faciendam talem oblationem. Insuper decreuit conditionatè sub eadem conditione, offerre pro tunc sua merita, vt Deipara sibi congruè mereretur maternitatem, & hominibus redemptionem reparatiuam peccati.

1252 In septimo signo, his omnibus à Deo visis, decernit Deus dare primis parentibus gratiam habitualement cum donis, statui innocentix debitis, & auxilia efficacia ad aliqua opera honesta, elicitia ab ipsis in statu innocentix, cum voluntate reparandi dictam gratiam quoad efficaciam, si eam peccando amitterent primi parentes, & Christus vitam passibilem eligeret pro reparatione peccati eorum. Imponit Adæ præceptum non comedendi de fructu arboris interdictæ, cum voluntate dandi illi auxilium sufficiens ad obseruandum præceptum. Constituit Adamum caput morale omnium posterorum etiam Deiparæ, constituendo in illo absolutè omnes eorum voluntates in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti impositi, cum pacto, & voluntate conditionata transfusionis iustitiæ originalis in omnes posteros dictos, si Adam non peccaret, vel transfusionis peccati in posteros, distinctos à Deipara, sub conditione solùm, si Adam peccaret; in Deiparam verò, non solùm sub conditione, si Adam peccaret, sed etiam sub conditione, si Christus, post assumptam, præuiso peccato Adæ, passibilitatem, non offerret sua merita pro impetranda gratia sanctificante pro instanti Conceptionis Deiparæ, eamque suis meritis oblati re ipsa non impetraret, & assequeretur cum effectu, vel sub conditione, si Christus, post assumptam, præuiso peccato, passibilitatem, non offerret sua merita pro impetranda præseruatiua condonatione peccati pro dicto instanti Conceptionis eius, secundum duos illos diuersos modos discurrendi, declaratos punct. 3. à nu. 1213. cum voluntate expressa conditionata condonandi illud præseruatiuè pro tali instanti, casu quo Christus tunc offerret sua merita aliquo ex duobus modis præfatis. In eodem signo Deus, approbata determinatione Christi, habet voluntatem conditionatam reparandi peccatum originale posterorum ob merita

Christi;

Christi, in prædestinatis quoad efficaciam, & in reprobis quoad sufficientiam, si Christus, stante peccato Adæ, eligat vitam passibilem, & mortem crucis. Habet etiam voluntatem concedendi Christo Deiparam in matrem, si Adam peccaret, eamque disponere ad maternitatem, condonando ei præseruatiuè peccatum originale, casu quo, peccante Adamo, Christus, prædefinitus absolutè passibilis, offerret sua merita aliquo ex duobus modis præfatis. Insuper decreuit Deus conditionatè, dare Deiparæ auxilia efficacia ad merendam sibi congruè maternitatem, & hominibus redemptionem reparatiuam peccati, casu quo Christus tunc ad impetrandum offerret sua merita.

1253 In octauo signo videtur peccatum Adæ vt capitis, moraliter in ipso commissum ab omnibus posteris etiam à Deipara, & necessariò, & ineuitabiliter transfundendum in posteros præter Deiparam, statim atque generarentur, hocque sic viso, Christus exequitur, quæ conditionatè decreuerat in sexto signo. Eligit absolutè vitam passibilem in remedium eius, cum proposito, & affectu conditionato moriendi in cruce, obediendo Patris præcepto, si esset occasio ita moriendi, pro peccato originali posterorum reparando, in prædestinatis quoad efficaciam, & in reprobis quoad sufficientiam. Eligit etiam nasci formaliter passibilis ex Deipara, & vt ea esset digna mater ipsius, petit à Deo auxilium efficax ad offerenda sua merita pro impetranda præseruatiua Deiparæ à peccato, & debito proximo originali pro instanti Conceptionis, & hoc auxilio obtento, offert sua merita pro dicto beneficio Deiparæ impetrando, eo modo, quo declaratum est punct. 3. à nu. 1213. & simul pro impetrando, quòd Deipara sibi congruè mereretur maternitatem, & hominibus redemptionem reparatiuam peccati.

1254 In nono signo Deus, intuitu electionis Christi, concedit ei agere vitam passibilem, cum voluntate non impediendi mortem eius in cruce, pro hominum salute. Concedit etiam Christo, nasci passibilem ex Deipara, à se electa, & intuitu meritorum, ab ipso oblato, & petitionis auxilij efficacis ad ea offerenda, Deiparam ad maternitatem disponit, præser-

uan.

uando ipsam à peccato, & debito proximo originali pro instanti Conceptionis, modo declarato citato punct. 3. à nu. 1213. & decernendo dare ipsi auxilia efficacia, tum ad merendam sibi congruè maternitatem, tum ad congruè merendam hominibus redemptionem reparatiuam peccati; quo pacto eam constituit quasi corredemptricem generis humani simul cum Christo, merentem de congruo omnem gratiam, datam hominibus post peccatum Adæ, & reparationem peccati eorum, quam condignè meretur Christus: Deiparam enim habuisse hanc excellentiam, & dignitatem corredemptricis generis humani, & causæ meritorix de congruo salutis hominum, videtur satis expressa Patrum doctrina, vt eruditè probat Salazar de Conception. cap. 20. & 21. & ex eo Peñalosa disp. 9. cap. vnic. nu. 10.

1255 In decimo signo Christus, à Deo specialiter inspiratus, applicat affectum suum patiendi, & moriendi in cruce conditionatum supradictum cum cæteris meritis pro efficaci reparatione peccati primorum parentum, & pro impetrando ipsis fidem supernaturalem sui aduentus in carne passibili in remedium peccati, & gratiam merito eius fidei correspondentem, pro impetrando etiam eisdem, & multis posteris auxilium efficax ad volendum generare filios affectu honesto supernaturali, & ad vitanda peccata, quæ aliàs committerentur in generatione filiorum, alijs posteris auxilium ad id sufficiens, multis etiam auxilium efficax ad meritoriè impetrandos à Deo filios, omnibus auxilia ad vitanda peccata personalia, & ad ea reparanda, si committerentur, prædestinatis quidem efficacia, reprobis verò sufficientia, & simul pro impetrando posteris determinatum corpus, vnionem, & generationem, & antiquis Patribus auxilia efficacia ad merendas aliquas circumstantias accidentales incarnationis. Et in eodem signo Deipara, specialiter à Deo inspirata per inspirationem, ab eo immixtam ex meritis Christi absolutè passibilis, applicat etiam sua merita pro his omnibus congruè impetrandis, & merendis.

1256 In vndecimo signo Deus, intuitu dictorum meritorum Christi, & Deiparæ, sic applicatorum, decernit, a iustre voluntate

luntati Christi, & Deiparæ, & conferre præfatis personis omnia illa dona, & beneficia, modo recensito.

1257 In duodecimo signo videt iam Deus peccatum originale contractum formaliter in actu exercito in omnibus posteris præter Deiparam, & peccata personalia eorum; videt etiam Christum, & Deiparam, offerentes sua merita pro reparatione efficaci illorum in prædestinatis, & pro reparatione sufficiente illorum in reprobis. Et, his visis, iterum decernit Christum absolutè redemptorem reparatiuè dictorum peccatorum, in prædestinatis quoad efficaciam, & in reprobis quoad sufficientiam, & propter merita Christi, & Deiparæ, sic oblata, statuit, reparare talia peccata cum inæqualitate dicta.

1258 In decimotertio, & vltimo signo videt Deus merita prædestinatorum, eorumque decessum in gratia ex meritis Christi, & Deiparæ, & demerita reproborum, eorumque decessum in peccato. Quibus visis, vult Deus absolutè efficaciter, dare prædestinatis gloriam, ipsorum meritis, & gratiæ debitam, & reprobis pœnam æternam pro peccatis condignam.

1259 Vbi aduerte, singula signa præfata non esse indiuisibilia, sed aliqua ex eis esse signa complexa, & diuisibilia in plura signa, vt perpendenti constabit; ea tamen sic proposuimus, ne nimis signa multiplicarentur.

1260 Ex hac signorum serie constat iam, in quo signo constituenda sit redemptio præseruatiua Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis. Patet namque ex dictis, talem redemptionem factam esse in octauo, & nono signo.

Soli Deo honor, & gloria.

INDEX

1

INDEX DIFFICULTATUM;

Quæ ex varijs materijs Theologicis in hoc opere pertractantur ex professo.

2

Ex tractatu de Scientia Dei.

3

DIFFICULTAS I.

AN dependentia virtualis, & per rationem decretorum liberorum Dei à diuinis perfectionibus necessarijs independentibus, sufficiat ad fundandam in illis futuritionem, & posterioritatem in quo virtualem, & per rationem. Disp. 5. cap. 3. Punct. . . à nu. 924, vel potiùs à nu. 920.

4

DIFFICULTAS II.

An Decreta Dei libera sint virtualitèr, & per rationem futura, & posteriora in quo diuinis perfectionibus necessarijs, & ut sic cognoscantur à Deo. Disp. 5. cap. 3. Punct. 2. & 3. à nu. 957. vel potiùs Punct. 1. 2. & 3. à nu. 920.

5

DIFFICULTAS III.

An Scientia visionis obiecti absolutè futuri dirigat defacto decretum diuinum de suo obiecto, sitque consequenter huius quodammodo causa defacto, negata etiam futuritione decretorum. Disp. 5. cap. 2. Punct. 1. & 2. à nu. 888.

6

DIFFICULTAS IV.

An, permiffa saltem futuritione decretorum, præfata scientia visionis dirigat defacto decretum diuinum de suo obiecto, hocque quodammodo causet defacto. Disp. 5. cap. 3. Punct. 4. à num. 1021.

7

Ex tractatu de Peccatis.

8

DIFFICULTAS I.

In quo consistat malitia formalis peccati commissionis. Disp. 1. cap. 1. 2. 3. & 4. à nu. 5.

9

DIFFICULTAS II.

An, & quomodo ad malitiam peccati commissionis requiratur dependentia à lege prohibente, & oppositio cum ipsa. Disp. 1. cap. 5. à nu. 212.

ffff

10 DIF

Index difficultatum

DIFFICULTAS III.

10 In quo consistat malitia moralis peccati omissionis. Disp. 1. cap. 6. à num. 236.

DIFFICULTAS IV.

11 De constitutio peccati habitualis. Disp. 2. cap. 1. 2. & 3. à num. 251.

EX tractatu de peccato originali.

DIFFICULTAS I.

12 Quàm certa sit existentia peccati originalis. Disp. 3. cap. 1. à num. 420.

DIFFICULTAS II.

13 Quomodo peccatum originale fuerit voluntarium posteris Adæ. Disp. 3. cap. 2. Punct. 1. & 2. à num. 436.

DIFFICULTAS III.

14 An in voluntate Adæ constituti fuerint omnes homines possibles, sub conditione si nascerentur ex semine Adæ. Disp. 3. cap. 2. punct. 1. à num. 447.

DIFFICULTAS IV.

15 In quo consistat peccatum originale. Disp. 3. cap. 3. Punct. 1. 2. & 3. à num. 477.

DIFFICULTAS V.

16 An ad transfusionem gratiæ, vel peccati in posteros fuerit necessarium, vel extiterit saltem defacto proprium pactum Dei cum Adamo circa talem transfusionem. Disp. 3. cap. 4. Punct. 1. dub. 1. à nu. 549.

DIFFICULTAS VI.

17 An ad transfusionem peccati originalis fuerit necessarium, manifestare Adæ legem diuinam transfusionis, vel defacto saltem ea manifestata fuerit ipsi. Disp. 3. cap. 4. Punct. 1. dub. 2. à num. 557.

DIFFICULTAS VII.

18 An generatio, requisita ad transfusionem peccati originalis, debeat esse naturalis, facta virtute seminis, decisi ab Adamo saltem mediate. Disp. 3. cap. 4. Punct. 2. dub. 3. à nu. 564.

DIFFICULTAS VIII.

19 An si mulier, ab Adamo descendens, conciperet ex viro, non descenderet

Ex varijs materijs.

scendente ab illo, sed à Deo miraculosè formato, filius gentis contraheret peccatum originale. Disp. 3. cap. 4. Punct. 2. dub. 4. à num. 566.

DIFFICULTAS IX.

20 An si Adam genuisset filios ante peccatum, isti contraherent peccatum originale. Disp. 3. cap. 4. punct. 2. dub. 5. à nu. 568.

DIFFICULTAS X.

21 An generatio sit ita conditio requisita ad transfusionem peccati originalis, vt Adam, vel alius homo non posset constitui caput morale hominum, si non esset simul caput physicum eorum per generationem. Disp. 3. cap. 4. Punct. 2. dub. 6. à n. 572.

DIFFICULTAS XI.

22 A qua persona deriuetur defacto, vel deriuandum foret peccatum originale in posteros Adæ. Disp. 3. cap. 4. Punct. 3. dub. 7. à num. 580.

DIFFICULTAS XII.

23 An peccatum originale subiectetur immediatè in anima, vel in voluntate. Disp. 3. cap. 4. Punct. 4. dub. 8. nu. 586.

DIFFICULTAS XIII.

24 An peccatum originale, defacto existens, sit peccatum grauius veniali, & alijs mortalibus. Disp. 3. cap. 4. Punct. 4. dub. 9. num. 587.

DIFFICULTAS XIV.

25 An in peccato originali sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Disp. 3. cap. 4. Punct. 4. dub. 10. nu. 588.

DIFFICULTAS XV.

26 An ex solo peccato veniali posset transfundi peccatum originale. Disp. 3. cap. 4. Punct. 4. dub. 11. nu. 589.

DIFFICULTAS XVI.

27 Sub qua specie peccati fuerit peccatum Adæ, in posteros transfusum. Disp. 3. cap. 4. punct. 4. dub. 12. à nu. 590.

DIFFICULTAS XVII.

28 An peccatum, in posteros transfundendum, esset solùm peccatum Adæ; commissum in esu fructus prohibiti, an verò quodlibet aliud peccatum, si illud primò patrasset Adam ante esum talis fructus. Disp. 3. cap. 4. Punct. 4. dub. 13. à nu. 595.

Index difficultatum

DIFFICULTAS XVIII.

30

An peccatum comestionis de fructu interdicto, independentér ab impœnitentia Adæ, fuerit ex parte ipsius causa, vel occasio per se totalis, & completa transfusionis peccati originalis in posteros. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. & 2. à num. 600.

31 *EX tractatu de immaculata Deiparæ Conceptione.*

DIFFICULTAS I.

32

In quo consistat debitum tam proximum, quàm remotum peccati originalis. Disp. 4. cap. 1. punct. 1. & 2. à num. 682.

DIFFICULTAS II.

33

An posteri Adæ, contracto semel debito peccati originalis in instanti generationis, potuerint ex speciali Dei priuilegio in tali instanti fieri immunes à contractione ipsius peccati. Disp. 4. cap. 2. à num. 728.

DIFFICULTAS III.

34

An Deipara, quæ laudabiliter prædicatur præseruata à peccato originali, contraxerit defacto debitum proximum eius. Disp. 4. cap. 3. à num. 763.

DIFFICULTAS IV.

35

An Deipara fuerit defacto præseruata à debito remoto peccati originalis, vel potius à constitutione in pacto, & voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius. Disp. 4. cap. 4. punct. 1. & 2. à num. 780.

DIFFICULTAS V.

36

An, & quomodo Deipara potuerit præseruari à peccato originali, eiusque debito ex meritis Christi absolutè passibilis in hoc diuinorum decretorum ordine. Disp. 5. cap. 5. punct. 1. 2. & 3. à num. 1163. præsuppositis his, quæ dicta sunt ab initio citatæ disputationis quatuor capitibus præcedentibus à nu. 836. pro declaratione huius difficultatis.

DIFFICULTAS VI.

37

An præseruatio Deiparæ à peccato originali, eiusque debito proximo ex meritis Christi absolutè passibilis, esset propriè, & strictè Redemptio ipsius ab illis. Disp. 5. cap. 5. punct. 4. à nu. 1223.

Ex varijs materijs.

DIFFICULTAS VII.

38

In quo signo constitui possit Redemptio præseruatiua Deiparæ à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolutè passibilis. Disp. 5. cap. 5. à nu. 1244.

39

EX tractatu de gratia iustificante.

DIFFICULTAS VNICA.

40

Quid sit obiectum diuinæ condonationis peccati, præsertim extrinsecæ. Disp. 2. cap. 4. punct. 1. & 2. à num. 380.

41

EX tractatu de Merito.

42

DIFFICULTAS VNICA.

An quis possit mereri de condigno, aut de congruo per actum bonum elicatum in alio tãquam in capite. Disp. 3. cap. 2. punct. 2. à nu. 473. vsque ad 476.

43

EX tractatu de Incarnatione.

DIFFICULTAS I.

44

An per primum Dei decretum efficax absolutum fuerit prædefinitus Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ conditionatæ peccati futuri. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. & 2. à num. 845.

DIFFICULTAS II.

45

An per primum Dei decretum efficax absolutum fuerit prædefinitus Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri, independentèr à futuritione decretorum. Disp. 5. cap. 2. punct. 1. & 2. à num. 837.

DIFFICULTAS III.

46

An per primum Dei decretum efficax absolutum fuerit prædefinitus Christus absolutè passibilis, & Redemptor liberatiuè ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri, dependentèr à futuritione decretorum. Disp. 5. cap. 3. punct. 1. 2. & 3. à nu. 919.

DIFFICULTAS IV.

47

An per primum Dei decretum efficax absolutum fuerit prædefinitus

Index difficultatum

finitus Christus absolute passibilis, & Redemptor liberatiue ex directione scientiæ visionis peccati absolute futuri, saltem permilla decretorum futuritione. Disp. 5. cap. 3. punct. 4. à num. 1020.

48

DIFFICULTAS V.

An per primum Dei decretum efficax fuerit defacto in primo signo prædefinitus Christus saltem secundum se. Disp. 5. cap. 4. Punct. 1. à nu. 1039.

49

DIFFICULTAS VI.

An solus Christus fuerit in primo signo prædefinitus, vel alia etiam simul cum ipso, & quæ. Disp. 5. cap. 4. Punct. 2. à n. 1058.

50

DIFFICULTAS VII.

Propter quæ motiua fuerit prædefinitus Christus in primo signo. Disp. 5. cap. 4. Punct. 3. à nu. 1068.

51

DIFFICULTAS VIII.

An, Adamo non peccante, veniret Christus ex vi præsentis decreti. Disp. 5. cap. 4. Punct. 4. à nu. 1090.

52

DIFFICULTAS IX.

Quando, & quomodo fuerit Christus primò decretus absolute passibilis, & Redemptor liberatiue post absolute præuisum peccatum. Disp. 5. cap. 4. punct. 5. à num. 1097.

53

DIFFICULTAS X.

Quæ obijciantur contra resolutionem nouem præcedentium difficultatum. Disp. 5. cap. 4. Punct. 6. à nu. 1118.

54

DIFFICULTAS XI.

Quis sit ordo diuinorum decretorum. Disp. 5. cap. 5. Punct. 5. à num. 1245.

INDEX

1

Index rerum, & verborum notabilium.

A.

- 2 IN quo differat *Actus* prohibiti quia mali, & actus mali quia prohibiti. Disp. 1. cap. 1. nu. 12.
- 3 In *Actu* malo carentia rectitudinis non est priuatio, quia incapax eius. Disp. 1. cap. 2. punct. 1. à nu. 21. ad 28. quamuis in voluntate sit capacitas ad illam. Ibidem nu. 28.
- 4 Nec ad id sufficit capacitas *Actus* mali ad rectitudinem secundum rationem genericam actus humani. Ibidem à nu. 22. usque ad 26.
- 5 *Actus* humano vti non est debita rectitudo. Ibidem n. 27.
- 6 Carentia negativa rectitudinis, existens in *Actu* malo, distincta est à carentia priuatiua rectitudinis, existens in voluntate. Ibidem nu. 41.
- 7 Circa malitiam formalem *Actus* prohibiti quia mali, & actus mali quia prohibiti, vide in litera M. verb. *Malitia formalis*.
- 8 *Actus* voluntatis malus quia prohibitus non dirigitur à cognitione prohibitionis, sed à cognitione sui obiecti vt delectabilis. Disp. 1. cap. 3. punct. 2. nu. 104.
- 9 Dictum *Actum* voluntatis velle virtualiter, & interpretatiue transgressionem legis, est illi extrinsecum, & accidentale. Ibidem nu. 105. & 106.
- 10 *Actus* malus quia prohibitus, non prohibetur ob malitiam eius, sed quia bonam, & conueniens est, abstinere ab illo. Ibidem à nu. 108. ad 115.
- 11 Dicti *Actus* prohibitio non est declaratio malitiæ eius. Ibidem num. 114. & 115.
- 12 Dicti *Actus* prohibitio non communicat ipsi solam moralitatem, & imputabilitatem, sed malitiam etiam. Ibidem à n. 117.
- 13 Dicti *Actus* oppositio cum prohibitione, est oppositio contrauentionis simpliciter, quæ proinde requirit, & includit existentiam prohibitionis. Ibidem à nu. 119. ad 121.
- 14 Plures *Actus* prohibiti quia mali, sunt solum contingenter mali. Ibidem à nu. 123. ad 125.
- 15 Alij verò sunt omnino necessariò, & inseparabiliter mali, sed non intrinsecè. Ibidem à nu. 126. ad 128.
- 16 Idem *Actus* manere potest, ablato obiecto, implicite, & materialiter.

Index rerum,

- rialiter tacto. Ibidem num. 127.
- 17 Omnis *Actus* virtuosus est intrinsecè bonus, omnis autem actus vitiosus non est intrinsecè malus, & cur? Ibidem nu. 131. & 132.
- 18 *Actus* mali, indeliberatè elicit, sunt intra genus moris, retinentque malitiam moralem, etiam si absque formali impunitate. Disp. 1. cap. 3. punct. 3. nu. 141.
- 19 *Actus* liberi non semper gignunt habitum. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. nu. 271.
- 20 Plures *Actus* differunt solum ex diuerso modo tendendi in obiectum, quamuis diuersus hic modus tendendi sit inexplicabilis. Disp. 2. cap. 4. punct. 2. nu. 410.
- 21 *Actus* contritionis *Adæ* non potuisset posteros iustificare adhuc dispositiue, etiam si esset ab ipsis in illo moraliter elicitus. Disp. 3. cap. 2. punct. 2. nu. 471. & 472.
- 22 Per *Actum* bonum, moraliter solum elicitum in capite, eliciens potest congruè mereri, non condignè. Ibidem à nu. 474. ad 476.
- 23 Si *Adam* peccasset post genitum filium non transfunderetur peccatum in posteros. Disp. 3. cap. 4. punct. 2. nu. 571. & cap. 5. punct. 2. nu. 679.
- 24 Tempus viæ *Adæ* ut capitis solum poterat protrahi vsque ad applicationem ipsius ad generatum, finitum tamen est defacto in transgressione præcepti diuini. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. num. 679.
- 25 Mors, *Adæ*, & posteris comminata Genes. 2. ob comestionem de ligno interdicto, fuit mors tam corporalis, quam spiritalis. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. nu. 607.
- 26 Credibile est, *Adamum* poenituisse de peccato ante latam Dei sententiam. Ibidem nu. 631. & 632.
- 27 Diuina sententia, lata contra *Adam* Genes. 3. non fuit de transfusione noxæ originalis. Ibidem nu. 634. & punct. 2. num. 643.
- 28 *Adam* post peccatum non potuit poenitendo impedire transfusionem noxæ originalis, nec sibi, & posteris restaurare iustitiam originalem. Ibidem præsertim nu. 636.
- 29 *Angelorum* via, quando terminata. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. num. 671. B.

Et verborum notabilium.

- B.
- 30 Quid sit *Bonitas* transcendentalis, & quomodo differat à bonitate morali. Disp. 1. cap. 2. punct. 2. nu. 63. & 64.
- C.
- 31 Absurdum esset, ponere *Christum* prædefinitum passibilem, si posteri essent producendi impassibiles. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. num. 630.
- 32 Quomodo per *Christum* reparatur felicitas, amissa per peccatū, si non reparatur status iustitiæ originalis. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. num. 658.
- 33 *Christus* per primum Dei decretum efficax absolutam non fuit prædefinitus absolutè passibilis, & Redemptor reparatiue ex directione scientiæ conditionatæ peccati futuri. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. & 2. à nu. 848. ad 886.
- 34 Neque ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri, independenter à futuritione diuinorum decretorum. Disp. 5. cap. 2. punct. 1. & 2. à nu. 890. ad 918.
- 35 Neque ex directione scientiæ visionis peccati absolutè futuri, dependenter adhuc à futuritione decretorum. Disp. 5. cap. 3. punct. 1. 2. 3. & 4. à nu. 925. ad 1036.
- 36 *Christus* prædefinitus est defacto in primo signo per primum Dei decretum efficax saltem secundum se. Disp. 5. cap. 4. punct. 1. à nu. 1040. ad 1056.
- 37 *Christus* non fuit in primo signo prædefinitus solus, sed simul etiam Angeli, homines, cæli, elementa, omnesque creature naturales, à libertate creatæ independentes in sui productione. Disp. 5. cap. 4. punct. 2. à nu. 1060. ad 1063.
- 38 In tali signo primo prædefinitionis *Christi* decreuit Deus primos parentes cum determinatis anima, corpore, & vnione; posteros vero cum determinata anima, sed non cum determinato corpore, & vnione. Ibidem à n. 1064. ad 1067.
- 39 *Christus* prædefinitus est in primo signo. Tum ob excellentiam mysterij Incarnationis. Disp. 5. cap. 4. punct. 3. num. 1072. & 1073.
- 40 Tum ob nobilitandum genus humanum. Ibidem nu. 1074.
- 41 Tum ut causa finalis productionis rerum. Ibidem num. 1075. & 1076.

Index rerum,

- 42 Tum vt caput omnis Ecclesie. Ibidem nu. 1077. & 1078.
- 43 Tum vt causa exemplaris Prædestinatorum. Ibidem num. 1079.
- 44 Tum vt Redemptor tam præseruatiuè, quàm reparatiuè, sub conditione si esset peccatum, & ipse vitam passibilem eligeret, Ibidem à nu. 1081. ad 1086.
- 45 *Christus* in tali signo primò decretus est conditionatè passibilis, & conditionatè impassibilis simul. Ibidem num. 1088. & 1089. & punct. 6. à nu. 1135. ad 1138.
- 46 *Christus* ex vi decreti primi signi venisset, etiam non peccante Adamo. Disp. 5. cap. 4. punct. 4. à nu. 1091. ad 1096.
- 47 *Christus* non fuit primò decretus absolutè passibilis, & Redemptor reparatiuè post absolutè præuisa peccata actualia posterorum. Disp. 5. cap. 4. punct. 5. num. 1103. & 1104.
- 48 Neque post absolutè præuisa peccata originalia, vt formalitè contracta à posteris. Ibidem nu. 1105.
- 49 Sed post absolutè præuisum peccatum Adæ vt capitis, vt moralitè in eo commissum à posteris, & radicalitè contractum in illis. Ibidem nu. 1106. & 1107.
- 50 *Christus* iterum decretus est absolutè passibilis, & Redemptor reparatiuè post absolutè præuisa peccata actualia posterorum. Ibidem nu. 1108.
- 51 *Christus* absolutè Redemptor venit primariò ob reparationem peccati originalis, & præseruationem à peccatis actualibus posterorum, non verò ob reparationem istorum. Ibidem à num. 1109. ad 1112.
- 52 Decretum *Christi* absolutè passibilis, & Redemptoris reparatiuè terminatur etiam ad substantiam Christi, & non ad solam circumstantiam passibilitatis, & Redemptionis. Ibidem num. 1114.
- 53 Quamuis tale decretum non concurrat ad dandam *Christo* existentiam simpliciter, sed secundum quid. Ibidem à num. 1115. ad 1117.
- 54 *Christus* potuit pro libito eligere vitam passibilem, vel impassibilem. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. num. 848. & 849.
- 55 *Christi* mors fuit meritoria, & satisfactoria denominatiuè in affectu

Et verborum notabilium

- festu moriendi, quo eam antea liberè acceptauit. Disp. 5. cap. 1. punct. 2. nu. 870.
- 56 *Christus*, post absolutè præuisum peccatum Adæ vt capitis, & ante absolutè præuisa peccata crucifigētium, & cætera peccata, habuit affectum moriendi conditionatum, & postea absolutum. Ibidem nu. 871.
- 57 Quando, & quomodò *Christus* applicauerit dictum affectum moriendi conditionatum? Ibidem nu. 872.
- 58 Quomodò *Christus* suis meritis consummauerit nostram Redemptionem? Ibidem à nu. 876. ad 879.
- 59 *Christus* fuit decretus in primo signo ex affectu salutis generali, & æquali ad omnes homines. Disp. 5. cap. 4. punct. 3. num. 1071.
- 50 *Christus* non fuit decretus in primo signo dependentèr à directione scientiæ conditionatè peccati. Disp. 5. cap. 4. punct. 4. à nu. 1092. ad 1095.
- 51 A *Christo* absolutè passibili dimanant omnia auxilia, & dona, data hominibus post absolutè præuisum peccatum Adæ. Disp. 5. cap. 4. punct. 5. nu. 1107.
- 52 Cognitio creata, intuitiuè cognoscens scientiam diuinam visionis sui ipsius, implicat. Disp. 5. cap. 2. punct. 2. num. 912.
- 53 *Concupiscentia* quomodò peccatum dicatur? Disp. 3. cap. 3. punct. 1. num. 483.
- 54 Posset diuinitus extrinsecè *Condonari*, & tolli culpa mortalis, manente debito, & dignitate pœnæ, & è conuerso. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. à nu. 277. ad 281.
- 55 Et etiam manente obligatione satisfaciendi, & è conuerso. Disp. 2. cap. 2. punct. 3. à nu. 318. ad 320.
- 56 *Condamnatio* diuina peccati non vult indirectè ponere se ipsam tanquam necessariam, vt peccatum præteritum de cætero non denominet hominem peccatorem. Disp. 2. c. 4. punct. 1. à num. 384. ad 387.
- 57 *Condamnatio* diuina peccati non est voluntas præcisè non amplius indignandi contra peccatorem. Ibidem à num. 389. ad 392.
- 58 Neque est affectus velleitatis efficacis, quo Deus efficacitè

Index rerum,

- ter velit, quod peccatum non esset commissum, aut quod non esset amplius motuum ad indignationem contra peccatores. Ibidem à nu. 394. ad 397.
- 69 Neque est voluntas diuina, nolens pro peccato satisfactionem. Ibidem à nu. 399. ad 401.
- 70 Neq; est voluntas diuina, nolens satisfactionem debitam pro peccato, speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter extinguitur debitum satisfaciendi. Ibidem nu. 403. & 404.
- 71 *Condonatio* diuina peccati est affectus diuinus, nolens, Deum ultra indignari contra peccatorem ob culpam præteritam speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter deletur in homine culpa, & debitum indignationis diuinæ, & in Deo ius ad illam. Disp. 2. cap. 4. punct. 2. à nu. 407. ad 413.
- 72 *Condonatio* dicta peccati posset etiam constitui in nolitioe Dei ex se efficaci, nolente ex se efficaciter, quod non esset commissum peccatum, speciali quodam modo, quo formaliter deletur culpa habitualis cum debito indignationis diuinæ. Ibidem nu. 418.
- 73 *Condonatio* diuina reatus poenæ est affectus diuinus, nolens infligi poenam debitam, speciali quodam modo, ex vi cuius formaliter tollitur debitum poenæ, & ius Dei ad illam infligendam. Ibidem nu. 414.
- 74 *Condonatio* diuina debiti satisfaciendi est affectus diuinus, nolens satisfactionem pro culpa, speciali quodam modo, quo formaliter tollitur tale debitum, & ius Dei ad dictam satisfactionem exigendam. Ibidem nu. 414.
- 75 *Condonare*, & tollere debitum alicuius actionis, non est præscisè, nolle talem actionem debitam. Disp. 2. cap. 4. punct. 1. à nu. 389. ad 391.
- 76 Non *Condonatur*, nec tollitur debitum actus, ex eo præscisè quod iste fiat illicitus, aut impossibilis. Ibidem num. 390. & 391.
- 77 *Coniuges* sine matrimonio possunt accipere à Deo mutuum eorum dominium. Disp. 5. cap. 4. punct. 6. nu. 1150.
- 78 *Contrarietas* non dicit carentiam formæ oppositæ. Disp. 1. cap. 2. punct. 2. nu. 70.
- 79 *Culpa* ut sic distincta à reatu poenæ. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. à nu. m. 275. ad 281.

Et verborum notabilium

D.

- 80 *Debitum* subeundi indignationem est realiter identificatum cum culpa, sicque consistit in eisdem, in quibus consistit culpa. Disp. 2. cap. 3. punct. 1. nu. 349.
- 81 *Debitum* subeundi poenam peccati condignam dicit culpam commissam, existentiam peccantis, carentias satisfactionis poenæ debitæ, satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ, & existentiam instantis, pro quo non condonatur. Ibidem.
- 82 *Debitum* satisfaciendi de congruo pro peccato dicit culpam commissam, existentiam peccantis, carentias satisfactionis, & condonationis diuinæ, existentiam præfati instantis, & possibilitatem satisfactionis. Ibidem.
- 83 In quo differant *debitum* proximum, & remotum peccati originalis. Disp. 4. nu. 681, & ibidem cap. 1. punct. 1. n. 685.
- 84 *Debitum* remotum peccati originalis non est debitum posterorum ingrediendi legem vniuersalem transfusionis talis peccati. Disp. 4. cap. 1. punct. 2. à nu. 697. ad 699.
- 85 Neque obnoxietas posterorum, vt possent tali lege comprehendendi. Ibidem nu. 700.
- 86 Neque *debitum*, & exigentia posterorum ratione modi generationis ex semine Adæ, vt eorum voluntates constituerentur in voluntate Adæ in ordine ad transfusionem gratiæ, vel peccati. Ibidem nu. 701.
- 87 Neque peccatum ipsum Adæ, vt commissum ab ipso præscisè, & vt sic meritorium nostræ ruinæ. Ibidem nu. 702.
- 88 Neq; lex ipsa transfusionis, posteros omnes generaliter comprehendens. Ibidem à nu. 703. ad 705.
- 89 *Debitum* proximum peccati originalis non est moralitas, resultans ex peccato Adæ. Ibidem à nu. 706. ad 711.
- 90 Neque peccatum Adæ vt capitis, & vt moraliter in ipso commissum à posteris, præscisè à lege transfusionis. Ibidem nu. 712. & 713.
- 91 *Debitum* remotum peccati originalis est peccatum ipsum Adæ vt capitis, & vt moraliter in ipso commissum à posteris, præscisè à lege transfusionis. Ibidem nu. 714.
- 92 *Debitum* verò proximum eiusdem est aggregatum ex peccato Adæ

Index rerum,

- Adæ dicto, & ex lege diuina transfusionis. Ibidem num. 716. & 717. Et vltius includit existentiam posterorum, & existentiam instantis, pro quo decernitur transfundendum peccatum. Ibidem à nu. 718. ad 722.
- 93 *Debitum* peccati originalis contrahitur à posteris in instanti generationis. Disp. 4. cap. 2. nu. 729.
- 94 Contracto *debito* solùm remoto peccati originalis, potuissent posteriores eximi à contractione talis peccati. Ibidem à num. 732. ad 734.
- 95 Non verò, contracto *debito* proximo eius. Ibidem à nu. 735. ad 762.
- 96 Nullus habet *debitum* ingrediendi legem vniuersalem positiuam ciuiliam, licet omnes habeant *debitum* ingrediendi legem vniuersalem positiuam humanam. Disp. 4. cap. 1. punct. 2. num. 698.
- 97 *Debitum* ingrediendi legem non est capacitas solùm ingrediendi illam. Ibidem nu. 700.
- 98 Contracto *debito* proximo peccati originalis, possunt aliqui posteriores nasci sine peccato, non verò concipi sine illo. Ibidem num. 761.
- 99 *Debitum* proximum peccati originalis est quodammodo seruitus peccati. Disp. 4. cap. 3. nu. 770. & 771.
- 100 Si primum Dei *Decretum* vellet efficaciter absolute Christum absolute Redemptorem reparatiuè, vellet etiam efficaciter ponere peccatum. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. à num. 851. ad 857. & cap. 2. punct. 1. nu. 901. & cap. 3. punct. 4. num. 1030.
- 101 *Decretum* efficax absolutum Christi absolute Redemptoris liberatiuè à peccato, antea non existente, tolleret libertatem peccandi, & non peccandi. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. nu. 860. & 861.
- 102 *Decretum* efficax absolutum Christi non potest esse prædeterminatio ipsa hominum. Ibidem nu. 863.
- 103 Si *Decretum* Dei dirigeretur à scientia visionis sui obiecti, nec Deus esset liber in decernendo, nec voluntas nostra in producendis suis actibus. Disp. 5. cap. 2. punct. 1. à nu. 892. ad 895. & cap. 3. punct. 4. nu. 1022.

Et verborum notabilium.

- 104 *Decretum* Dei est prius à quo scientia visionis sui obiecti. Disp. 5. cap. 2. punct. 1. nu. 896. & cap. 3. punct. 4. à nu. 1024. ad 1027.
- 105 *Decreta* Dei non sunt virtualiter, aut per rationem posteriora in quo perfectionibus diuinis necessarijs, nec virtualiter, aut per rationem futura. Disp. 5. cap. 3. punct. 2. & 3. à nu. 957. ad 1018.
- 106 *Decretum* Dei non potest constitui per carentiam existentie rei decretæ. Disp. 5. cap. 3. punct. 2. nu. 963.
- 107 Virtualis similtas in quo *Decretorum* Dei cum perfectionibus necessarijs, est perfectio simpliciter simplex, non verò virtualis identitas. Ibidem nu. 966. & 967.
- 108 In nullo signo est possibilis virtualis carètia existentie *Decreti*. Ibidem à nu. 970. ad 972.
- 109 In nullo signo possunt à Deo cognosci *Decreta* ut virtualiter, aut per rationem futura. Ibidem à num. 973. ad 979. & num. 999. & 1000.
- 110 Series *Decretorum* Dei. Disp. 5. cap. 5. punct. 5. à nu. 1245. 1258.
- 111 *Deipara* fuit præseruata à debito proximo peccati originalis. Disp. 4. cap. 3. à nu. 767. ad 778.
- 112 Sed non fuit præseruata à debito remoto eius, seu à constitutione in voluntate Adæ, & à concursu morali in peccatum eius. Disp. 4. cap. 4. punct. 1. & 2. à nu. 784. ad 834.
- 113 *Deipara* fuit immunis à multis pœnalitatibus peccati originalis. Disp. 4. cap. 3. nu. 771.
- 114 *Deipara* fuit immunis à fomite peccati. Ibidem nu. 773.
- 115 Fuit etiam immunis à debito proximo incidendi in peccata actualia etiam venialia. Ibidem num. 774.
- 116 In *Deipara* non fuit necessaria contractio debiti proximi ad præseruationem redemptionem eius à peccato ex meritis Christi absolute passibilis. Ibidem num. 777.
- 117 Quæuis præseruatio *Deipara* constitui debet ex meritis Christi absolute passibilis. Disp. 4. cap. 4. punct. 1. n. 792. & disp. 5. cap. 5. punct. 1. nu. 1167.
- 118 *Deiparam* in Adamo non peccasse, esset inglorium ipsi, & Christo. Ibidem nu. 797. & 798. vel potius à n. 794. ad 798. Dei-

Index rerum,

- 119 *Deiparam* peccasse in Adamo, nullam ipsi fœditatem afferens. Ibidem à nu. 799. ad 803.
- 120 Nec fuit ignominiosum Christo. Disp. 4. cap. 4. punct. 2. à nu. 815. ad 817.
- 121 *Deiparam* in Adamo non peccasse, nec Tridentinum, nec Patres asserunt. Ibidem à nu. 808. ad 812.
- 122 *Deipara* non fuit decreta producenda ex meritis Christi absolute passibilis. Ibidem nu. 819.
- 123 *Deiparam* non dedecet, agnoscere Adamum pro capite morali. Ibidem nu. 820. 833. & 834.
- 124 Non quævis imperfectio est remouenda à *Deipara*. Ibidem num. 824.
- 125 Passibilitas, & mortalitas *Deipare* non fuit pœna peccati, ab ipsa in Adamo moraliter commissi. Ibidem nu. 825.
- 126 Quomodo *Deipara* non fuerit comprehensa in lege vniuersali de morte posterorum, ad instar Regiæ Ester. Ibidem num. 831.
- 127 *Deipara* non potuit præseruari à debito remoto peccati originalis ex meritis Christi absolute passibilis. Disp. 5. cap. 5. punct. 3. à nu. 1206. ad 1211.
- 128 *Deipara* non potuit præseruari à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolute passibilis, modo proposito disp. 5. cap. 5. punct. 2. nu. 1174. Ibidem à nu. 1175. ad 1181.
- 129 Neque modo proposito ibidem num. 1182. Ibidem à num. 1183. ad 1190.
- 130 Neque modo proposito ibidem nu. 1191. Ibidem à n. 1192. ad 1197.
- 131 Neque modo proposito ibidem nu. 1198. Ibid. nu. 1199.
- 132 *Deipara* potuit præseruari à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolute passibilis, duobus modis declaratis disp. 5. cap. 5. punct. 3. à nu. 1203. ad 1221.
- 133 *Deipara*, post absolute præuisum peccatum Adæ, non potuit constitui in pacto, & voluntate Adæ, neque peccare in illo. Disp. 5. cap. 5. punct. 2. à nu. 1176. ad 1181.
- 134 Quamuis *Deipara* post absolute præuisum peccatū Adæ, esset producta ex meritis Christi absolute passibilis, nõ ideo esset

Et verborum notabilium.

- esset præseruata à constitutione in pacto ex dictis meritis. Ibidem à nu. 1184. ad 1190.
- 135 Pactum, volens includere *Deiparam* in pacto, & voluntate Adæ, si post peccatum non eligatur in matrem Christi, & simul nolens illam includere, si eligatur, est implicatorium. Ibidem nu. 1194. & 1195.
- 136 Implicat, *Deiparam* non peccasse in Adamo, si iste peccauit vt caput morale eius. Ibidem nu. 1199.
- 137 Peccatum non erat transfundendum in *Deiparam*, sicut in alios posteros, sub conditione solū peccati Adæ, sed sub alia vterius conditione. Ibidem nu. 1213. & 1219.
- 138 *Deipara* fuit proprie, & strictè redempta præseruatiuè à peccatis actualibus. Disp. 5. cap. 5. punct. 4. nu. 1231.
- 139 *Deipara* fuit proprie, & strictè redempta præseruatiuè à peccato, & debito proximo originali ex meritis Christi absolute passibilis. Ibidem nu. 1243.
- 140 *Deipare* redemptio præseruatiua à peccato, & debito proximo originali, facta est in octauo, & nono signo decretorum Dei. Disp. 5. cap. 5. punct. 5. nu. 1260.
- 141 Cur Deo, concurrenti ad positiuam peccati militiam, non tribuatur peccatum? Disp. 1. cap. 2. punct. 2. nu. 60. vbi quomodo Deus diuersimodè causet actus bonos, & malos.
- 142 Deus de potentia absoluta posset remittere peccatum sine pœnitentia, & retractatione peccatoris. Disp. 2. cap. 2. punct. 2. num. 304.
- 143 Deus, posita quauis retractatione peccati, gratis remittit peccatum, potens illud non remittere. Ibidem nu. 305.
- 144 Deus, causans carentiam condonationis, constitutiua peccati habitualis, non est per se causa existentie peccati habitualis. Disp. 2. cap. 3. punct. 2. à nu. 359. ad 363.
- 145 Quando Deus odio habebat peccatum Adæ præsens, vt moralitèr in ipso commissum à posteris, non habebat odio tunc posteros propter illud. Disp. 3. cap. 3. punct. 3. nu. 542.
- 146 In Dei comminationibus pœnarum huius vitæ, non semper intelligitur conditio defectus pœnitentie. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. num. 617.
- 147 *Diaboli* imperium in posteros Adæ quando cepit? Disp. 3. cap. 5. punct. 2. n. 654. Hhhh E.

Index rerum,

E.

- 148 Discrimen inter constitutum *effectus* formalis, & conditionem requisitam ad ipsum. Disp. 2. cap. 2. punct. 3. n. 326.
149 *Effectus* tribuitur non solum causæ, sed etiam conditioni, requisitæ ad positionem illius. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. num. 626.

F.

- 150 *Falsitas* formalis actus dicit semper aliquid extrinsecum, non verò malitia formalis. Disp. 1. cap. 4. punct. 2. nu. 191.
151 *Filij*, parentum precibus impetrati, non sunt prædefiniti futuri intuitu precum. Disp. 3. cap. 2. punct. 2. n. 466. & 467. & disp. 5. cap. 4. punct. 6. nu. 1147.
152 *Filij* quomodo debeant Parentibus, esse in mundo natos. Disp. 5. cap. 4. punct. 6. nu. 1147.
153 *Futuritas* creaturæ non est sola carentia existentia eius. Disp. 5. cap. 3. punct. 2. nu. 962.
154 *Futuritas* rei potest constitui per carentiam necessariam existentia eius. Ibidem nu. 985.

G.

- 155 *Generatio* hominis non est constitutiva eius, licet generatio Bruti constituat ipsum. Disp. 3. cap. 3. punct. 3. nu. 532.
156 *Gratia* sanctificans tam subiectum, quam actus meritorios physicè solum dignificare valet. Disp. 3. cap. 2. punct. 2. num. 476.
157 Quomodo fuerit validior *gratia* Christi ad reparandam iustitiam originalem, quam fuerit peccatum ad perdendam illam. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. nu. 647. & 648.
158 *Gratia* primorum Parentum status innocentia, non fuit dependens à peccato Adæ absolutè futuro, nec ex meritis Christi absolutè passibilis, & Redemptoris reparatiue. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. num. 850. & cap. 4. punct. 1. nu. 1050.
159 Licet fuerit ex meritis Christi. Ibidem citato num. 1050. Hæc *gratia* fuit effectus Prædestinationis primorum Parentum. Disp. 5. cap. 4. punct. 1. nu. 1052. & 1053.
160 Quomodo in Adamo ante commissionem peccati fuerit aliqua *gratia* ex meritis Christi absolutè passibilis, expulsa per peccatum eius. Disp. 5. cap. 4. punct. 6. à num. 1157. ad 1162.

H.

Et verborum notabilium.

H.

- 161 *Habitus* vitiosus, relictus ex peccato, manet in homine iam iustificato. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. nu. 271.
162 *Homines* possibiles præscisè non fuerunt constituti in voluntate Adæ sub conditione, si nascerentur ex semine Adæ, sed homines solum prædefiniti futuri. Ibidem à nu. 448. ad 460.
163 Post absolutè præuisum peccatum Adæ, nullus *Homo* potuit in illo peccare. Ibidem à nu. 452. ad 460. vel à num. 450.
164 Quomodo ex meritis Christi dentur auxilia sufficientia ad salutem omnibus *Homini*bus, præsertim infantibus sine Baptismo decedentibus. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. n. 673. & 674.
165 *Homines* non essent plures, nec pauciores, non peccante Adamo, ac modò sunt. Disp. 5. cap. 4. punct. 6. nu. 1141. & 1142.

I.

- 166 *Indifferentia* libertatis non dicit exclusionem, & carentiam actus secundi. Disp. 5. cap. 3. punct. 1. à num. 938. ad 941.
167 *Ius* Dei ad indignationem contra peccatorem, & ius puniendi illum sunt moralitèr diuersa, & separabilia. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. num. 278.

L.

- 168 *Transgressio legis* non est id solum, per quod transgreditur lex. Disp. 1. cap. 4. punct. 2. nu. 201.
169 *Lex* naturalis est voluntas diuina, essentialitèr annexa creationi naturæ rationalis, præcipiens actus ex natura rei bonos, & prohibens actus ex natura rei malos. Disp. 1. cap. 5. num. 216.
170 Quomodo intelligenda testimonia Scripturæ, & Patrum, declarantia peccatum per dependentiam à lege. Disp. 1. cap. 5. num. 234.
171 *Lex* non est voluntas obligandi subditos ad actum præceptum, sed voluntas inefficax actus præcepti cum speciali quodam modo volendi illud, quo obligat subditos formalitèr ad illud.

Index rerum,

- exercendum. Disp. 2. cap. 4. punct. 2. nu. 415. & 416.
- 172 Abrogatio, derogatio, & dispensatio *legis* dicunt affectum superioris, nolentem, poni actum præceptum, speciali quodam modo, quo subditi formaliter liberantur ab obligatione legis, cum differentia assignata, Ibidem nu. 417.
- 173 *Lex* transfusionis peccati originalis non fuit dependens ab acceptance, & consensu Adæ, sicque non fuit proprium pactum. Disp. 3. cap. 4. punct. 1. à nu. 551. ad 556. Ideoque absque proprio pacto potuerunt peccare posteri, peccante Adamo, huicque imputari damnum illum illorum. Ibidem à nu. 550. ad 553.
- 174 Poena, à lege imposita per verba de futuro, est quandoque incurrenda ipso facto. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. nu. 642.
- 175 *Libertas* actus voluntatis communiter non est prædicatum essenziale eius, licet sit essenziale ipsi, ut peccatum est, & ut formaliter ad culpam imputabilis. Disp. 1. cap. 1. nu. 11.
- 176 *Libertas* voluntatis indifferentis non dicit exclusionem, & carentiam actus secundi. Disp. 5. cap. 3. punct. 1. à nu. 938. ad 941.
- 177 Unica comestio de fructu *igni* vitæ, non daret homini immortalitatem. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. nu. 644.

M.

- 178 *Malitia* moralis, alia obiectiva, & alia formalis, quidque utraque sit. Disp. 1. cap. 1. nu. 9.
- 179 *Malitia* formalis actus voluntatis dupliciter consideranda, vel ut formaliter imputabilis ad culpam, vel materialiter, & fundamentaliter præcisè, quidque utroque modo dicat. Disp. 1. cap. 1. nu. 10.
- 180 In quo differant actus prohibiti quia mali, & mali quia prohibiti. Disp. 1. cap. 1. nu. 12.
- 181 Formalis *malitia* peccati commissionis non est privatio, existens in actu malo, rectitudinis, debitæ inesse ipsi. Disp. 1. cap. 2. punct. 1. à nu. 20. ad 28.
- 182 Nec est privatio, existens in voluntate, rectitudinis, debitæ inesse ipsi voluntati, quocumque modo constituatur talis rectitudo, siue in privatione actus mali, siue in actu bono opposito. Ibidem à nu. 29. ad 40.

183 Nec

Et verborum notabilium

- 183 Nec est carentia rectitudinis debitæ, existens in actu malo, quæ respectu actus mali sit negatio, & respectu voluntatis privatio. Ibidem à nu. 41. ad 42.
- 184 Nec est negatio rectitudinis, existens in actu malo. Ibidem à nu. 44. ad 46.
- 185 Nec est aggregatum ex positiva entitate actus mali, & privatione, aut negatione rectitudinis. Ibidem à nu. 48. ad 50.
- 186 *Malitia* formalis peccati commissionis non stat in modo positivo intrinseco superaddito. Disp. 1. cap. 3. punct. 1. à nu. 75. ad 77.
- 187 In peccato commissionis est aliqua *malitia* formalis, quæ non stat in disconformitate cum lege prohibente. Ibidem nu. 79.
- 188 Nec in disconformitate cum iudicio rectæ rationis. Ibidem à nu. 81. ad 91.
- 189 Nec in disconformitate, & dissonantia cum natura rationali ut sic. Ibidem à nu. 93. ad 99.
- 190 In actibus malis quia prohibitis formalis *malitia* non stat in sola entitate actus tendentis ad obiectum prauum. Disp. 1. cap. 3. punct. 2. à nu. 102. ad 122.
- 191 Neque in actibus prohibitis quia malis. Ibidem à nu. 123. ad 132.
- 192 In peccato commissionis *malitia* formalis non stat in aggregato ex entitate actus mali, & libertate cum advertentia malitiæ. Disp. 1. cap. 3. punct. 3. à nu. 135. ad 146.
- 193 Tendentia ad obiectum malum competit omni, & soli actu malo. Ibidem nu. 137. & 138.
- 194 In actibus malis quia prohibitis nullus attingit expressè, & formaliter *malitiam* obiecti. Ibidem nu. 149.
- 195 In actibus, formaliter, & expressè volentibus *malitiam* obiecti aliqua est *malitia* formalis, intrinseca, & identificata cum ipsis. Disp. 1. cap. 4. punct. 1. à nu. 155. ad 161.
- 196 In actibus prohibitis quia malis, non volentibus expressè *malitiam* obiecti, *malitia* formalis, fundamentaliter ad culpam imputabilis, stat quandoque in aggregato ex entitate actus mali, & circumstantia, extrinsecè vitiante obiectum. Ibidem à nu. 162. ad 166. & quandoque in aggregato ex entitate

Index rerum,

- entitate actus mali, & malitia intrinseca obiecti. Ibidem à num. 168. ad 171.
- 197 In actibus malis quia prohibitis *malitia* formalis, fundamentalitèr ad culpam imputabilis, stat in aggregato ex entitate actus mali, & prohibitione eius. Ibidem à num. 172. ad 178.
- 198 *Malitia* formalis, ut formalitèr imputabilis ad culpam, stat in aggregato ex actu malo, & libertate cum aduertentia malitiæ. Ibidem nu. 179.
- 199 Hæc libertas cum aduertentia *malitiæ* superaddit nouam *malitiam* supra malitiam actus, fundamentalitèr imputabilem ad culpam. Ibidem à nu. 184. ad 188.
- 200 In actibus, malis solùm ex conscientia erronea, *malitia* formalis est semper aggregatum ex actu, & conscientia erronea. Ibidem num. 180. & 181.
- 201 *Malitia* formalis solùm actum malum dicit in recto, reliqua verò supradicta in obliquo. Ibidem nu. 182.
- 202 In actibus malis quia prohibitis quæuis *malitia*, siue formalitèr, siue fundamentalitèr ad culpam imputabilis, dependet quasi à priori à lege prohibente. Disp. 1. cap. 5. num. 215.
- 203 In actibus prohibitis quia malis *malitia*, ut formalitèr ad culpam imputabilis, dependet quasi à priori à lege naturali prohibente. Ibidem nu. 217. & 218.
- 204 *Malitia* verò, fundamentalitèr imputabilis, non dependet à priori à lege naturali prohibente. Ibidem à num. 219. ad 226.
- 205 Quamuis essentialitèr pendet ab illa à posteriori. Ibidem à num. 227. ad 229.
- 206 Hanc eãdem dependentiam à posteriori à lege diuina naturali habet etiam *malitia* formalis, fundamentalitèr imputabilis in actibus malis quia prohibitis. Ibidem num. 231. & 232.
- 207 *Malitia* peccati omissionis cum proportione constituenda est eodem modò, quo malitia peccati commissionis. Disp. 1. cap. 6. à nu. 237. ad 248.
- 208 *Malitia* obiectiua comestionis carniùm die veneris, præter come-

Et verborum notabilium

- comestionem, & prohibitionem eius, dicit vterius existentiam diei veneris, quam non dicit *malitia* formalis affectus comedendi illas die veneris, & cur. Disp. 1. cap. 4. punct. 1. num. 175.
- 209 Prohibitio, in se non mala, nec odio digna, potest constituere *malitiam* formalem actus, odio dignam. Disp. 1. cap. 4. punct. 1. nu. 178.
- 210 Odium Diuinum de *malitia* formali actus, non terminatur ad prohibitionem, in illa inclusam. Disp. 1. cap. 4. punct. 2. à nu. 206. ad 210.
- 211 Cur falsitas formalis dicat semper aliquid extrinsecum actui, & non *malitia* formalis? Ibidem nu. 191.
- 212 *Malitia* ipsa obiectiua cum actu voluntatis constituit *malitiam* formalem. Ibidem nu. 197.
- 213 *Malitia* obiectiua omissionis nunquam est omnino intrinseca, & inseparabilis ab entitate omissionis. Disp. 1. cap. 6. num. 239. & 240.
- 214 *Malum*, aliud physicum, & aliud morale, quidque vtrumque sit. Disp. 1. cap. 1. nu. 8.
- 215 Alia circa peccatum, eiusq; *malitiam*, Vide in litera P. verb. *Peccatum*, & in liter. A. verb. *Actus*, & verb. *Affectus*.
- 216 *Martyrium* quomodò prædefiniatur à Deo, & desideretur à Martyre, ante absolutè præuisum peccatum Tyranni. Disp. 1. cap. 1. punct. 2. nu. 886.
- 217 Ci. ca B. *Mariam*, vide in litera D. verb. *Deipara*.
- O.
- 218 Circa obiectum, & constitutum condonationis diuinæ peccati, vide in litera C. verb. *Condonatio diuina peccati*.
- 219 *Odium* inimicitiae ob culpam, & affectus vindictæ, & punitionis culpæ differunt essentialitèr. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. num. 280.
- 220 Velle punire pro culpa præscisæ, non est *odium* delinquentis. Ibidem nu. 286.
- 221 *Omissionis* malitia obiectiua nunquam est omnino intrinseca, & inseparabilis ab entitate omissionis, sed inuoluit semper aliquam circumstantiam extrinsecam ipsi. Disp. 1. cap. 6. nu. n. 239. & 240.

Index rerum,

P.

- 222 *Pasibilitas*, sicut & *impasibilitas*, duplex, formalis, & radicalis. Disp. 5. cap. 4. punct. 3. nu. 1088.
- 223 *Peccatum omissionis*, & *commissionis* in quo differant. Disp. 1. cap. 1. num. 13.
- 224 Circa *peccati commissionis*, & *omissionis malitiam* formalem, vide in litera M. verb. *Malitia formalis*, & in litera A. verb. *Actus*, & verb. *Affectus*.
- 225 Patres explicantes *peccatum* per priuationem, vel continent solum contra Manicheos, malum, & peccatum non esse substantiam, vel explicant illud à posteriori. Disp. 1. cap. 2. punct. 2. nu. 54.
- 226 *Peccatum*, eiusque malitiam sæpè in priuatione, & sæpè in positivo constituit S. Thomas. Ibidem à nu. 55.
- 227 Cur Deo, concurrenti ad positivam peccati malitiam, non tribuatur *peccatum*? Ibidem num. 60. ubi quo pacto Deus diuersimodè causet actus bonos, & malos.
- 228 Quomodo *peccata commissionis*, & *omissionis* vniocè conueniant? Ibidem num. 61.
- 229 Quomodo intelligenda Scripturæ, & Patrum testimonia, explicantia *peccatum* per dependentiam à lege? Disp. 1. cap. 5. num. 234.
- 230 *Peccatum* ut sic definitur iuxta nostram doctrinam, *Operatio praua, libere facta cum aduertentia malitia*. Disp. 1. cap. 6. num. 250.
- 231 *Peccatum mortale* inducit in peccantem debitum subeundi indignationem grauem Dei contra ipsum, subeundi poenam æternam, & satisfaciendi pro illo; & in Deum ius ad indignationem grauem contra peccantem, ad infligendam ipsi poenam æternam, & ad exigendam ab eo satisfactionem, Disp. 2. cap. 1. nu. 256.
- 232 Ex *peccato* etiam veniali confurgit in peccante debitum subeundi leuem Dei displicentiam, subeundi poenam temporalem, & satisfaciendi pro illo; & in Deo ius ad talem displicentiam, ad infligendam poenam temporalem, & ad exigendam satisfactionem pro illo. Ibidem.
- 233 *Peccatum præteritum* perseverat habitualitèr, reddendo hominem

Et verborum notabilium.

- inimè peccatorem, maculatum, inimicum, & exosum Deo perinde, ac si physicè existeret. Ibidem n. 257. & 258.
- 234 *Peccatum habituale* non est habitus vitiosus, relictus ex peccato actuali. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. num. 271.
- 235 Nec morbida qualitas relictæ. Ibidem nu. 272.
- 236 Nec reatus ad poenam, quomodocunque declaretur hic reatus. Ibidem à nu. 273. ad 287.
- 237 Nec priuatio gratiæ. Disp. 2. cap. 2. punct. 2. à num. 289. ad 298.
- 238 Nec priuatio conformitatis habitualis ad legem. Ibidem num. 299. & 300.
- 239 Nec ens morale positium, relictum ex peccato actuali. Ibidem à nu. 301. ad 303.
- 240 Nec aggregatum ex *peccato præterito*, & duabus carentijs retractationis, & condonationis diuinæ, inter se essentialitèr connexis. Ibidem à nu. 304. ad 313.
- 241 Nec aggregatum ex *peccato præterito*, & obligatione satisfaciendi pro illo. Disp. 2. cap. 2. punct. 3. à nu. 315. ad 323.
- 242 Nec est solum *peccatum præteritum*, stantibus carentijs satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ, tanquam conditionibus requisitis præscisè. Ibidem à num. 324. ad 329.
- 243 Nec aggregatum ex *peccato præterito*, & carentijs satisfactionis condignæ, & condonationis diuinæ. Ibidem à nu. 330. ad 332.
- 244 Nec aggregatum ex his, & actuali existentia delinquentis. Ibidem à nu. 333. ad 335.
- 245 *Peccatum habituale* est peccatum ipsum actuale, physicè præteritum, moralitèr perseverans, primariò quidem in ordine ad reddendum hominem maculatum, & peccatorem, & secundariò in ordine ad reddendum illum dignum displicentia, & auersione diuina. Disp. 2. cap. 3. punct. 1. num. 338. & 339.
- 246 Hic effectus secundarius essentialitèr consequitur primariam. Ibidem nu. 339.
- 247 *Peccatum habituale* ut sic quinque dicit intrinsecè, scilicèt culpam actualem præteritam, existentiam delinquentis, ca-

Index rerum,

- rentiam satisfactionis condignæ, carentiam condonationis diuinæ, & existentiam instantis, pro quo hæc carentia negat condonationem. Ibidem à nu. 340. ad 346.
- 248 Ex his quinque solam culpam præteritam dicit in recto, reliqua verò in obliquo. Ibidem nu. 347.
- 249 Peccatum v. g. intemperantiæ *habitualemente* non expellitur per actus temperantiæ. Disp. 2. cap. 2. punct. 1. num. 271.
- 250 Peccatum *habitualemente* stat quandoque sine diuina destinatione ad pœnam. Ibidem nu. 273.
- 251 De potentia absoluta posset Deus remittere peccatum sine pœnitentia, & retractatione peccatoris. Disp. 2. cap. 2. punct. 2. nu. 304.
- 252 Posita quauis retractatione peccati, gratis Deus remittit peccatum, potens illud non remittere. Ibidem num. 305.
- 253 In peccato *habituali* duplex voluntarium concurrit, vnum intrinsecum, & aliud extrinsecum. Ibidem nu. 308.
- 254 Cur voluntarium decreti, semel habiti, tollatur per retractationem, & non voluntarium peccati *habitualis*. Ibidem num. 311.
- 255 Peccator non tenetur condignè satisfacere pro peccato. Disp. 2. cap. 2. punct. 3. nu. 316.
- 256 Obligatio satisfaciendi pro peccato supponit maculam peccati *habitualis*. Ibidem nu. 317.
- 257 In peccato *habituali*, culpa, & obligatio satisfaciendi sunt inter se diuersæ, & separabiles mutuò. Ibidem à num. 318. ad 320.
- 258 Peccatum *habitualemente* est homini intrinsecum moralitèr, & æquivalentèr, quamuis aliqua physicè extrinseca includat. Disp. 2. cap. 3. punct. 2. nu. 352.
- 259 Deus, causans carentiam condonationis, constitutiua peccati *habitualis*, non est per se causa existentie peccati *habitualis*. Ibidem à nu. 359. ad 363.
- 260 Carentia condonationis, in se non mala, nec odio digna, constituit peccatum *habitualemente*, in se malum, & odio habitum à Deo. Ibidem nu. 364.
- 261 Motium, ob quod odit Deus peccatorem, est peccatum præteritum præcisè, carentia verò condonationis est solùm con-

Et verborum notabiliũ

- conditio ad id requisita. Ibidem nu. 366. & 367. licet constituat tale odium vt rationabilitèr habitum. Ibidem à nu. 369. ad 371.
- 262 Peccatum non dat homini reatum conditionarum, sed absolutum ad indignationem diuinam. Ibidem nu. 373.
- 263 Quamuis peccatum *habitualemente* includat existentiam instantis, non variatur, variato instanti. Ibidem nu. 377.
- 264 Circa obiectum, & constitutiua condonationis diuinæ peccati *habitualis*. Vide in litera C. verb. *Condonatio diuina peccati*.
- 265 Fide certa est existentia peccati *originalis*, hocque contrahere omnes posteros, distinctos à Deipara. Disp. 3. cap. 1. à nu. 423. ad 425. & à nu. 428. ad 435.
- 266 Peccatum *originale* est verè, & propriè peccatum, vniocè conueniens cum peccato actuali in ratione peccati. Ibidem num. 426. & 427.
- 267 Quomodò peccatum *originale* appelletur mors animæ. Ibidem num. 429.
- 268 Posteriores potuerunt in capite moralitèr vitare peccatum *originale*. Ibidem num. 431.
- 269 Pater generatione filij est causa solùm permissiua transfusionis peccati *originalis*. Ibidem nu. 434.
- 270 Peccatum *originale* fuit moralitèr immediatè voluntarium posteris, quatenus isti fuerunt à Deo constituti in voluntate Adæ, sicque cum ipso moralitèr concurrerunt immediatè ad peccatum eius. Disp. 3. cap. 2. punct. 1. & 2. à num. 439. ad 476.
- 271 Quomodò differant voluntarium peccati *originalis*, & voluntarium peccati personalis. Disp. 3. cap. 2. punct. 2. nu. 462.
- 272 Quomodò peccatum *originale* potuerit esse voluntarium, & liberum posteris. Ibidem nu. 463. & 464.
- 273 Peccatum *originale* non est forma substantialis, naturam humanam substantialitèr corrumpens. Disp. 3. cap. 3. punct. 1. num. 479.
- 274 Neque aliquid relictum à peccato actuali, commissio ab anima ante vnionem ad corpus. Ibidem nu. 489.

Index rerum,

- 275 Neque peccatum actuale parvuli. Ibidem nu. 481.
276 Neque nimius cum vxore concubitus. Ibidem nu. 482.
277 Neque concupiscentia habitualis. Ibidem nu. 483.
278 Neque morbida qualitas, ad malum inclinans, à peccato Adæ in posteros deriuata. Ibidem nu. 485.
279 Neque macula moralis, à peccato Adæ in posteros transfusa. Ibidem nu. 487.
280 Neque reatus poenæ. Ibidem à nu. 489. ad 491.
281 Neque priuatio iustitiæ originalis, quidquid intelligatur nomine iustitiæ originalis. Ibidem à nu. 493. ad 500.
282 Neque peccatum Adæ, tanquam quid alienum posteris imputatum. Ibidem nu. 502.
283 Peccatum originale est ipsum peccatum Adæ vt proprium posterorum, ab his moraliter immediatè in illo commissum, eosque maculans, statimque generantur. Disp. 3. cap. 3. punct. 2. & 3. à nu. 504. ad 544.
284 Peccatum Adæ physicè vnum, erat moraliter multiplex. Disp. 3. cap. 3. punct. 2. nu. 505.
285 Quid dicat peccatum Adæ vt proprium posterorum, hos habitualiter maculans. Ibidem nu. 521.
286 Quomodo peccatum Adæ propagatione transfundatur, & omnibus infit, tanquam vnicuique proprium. Disp. 3. cap. 3. punct. 3. nu. 524.
287 Cur homo fiat peccator peccato Adæ physicè extrinseco, & forma extrinseca iustificari non possit. Ibidem nu. 525.
288 Nostra sententia de constitutiuo peccati originalis longe distat ab errore Pelagianorum. Ibidem nu. 528.
289 Quomodo peccatum Adæ non denominet peccatores posteros ante eorum generationem, sed hæc ad id conditio sit. Ibidem à nu. 530. ad 533.
290 Cur in instanti peccati Adæ posteri denominati fuerint peccantes, & non maculati à peccato Adæ. Ibidem à nu. 535. ad 543. Nec denominati fuerint tunc peccatores strictè. Ibidem nu. 544.
291 Ad transfusionem peccati originalis, nec fuit necessarium, nec extitit defacto proprium pactum Dei cum Adamo. Disp. 3. cap. 4. punct. 1. à nu. 550. ad 556.

292 Nec

Et verborum notabilium

- 292 Nec fuit necessarium manifestari Adæ legem diuinam transfusionis, licet ea defacto illi manifestata fuerit. Ibidem à nu. 558. ad 561.
293 Vt peccatum originale transfundatur in posteros, requiritur defacto generatio naturalis virtute feminis decisi. Disp. 3. cap. 4. punct. 2. nu. 565.
294 Et posterior peccato Adæ. Ibidem à nu. 569. ad 571.
295 Vnde filius genitus ex muliere, descendente ab Adamo, & ex viro non descendente ab illo, non contraheret peccatum originale. Ibidem num. 567.
296 Quamuis Adam non esset caput physicum hominum, posset diuinitus constitui caput morale eorum, si non essent adulti, sicque generatio non est essentialiter, & ex natura rei requisita ad contractionem peccati capitis. Ibidem à nu. 573. ad 578.
297 Ex vi præsentis decreti à solo Adamo deriuatur, & deriuari poterat peccatum originale. Disp. 3. cap. 4. punct. 3. à nu. 581. ad 584.
298 In Anima, & voluntate subiectatur immediatè peccatum originale. Disp. 3. cap. 4. punct. 4. nu. 586.
299 Peccatum originale est lenius mortali actuali, & grauius veniali. Ibidem nu. 587.
300 In peccato originali est habitualis auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Ibidem nu. 588.
301 Ex solo peccato veniali posset transfundi peccatum originale, sed non ex vi præsentis decreti. Ibidem nu. 589.
302 Peccatum Adæ, originaliter transfusum, fuit solùm inobedienciæ. Ibidem à nu. 591. ad 594.
303 Solùm peccatum comestionis Adæ de fructu interdicto, erat transfundendum in posteros. Ibidem à nu. 596. ad 598.
304 Peccatum solùm comestionis Adæ, independentè ab impoenitentia, & excusatione eius, fuit causa, vel occasio per se adæquata transfusionis peccati, & debiti originalis. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. & 2. præsertim à n. 607. ad 679.
305 Vt posteri dicantur peccasse in Adamo, non sufficeret, quòd eis Adam perdidit suo peccato gratiam debitam. Disp. 3. cap. 2. punct. 1. nu. 442. & 443. & cap. 3. punct. 2. n. 510.

306 Car

Index rerum,

- 306 *Cur peccatum* Adæ constituat posteros peccatores, & poenitentia eius eos non constituerit poenitentes. Disp. 3. cap. 2. punct. 2. num. 469.
- 317 Quando Deus odio habebat *peccatum* Adæ præsens, ut moraliter commissum à posteris, non habebat odio tunc posteros propter illud. Ibidem nu. 542.
- 318 *Peccatum* comestionis Adæ non fuit solùm personale, sed capitis etiam. Disp. 3. cap. 5. punct. 1. à nu. 615. ad 617.
- 319 Quomodò *peccatum*, existens in mundo, non imputaretur usque ad legem, Ad Roman. 5. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. nu. 651. & 652.
- 320 Quid dicat *peccatum* Adæ, ut moraliter commissum à posteris, & ut transfundendum in ipsos. Disp. 4. cap. 1. punct. 1. num. 690. & 691.
- 321 Aliud est posteros peccasse in Adamo, ad eius *peccatum* moraliter concurrente, & aliud contrahere tale peccatum. Disp. 5. cap. 4. punct. 5. nu. 1100.
- 322 In signo, in quo vidit Deus posteros peccantes in Adamo, non potuit videre *peccatum* formaliter contractum ab illis. Ibidem num. 1101.
- 323 *Periculo* maximo peccandi exponi ex causa laudabili, licet. Disp. 4. cap. 4. punct. 2. nu. 823.
- 324 Quomodò *permissio* peccati sit effectus nostræ Prædestinationis. Disp. 5. cap. 1. punct. 2. num. 883.
- Pœna*, à lege imposita per verba de futuro, incurritur quandoq; ipso facto. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. nu. 642.
- 325 *Posteris* Adæ non fuit defacto debita iustitia originalis. Disp. 3. cap. 2. punct. 1. num. 444.
- 326 *Posterorum* ruina originalis non fuit pœna peccati Adæ vti præcisè, sed ut erat peccatum posterorum. Disp. 3. cap. 3. punct. 2. à nu. 516. ad 518.
- 327 Denominatio peccantis in *posteris* est indivisibilis, & inseparabilis à simili denominatione, cadente in caput; denominatio verò maculati in posteris est divisibilis, & separabilis à simili denominatione, cadente in caput. Disp. 3. cap. 3. punct. 3. nu. 537. & 538.
- 328 *Posterorum* voluntates fuerunt constitutæ in voluntate Adæ in

Et verborum notabilium.

- in ordine ad denominationem peccantis, non verò in ordine ad denominationem maculati. Ibidem num. 538.
- 329 *Posteris*, non peccante Adamo, haberent diuersum corpus. Disp. 5. cap. 4. punct. 2. nu. 1065.
- 330 *Prædestinatio* hominum partim fuit ex meritis Christi, præscindentis à passibilitate absoluta, & partim ex meritis eiusdem absolutè passibilis. Disp. 5. cap. 4. punct. 6. à nu. 1130. ad 1134.
- 331 *Preces* parentum pro filio obtinendo quid impetrent? Disp. 5. cap. 4. punct. 2. nu. 1067.
- 332 *Promissio* non est voluntas obligandi promittentem ad actum promissum, sed voluntas inefficax actus promissi cum speciali quodam modo volendi illum, quo formaliter obligat promittentem ad illum exercendum. Disp. 2. cap. 4. punct. 2. num. 415. & 416.
- 333 *Prioritas* à quo, & in quo, & prioritas naturæ, & originis quomodò differant. Disp. 5. cap. 3. punct. 1. à num. 925. ad 927.
- 334 *Dependentia* realis formalis ab independente non sufficit ad *prioritatem* in quo independentis, & posterioritatem in quo dependentis. Ibidem à nu. 929. ad 932.
- 335 *Dependentia* virtualis, aut per rationem vnius perfectionis ab alia independente, non fundat *prioritatem* in quo virtualem, aut per rationem perfectionis independentis, & posterioritatem dependentis. Ibidem à n. 929. ad 954. Nec futuritionem virtualem, aut per rationem dependentis. Ibidem num. 955.
- 336 Vnum posse esse *prius* in quo alio, non infertur ex eo, quòd possit esse sine illo. Ibidem nu. 932.
- 337 Ad *prioritatem*, & posterioritatem in quo virtualem, & per rationem requiruntur duo signa successiua, in quorum primo existat vna perfectio cum carentia existentie alterius; postea extitura. Ibidem nu. 934. & 946.
- 338 *Priuatio* primò, & per se tollitur per formam positivam, & non per priuationem priuationis. Disp. 1. cap. 2. punct. 1. num. 32.
- 339 *Priuatio* gratiæ præcisè non reddit inimicum Dei. Disp. 3. cap. 3. punct. 1. nu. 499. R.

Index rerum,

R.

- 340 Præter *Redemptionem* reparatiuam admittenda est redemptio præseruatiua à peccato. Disp. 5. cap. 5. punct. 4. à num. 1227. ad 1233.
- 341 Ad præseruatiuam *redemptionem* à peccato, præter possibilitatem incurrendi illud, prærequiritur debitum eius saltem remotum. Ibidem à nu. 1234. ad 1242.
- 342 Res conne xa cum aliquo termino, quando attingatur, quin attingatur terminus, & quando non. Disp. 5. cap. 1. punct. 2. num. 884. & 885.
- 343 *Respublica* voluntates Minorum, absque ipsorum consensu, constituit in voluntate Tutorum, & voluntatem Pupilli in voluntate Patris ad instituendum hæredem. Disp. 5. cap. 2. punct. 1. nu. 445.
- 344 *Ruina* originalis posterorum non fuit pœna peccati Adæ vt sic præcisè, sed vt erat peccatum posterorum. Disp. 3. cap. 3. punct. 2. à nu. 516. ad 518.

S.

- 345 Posset diuinitus condonari culpa, manente debito *satisfactionis* pro illa, & è conuerso. Disp. 2. cap. 2. punct. 3. à num. 318. ad 320.
- 346 Nolitio *satisfactionis* præcisè non aufert debitum satisfaciendi. Disp. 2. cap. 4. punct. 1. nu. 400. & 401.
- 347 In quo differat *Scientia* simplicis intelligentiæ à scientia approbationis. Disp. 5. cap. 2. punct. 2. nu. 908.
- 348 *Scientia* diuina visionis quomodo sit posterior à quo futuro creato. Ibidem nu. 910. & 911. *Scientia* autem necessaria non sit posterior à quo suo obiecto. Ibidem nu. 916. & 917.
- 349 Deficiente *scientia* visionis obiecti futuri, an Deus cæco modo decerneret. Ibidem nu. 918.
- 350 *Scientia* conditionata est prior decreto prioritate logica, non prioritate à quo. Disp. 5. cap. 3. punct. 3. nu. 1013.
- 351 Permissa decretorum diuinorum futuritione, *scientia* visionis futuritionis decreti esset prior in quo existentia decreti, & posterior à quo futuritione, & existentia eiusdem. Disp. 5. cap. 3. punct. 4. à nu. 1024. ad 1027.

T.

Et verborum notabilium.

T.

- 352 Amabilitas *Termini* in medio inductiuo eius, est intra eandem sphæram, intra quam est amabilitas mediæ. Disp. 5. cap. 1. punct. 1. num. 856. & 857.

V.

- 353 *Veritas* propositionis de præterito stare non potest, nisi ea fuerit antea vera de præsentis. Disp. 3. cap. 2. punct. 1. à nu. 455. ad 457.
- 354 *Via* Adæ vt capitis solùm protrahi poterat vsque ad applicationem ipsius ad generandum, finita tamen est defacto in transgressione præcepti diuini. Disp. 3. cap. 5. punct. 2. num. 679.
- 355 Nullum esse *Virtuale* potest stare per se solùm sine aliqua perfectione reali formali, cum qua identificetur. Disp. 5. cap. 3. punct. 2. nu. 970.
- 356 *Voluntas*, nullam inducens obligationem, & ius, perseverat postea habitualitèr, dum non retractatur præcisè, secus verò voluntas, inducens obligationem, & ius. Disp. 2. cap. 1. num. 254.
- 357 *Voluntas* præterita potest habitualitèr perseverare in ordine ad præstandum vnum effectum, & non alium ex his, quos præstabat existens. Ibidem nu. 255.
- 358 *Voluntas* conditionata, posita conditione, transit virtualitèr in absolutam, inducendo aliam voluntatem absolutam sui obiecti. Disp. 2. cap. 3. punct. 2. nu. 374.
- 359 *Voluntas* Adæ, & posterorum fuit vna voluntas moralitèr in ordine ad obseruantiam, vel transgressionem præcepti. Disp. 3. cap. 2. punct. 1. num. 441. & alibi.
- 360 Quid dicat *voluntas* diuina transfusionis peccati in posteros Adæ. Disp. 4. cap. 1. punct. 1. nu. 690. & 691.
- 361 *Voluntas* diuina, constituens voluntates posterorum in voluntate Adæ, est distincta, independens, & separabilis à voluntate diuina transfusionis peccati in illos. Ibidem à nu. 693. ad 695.
- 362 *Voluntas* diuina conditionata in ordine ad inducendam aliam voluntatem, vel in ordine ad effectus morales, transit per

Index rerum,

- se immediate virtualiter in absolutam, non vero in ordine ad effectus physicos ad extra. Disp. 4. cap. 1. punct. 2. nu. 725. & 726.
- 363 *Voluntas* conditionata non exigit positionem conditionis. Ibidem nu. 704. & 705.
- 364 *Voluntas* efficax diuina generalis antecedens pugnat cum voluntate oppositi etiam particulari, & consequente. Disp. 4. cap. 2. nu. 741.
- 365 *Votum* non est voluntas obligandi vouentem ad actum promissum, sed voluntas inefficax actus promissi cum speciali quodam modo volendi illum, quo vouens manet formaliter obligatus ad illum exercendum. Disp. 2. cap. 4. punct. 2. nu. 415. & 416.
- 366 Remissio, aut dispensatio *voti*, & cuiuslibet promissionis est affectus Dei, aut promissarij, nolens poni actum promissum speciali quodam modo, quo vouens, vel promittens liberatur formaliter ab obligatione *voti*, vel promissionis. Ibidem num. 417.

ERRATA

ERRATA CORRIGENDA

- Pag. 1. titulari prope finem, vbi, *petrastantur*, scrib. *peritae* stantur.
- Pag. 3. nu. 9. lin. 8. vbi, *eff*, scrib. *est*.
- Pag. 7. nu. 18. lin. 12. vbi, *consistere*, scrib. *consistere*.
- Pag. 11. num. 32. lin. 12. vbi, *pet*, scrib. *per*.
- Pag. 16. num. 44. lin. 2. vbi, *exiffente*, scrib. *exiffente*.
- Pag. 25. nu. 67. lin. 13. vbi, *perfectionem*, scrib. *perfectionem*.
- Pag. 31. nu. 86. lin. 14. vbi, *morrliter*, scribe. *moraliter*.
- Pag. 32. nu. 88. lin. 6. vbi, *provenientem*, scrib. *provenientis*.
- Pag. 34. num. 94. lin. 5. vbi, *rationi*, scrib. *rationali*.
- Pag. 37. num. 102. lin. 1. vbi, *voluntaris*, scrib. *voluntatis*.
- Pag. ead. nu. eod. lin. 2. vbi, *voluntatis*, scrib. *voluntatis*.
- Pag. 39. num. 105. lin. 16. vbi, *Et*, scrib. *Et*.
- Pag. 51. num. 131. lin. 4. vbi, *fit*, scribe, *fit*.
- Pag. 138. num. 340. lin. 5. vbi, *constitur*, scribe, *constituitur*.
- Pag. 176. num. 414. lin. 7. vbi, *vel*, scrib. *vel*.
- Pag. 184. num. 437. lin. 9. vbi, *transgredientis*, scrib. *transgredientis*.
- Pag. 211. num. 497. lin. 21. vbi, *transfunderentur*, scrib. *transfunderetur*.
- Pag. 225. num. 526. lin. 10. vbi, *fit*, scrib. *fit*.
- Pag. 269. num. 630. lin. 30. vbi, *esse*, scrib. *esset*.
- Pag. 288. nu. 664. lin. 9. vbi, . scrib. , .
- Pag. 290. nu. 666. lin. 11. vbi, *aggraffatione*, scrib. *aggraffatione*.
- Pag. 299. num. 688. lin. 4. vbi, *moralitem*, scrib. *moralitatem*.
- Pag. 339. nu. 758. lin. 24. vbi, *posteri*, scrib. *posteris*.
- Pag. 356. nu. 785. lin. 14. vbi, *licet*, scrib. *licet*.
- Pag. 367. nu. 804. lin. 8. vbi, *exiffente*, scrib. *exiffentes*.
- Pag. 378. num. 824. lin. 9. vbi, *quod*, scrib. *quod*.
- Pag. 392. nu. 852. lin. 11. vbi, *efficaciter*, scrib. *efficaciter*.
- Pag. 395. in margine, vbi, 856. scrib. 859.
- Pag. 401. vbi, *Punct. 1.* scrib. *Punct. 2.*
- Pag. 485. nu. 1042. lin. 18. vbi, *earum*, scrib. *eram*.
- Pag. 491. in margine, vbi, 1052. scrib. 1051.

FINIS,